LECTIONES
AVREAE
In quattuor libros Mag. ſentent.

In quibus, & Magiſtri littera accurate explicatur, & quæſtiones omnes, quæ a Scholaſticis tractari ſolent, ſubtiliter examinantur.

408

Tomus Secundus.

Auctore R. P. M. Ioanne Paulo Pallanterio a Caſtro Bonomenſi Min. Con. S. Theologiae Doctore.

Opus omnibus Scholaſticis, Theologiæque ſtudioſis, apprime vtile, & neceſſarium.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.



BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, M D XCIX.

Apud Ioannem Guerilium.

PRAECLARISS^MO VIRO LAVRENTIO MASSAE

Sereniſs. Senatus Veneti à Secretis.

Ioannes Guerilius. S. P. D.

CVM ſecundum hoc uolumen lectionum in libros Sentent. R. P. M. Ioannis Pauli Pallanterij, publici iuris eſſet faciendum, accerſendum, illi aliquem Patronum iudicaui, qui & illi, & mihi quoque patrocinium commune præſtaret, Tuque omnium primus & maxime occurriſti, cuius clientelæ me committendum cum libro exiſtimaui. Tu enim maxime omnium hominum potes (vt interim de me ſileam qui tibi multis nominibus debeo) libro dignitatem ac decus comparare, & tua illum auctoritate à maleuolorum voculis vindicare, cum iuxta Ennianum illud, Sit magna laus laudari à laudato viro & verum patrocinium ab homine omni laude cumulato, omni do

ctrina

ctrina ornato defendi ac commendari. Quod cum Tu, antequam eſſet hoc tibi munus à me delatum, feceris egregie, & multis doctis viris præſentibus confeſſus ſis tibi libros hos vehementer probari, & in eis lectitandis multa reperijſſe eius eruditionis & argumentorum ſemina, quibus tu vſus ſuperioribus annis celebrem Græcorum nationem in multis à Romana Ecleſia diſſentientem ità conciliaſti; vt parum, aut nihil iam ſupereſſe videatur, quin idem illi quoque nobiſcum ſentiant in omnibus, quid te facturum ſperare debemus, ſi clientelæ etiam neceſſitudo acceſſerit? Adhæc accedit, quod cùm Tu Triumuiris Academiæ aſſideas à ſecretis, in multis tua auctoritate potes Auctorem libri ornare, & adiuuare, illumque quaſi in aliqua ſpecula Patauini Gymnaſij collocare, ac conſtituere, vnde conſpectior, & veluti in aliquo Theatri loco doctrinam poſſit profiteri, ac oſtentare. Accipe igitur munuſculum, & me vnà cum libri Auctore, & libro tuere, & ama.

INDEX
LECTIONVM, DISTINCTIONVM, ET QVAESTIONVM
LIBRI SECVNDI.

Lectio I.
Diſtinctionis I.

IN qua ſex ordine exarantur. Concluſio primò; Platonis error ſecũdò; diſcrimen inter creare, & facere tertiò; creaturæ nouitas cum mutatione quartò; Ariſt. error circa principia quintò; tãdem cur animæ rationales corporibus vnitæ ſint redditur ratio. fol. 1.

Lectio II.

In qua ſex conſideratione dignatanguntur, explanatio primò huius termini Deus; Secũdò principij ſignificatia; Tertiò quid ſit creare; Quartò cęli ſignificata; Quintò terræ; Sextò, & vltimò dubium cum ſolutione. fol. 4.

Lectio III.

In qua duo dubia ꝓponũntur, & primò, Vtrum creatio posſibilis ſit. Inſuper, Vtrum creatura ab ęterno produci potuerit. fol. 8.

Lectio IIII.

In qua quęritur, nũ ſucceſsiua entia ab ęterno eſſe potuerint. fol. 13.

Lectio V.

In qua quęritur primò, num creaturæ potentia creandi potuerit communicari: Secundò ad partem oppoſitam arguitur; notanda tertiò ponuntur; poſtremò argumenta diluuntur. fol. 15.

Lectio VI.

In qua duo examinanda proponuntur, & primò, num Deus immediatè agat in omni actione creaturæ. Inſuper, an Deo agere propter finem competat. fol. 17.

Lectio VII.
Diſtinctionis II.

In qua de quatuor agitur, Primò de naturæ Angelicæ creatione; Secũdò de loco; Tertiò de eiuſdem qualitate; Quartò de dubio cum ſolutione. fol. 20.

Lectio VIII.

Continet tria rerum diſtinctionem primò; ſignificata naturæ angelicæ ſecūdò; poſtremò cęli varias acceptiones. fol. 22.

Lectio VIIII.

In qua dubium ꝓponitur de Angelis, ad cognoſcendum, num creati ſint in gratia. fol. 25.

Lectio X.

In qua duo quęruntur, & primò, Vtrum cęlum Empyreum ſit locus corporeus; Deinde, vtrū in hęc inferiora influētiam habeat. fol. 27.

Lectio XI.

In qua duo quęruntur, & primò, Vtrum in ęuo detur ſucceſſio; Inſuper, Vtrum nunc ęui idem ſit, quod ęuum. fol. 29.

Lectio XII.

In qua quatuor declarantur, nam primò dubitatur, an omnium ęuiternorū vnum ſit concedendum ęuum menſura. Arguitur ſecundò; notanda ponunē tertiò; poſtremò argumenta ſoluuntur. fol. 32.

Lectio XIII.

In qua quatuor habemus, dubium primò; Argumenta ſecundò; Notanda tertiò; Argumentorum ſolutionē quartò; Dubium eſt, Vtrū eſſe rei generabilis, & corruptibilis tempore menſuretur. fol. 34.

Lectio XIIII.

Diſtinctionis III.

In qua quatuor continentur, primum Angelorum productionem reſpicit, & in quatuor ſubdiuiditur; alterum dubia duo; Tertium opinionem primæ contrariam; Quartum, & vltimum de cognitione angelorum notandum perpulchrum. fol. 36

Lectio XV.

In qua de morulis angelorum fit primò ſermo; Pręterea quęritur num ſint ex materia, & forma concreti. fol. 39

Lectio XVI.

In qua quatuor ꝓponuntur, dubium primò, num Angelis indiuideatio competat: argumenta ſecundò; notanda tertiò; argumentorū ſolutiones quartò. fol. 42.

Lectio XVII.

In qua quęſitum de pluralitate angelorum ponitur; Inſuper argumenta; Tertiò notanda argumentorum; Quartò ſolutiones. fol. 43.

Lectio XVIII.

In qua quatuor habemus, quęſitum de numero Angelorum; Argumenta;

menta; Notanda, & argumentorum ſolutiones. fol. 47.

Lectio XVIIII.

Quęſita complectens duo, num virtus intellectiua Angeli cum eius eſſentia idē ſit. Inſuper, num res p ſuā eſſentiam cognoſcat. fol. 49.

Lectio XX.

In qua duo excitantur dubia: quorum primum eſt, num Angelus ſingularia valeat cognoſcere. Pręterea, Vtrum eiuſdem angeli intellectus ſit quandoque in potentia. fol. 53.

Lectio XXI.

Diſtinctionis IIII.

Vbi ſex ordine proponuntur. Dubium primò; Propoſitio ſecundò; Cōcluſio tertiò; Perfectionis diſtinctio quartò; Applicatio quintò; intentum concluditur ſextò. fol. 56.

Lectio XXII.

In qua eſt ſermo de tribus, quęritur enim primò, Num Angeli beati, vel miſeri ſint creati; Deinde, num in gratia; Demùm, num boni Angeli confirmationis ſuæ pręſcij, & ſui caſus mali. fol. 58.

Lectio XXIII.

Diſtinctionis V.

In qua ſex continentur, concluſio primò; probatio ſecundò; cauſa auerſionis, & angelorum conuerſionis tertiò; dubium quartò; notandum quintò; poſtremo quęſita duo. fol. 62.

Lectio XXIIII.

In qua ſignificata conuerſionis, & auerſionis declarantur. fol. 64.

Lectio XXV.

In qua duo quęruntur, & primò, Num Angelus in initio peccare poterat; Inſuper, num in inſtanti creationis ſuæ. fol. 68.

Lectio XXVI.

In qua primò quęritur, num ſuam meruerint beatitudinem Angeli beati; Inſuper arguitur; Tertiò notanda pręcedunt; Quartò argumenta diluuntur. fol. 72.

Lectio XXVII.

Diſtinctionis VI.

In qua ſex proponuntur, concluſio primò; probatio ſecundò; malorum angelorum pęna, & ſui lapſus cauſa tertiò; conſideratio quędā pręlationis in Angelis tàm bonis, quàm malis quartò; dubium cum ſolutione quintò; vnum tandem notatu dignum de dęmonibus. fol. 75.

Lectio XXVIII.

In qua breui quęſita duo examinantur, & primò; Num Angelus, qui peccauit, ſuperioris fuerit claſsis; Inſuper, vtrum eius peccatū alijs peccandi potuerit eſſe occaſio, ſiue cauſa. fol. 78.

Lectio XXIX.

In qua dubia duo proponuntur de dęmonibus. Quorum primum reſpicit pręlationis ordinem; alterum verò dęmonis virtutem in tentando cum alijs multis notatu dignis. fol. 80.

Lectio XXX.

Diſtinctionis VII.

In qua octo per ordinem continentur, concluſio primò; probatio ſecundo: dubium tertiò; noua cōcluſio quartò; declaratio quintò; illatum ſextò; propoſitio ſeptimò; manifeſtatio octauò. fol. 84.

Lectio XXXI.

In qua quęſita duo examinantur, & primò, Num Angeli boni in malum culpæ valeant exire; Deinde, num Angeli mali bonum valeant operari. fol. 86.

Lectio XXXII.

In qua tria continentur perbreuia, pulchraquè quęſita, primū ingenij mali Angeli perſpicacitatem reſpicit: nam quęritur, an futura prędicere poſsit; Inſuper, an ad nutū ſibi corporalis materia obediat; Demùm, an Angelus cęlum moueat, vel quodcunq; aliud corpus per intellectum, & voluntatem, vel per aliam potentiam. fol. 89.

Lectio XXXIII.

Diſtinctionis VIII.

In qua decem continentur, concluſio primò; quęſtio ſecundò; tertiò reſponſio; quartò notandum; quintò propoſitio, probatio ſextò; dubia duo ſeptimò; illatum octauò; de malignis ſpiritibus concluſio nonò; dubium ꝓ probatione vna cū ſolutione decimò. fol. 93.

Lectio XXXIIII.

In qua quęſita duo examinantur; Num ſcilicet Angeli ſint corporei; Deinde, Vtrum vitæ opera valeant exercere. fol. 95.

Lectio XXXV.

In qua duo dilucidantur, & primò, Num dęmones humana poſsint corpora ſubintrare; Deinde, Num ſenſus poſsint immutare noſtros. fol. 95. *Lectio XXXVI.*

In qua perpulchrum examinatur quęſitum, an noſtras valeat Angelus intueri, ſiue cognoſcere affectiones. fol. 101.

Lectio

Lectio XXXVII.
Diſtinctionis IX.
In qua nauem ponuntur, concluſio cum probatione primò; quid ſit ordo ſecundò; angelorum nomina tertiò; contra prędicta dubium cum ſolutione quartò; propoſitio quintò; pro probatione dubium cum rationibus ad vtranq; partem ſextò; vnū de angelis quęritur ſeptimò; noua propoſitio cum declaratione octauò; beati Aug. & Gregorij opiniones circa prędicta nonò: fol. 103.
Lectio XXXVIII.
In qua de multiplici conſideratione Hierarchiæ, nec non de munere ſingulorum ordinum multa tanguntur. fol. 106.
Lectio XXXIX.
In qua duo dilucidantur, primū pertinet ad Hier. finitionē; alterū ad homines, nū ſcilicet posſint ad angelorū ordines aſſumi. fol. 108.
Lectio XL.
Diſtinctionis X.
In qua nouem ponuntur, concluſio primò; Dubium ſecundò; Pro reſponſione variæ adducuntur opiniones tertiò; In ſpecie obijcitur quartò; Reſpondetur quintò; nomina quędam incidentaliter in gratiam dictorum tanguntur ſextò; Dionyſij authoritas, qua videbatur fulciri prima opinio ſoluitur ſeptimò; Ex prędictis illata inferunē duo octauò; Nonò q̄dā de angelis ponitur opinio. fol. 112.
Lectio XLI.
In qua duo dubia proponuntur: quęritur enim primò, Num Angeli omnes mitti dicantur; Inſuper, Num omnes asſiſtant. fol. 114.
Lectio XLII.
Diſtinctionis XI.
Quæ in octo ſecta diuiditur: In quorum primo ponitur concluſio: In ſecundo probatio: In tertio propoſitio: In quarto dubium cum ſolutione pro probatione propoſitionis pręmiſſæ: In quinto concluſio: In ſexto dubium cum opinionibus diuerſis: In ſeptimo vnum infertur: In octauo opinio quorundam ſubditur, & quid tenendum terminantur. fol. 117. *Lectio XLIII.*
In qua tria examinantur quęſita, primum quorum, vtrum quilibet homo ad ſui cuſtodiam angelum à Deo habeat deputatū, alterum eſt, Vtrum Angeli in cognitione proficiant per mutuam locutionem; Demùm. Vtrum Angelus vnus per illuminationem alterius proficiat. fol. 120.

Lectio

Lectio XLIIII.
Diſtinctionis XI.

In qua ſeptem ponuntur, concluſio primò; probatio ſecundò; noua propoſitio tertiò; pro cuius probatione duo tanguntur quartò; Inſuper quintò loco propoſitio, probatio ſextò; inſtantia contra prędicta cum ſolutione ſeptimò. fol. 124.

Lectio XLV.

In qua tria quęruntur, & primò, Num materia informis ſit creata; Inſuper, Num ſuperiorum, & inferiorum corporum ſit eadem materia; Denique, Num Deus materiam primam abſque omni forma producere potuerit. fol. 127.

Lectio XLVI.
Diſtinctionis XIII.

In qua ſex narrantur, concluſio primò; tres quęſtiones ſecundò; propoſitio tertiò; dubium pro probatione quartò; propoſitio quintò; ad quam probandam difficultas cum ſolutione ſextò. fol. 131.

Lectio XLVII.

In qua de luce magno verborum apparatu fit ſermo, ad cognoſcendum, quid ſit lux ſecundum veritatem. fol. 134.

Lectio XLVIII.

In qua lux, lumen, radius, & ſplendor cōparanť adinuicē penes differentias primò; Inſuper declaratur qualiter lux differenter recipiať in diuerſis receptibilibus; Tertiò lucis perfectio tangitur; Quartò, & vltimò de lucis productione, vel creatione fit ſermo. fol. 138.

Lectio XLIX.

In qua de Die, de Nocte, & de ſole verba fiunt ꝓ intellectu eorū, quæ à Mag. ſent. in prędeclarata diſtinctione tacta fuerunt. fol. 141.

Lectio L.

In qua duo quęrunť, vnū eſt, Vtrū lumen corpus dici debeat; Inſuper, Vtrum eſſe reale, vel intentionale in medio habeat eſſe. fol. 143.

Lectio LI.
Diſtinctionis XIIII.

In qua, vt intuenti patet, ordine quinq; proponuntur, propoſitio cum cum probatione primò; quęſtio cum ſolotione vna ſecndò; concluſio tertiò; dubium quartò; deniq; propoſitio quintò. fol. 145.

Lectio LII.

In qua breui duo quęſita proponuntur: quorum primum, an ſuper cęlos ſint concededæ aquæ. Alterum, an cęli motus naturalis appellandu:.

pelandus. fol. 148.

Lectio LIII.

In qua dubia duo exarantur; quorum primum, an ſtellæ ſolum ſuæ motu ſpheræ moueant, vel pręter hunc motū alio motu? Inſuper, an cęlum ſphericæ ſit nuncupandum figuræ. fol. 150.

Lectio LIIII.

Diſtinctionis XV.

Quæ in puncta v ſuſpatur ſeptem; In concluſionem primò; In propoſitionem ſecundò; In duas quęſtiones tertiò; In notandū quartò; In opiniones duas circa rerum creationem quintò; In opus Diei ſeptimæ ſextò; In dubium cum ſolutione ſeptimo. fol. 154.

Lectio LV.

In qua de varijs reptilis, volatilis, Aquatilis, Aquæ, & hominis mentio fit ſignificatis. fol. 156.

Lectio LVI.

In qua tria conſideratione digna dubia mouentur: primum eſt, Num corpora ſuperiora circa hęc cauſalitatem aliquā habeant; Inſuper, Num cęlum in voluntatem humanam agere poſſit proinde, Num cęlum per motum agat. fol. 159.

Lectio LVII.

Diſtinctionis XVI.

In qua ſex narrantur, concluſio primò; dubium ſecundò; altera concluſio tertiò; opiniones duæ pro probatione quartò; noua concluſio quintò; concluſionis manifeſtatio ſextò. fol. 163.

Lectio LVIII.

In qua de duobus fit ſermo, de imagine primò; & de ſimilitudine ſecundò. fol. 166.

Lectio LIX.

In qua duo perpulchra proponuntur dubia: quorum primū eſt, Num in ſolis vigeat Dei imago intellectualibus; Inſuper, Num perfectius in Angelo, quam in homine, vel ęqualiter in his. fol. 169.

Lectio LX.

Diſtinctionis XVII.

In qua ſeptem declarantur, cōcluſio primò; quęſtio ſecundò; opiniones duæ pro reſponſione quęſiti tertiò; noua concluſio quartò; dubium pro probatione quintò; tres opiniones circa Mag. ſent. dictū ſextò; propoſitio cum dilucidatione ſeptimò. fol. 171.

Lectio

Lectio LXI.

In qua de quatuor ſit ſermo, de paradiſo primò; De inſpirare ſecundò; De animæ varijs ſignificatis tertio; poſtremo de ligni multiplici ſignificatione. fol. 174.

Lectio LXII.

In qua quatuor declarantur: primo creationis animæ rationalis tempus; Secundo quo modo corpori inhęreat; tertiò gradus perfectionis eiuſdem animæ rationalis; Quarto eius origo. fol. 177.

Lectio LXIII.

In qua breuibus verbis quęſita tria perſtringuntur: quorum primum, an anima intellectiua corpori vt forma vniatur; alterum eſt, an fuerit ante corpus producta; Poſtremum, an paradiſus conueniens humanæ habitationis ſit locus. fol. 180.

Lectio LXIIII.

Diſtinctionis XVIII.

In qua ſex ordine ꝓponuntur, concluſio primò; quęſtiones quatuor ſecundò; noua concluſio tertiò; quęſitum quartò; ex dictis concluditur reſponſum quintò; propoſitio ſextò. fol. 182.

Lectio LXV.

In qua quęſitum proponitur vnum cū argumentis, & determinatione, an ſcilicet Euæ corpus de coſta Adæ ſit formatum. fol. 185.

Lectio LXVI.

In qua quinq; habemus, dubium primo, Num ſcilicet Euæ corpus formatum ſit ſecundum rationem ſeminalem, quid ſit ſemen ſecundò; Quid ratio ſeminalis tertiò; Concluſiones tres quartò; Reſponſio quintò. fol. 187.

Lectio LXVII.

In qua quęſita examinantur duo: primum eſt, an rationes quędam ſeminales in materia ſint concedendæ. Inſuper, an cum ſemine intellectiua anima producatur. fol. 190.

Lectio LXVIII.

Diſtinctionis XIX.

In qua ſeptem continentur, concluſio primò; Primi hominis ſtatus triplex ſecundo; Propoſitio tertiò; Dubium quartò; Propoſitio cū dubio quintò; Notandum ſextò; Opiniones quędam de primi hominis immortalitate ſeptimò. fol. 192.

Lectio LXIX.

In qua dubitatur primò, Num in ſtatu innocentiæ primus homo per

naturam

naturam habuerit immortalitatem; Inſuper ſignificata immortalis tanguntur; Poſtremo veritas terminatur. fol. 195.

Lectio LXX.

In qua quatuor conſideratione digna declarãtur: nam dubium proponitur primo, Num Adæ corpus in ſtatu innocẽtiæ erat pasſibile; notanda ſecundo; Concluſiones quędam tertio; Argumentorum ſolutiones quarto. fol. 197.

Lectio LXXI.

Diſtinctionis XX.

In qua ſeptem conſiderantur, concluſio primo; dubium ſecundo; ſolutio tertio; duæ quęſtiones quarto; propoſitio quinto; quęſtiones duæ ſexto; propoſitio cum ratione ſeptimo. fol. 199.

Lectio LXXII.

In qua examinatur breui, Num in ſtatu naturæ inſtitutæ fuiſſet generatio. fol. 202.

Lectio LXXIII.

In qua duo quęruntur, & primo, Num in ſtatu innocentiæ in actu matrimonij virginitatis amisſio fuiſſet. Deinde, Num pueri in vtroque ſexu fuiſſent geniti. fol. 203.

Lectio LXXIIII.

In qua perpulchrum excitatur quęſitum, Num in ſtatu naturæ inſtitutæ ibi fuiſſet per coitum generatio. fol. 206.

Lectio LXXV.

In qua duo proponuntur quęſita: quorum primum eſt, Num pueri mox nati, quantum ad corpus fuiſſent perfecti; Deinde, Num in ſcientia ſimiliter perfecti. fol. 208.

Lectio LXXVI.

In qua dubia duo ponuntur, primum eſt, an filij in ſtatu innocentiæ in iuſtitia originali nati eſſent; Deinde, an in tali fuiſſent confirmati. fol. 211.

Lectio LXXVII.

Diſtinctionis XXI.

In qua quinque habemus, concluſionem primo; modum tentandi ſecundo; quot modis tentati parentes fuerint noſtri tertio; concluſio quarto; propoſitio quinto. fo. 213.

Lectio LXXVIII.

In qua variæ huius vocabuli tentare acceptiones adducunt. fol. 216.

Lectio LXXIX.

In qua de duobus fit ſermo; primò de tentatione, quo ad eius quid; ſecundò quantum ad eius multiplicem acceptionem. fol. 219.

Lectio LXXX.

In qua quatuor declarantur, dubium primò; argumenta ſecundo; notanda tertiò; argumentorum ſolutiones quarto. fol. 221.

Lectio LXXXI.

In qua ſimiliter quatuor proponuntur, vt in pręcedenti; primò dubium, Num tentatio ſit appetenda; argumenta ad vtranque partem ſecũdò; notanda tertiò; ſolutiones argumentorũ quarto. fol. 224.

Lectio LXXXII.

In qua dubia duo examinantur, quorum primum eſt, an primorum parentum peccatum fuerit grauisſimum; Inſuper, an in illo primo ſtatu homo venialiter potuerit peccare. fol. 227.

Lectio LXXXIII.

Diſtinctionis XXII.

In qua ſeptem ordine ꝑponuntur, propoſitio cum probatione primò; inſtantia ſecundò; notandum vnum tertiò; concluſio quartò; triplex inſtantia quintò; ignorantiæ diſtinctio ſextò; dubia ex dictis duo cum ſolutione ſeptimo. 230.

Lectio LXXXIIII.

In qua de duobus eſt ſermo; Primo enim quęritur, Num Eua grauius ipſo viro peccauerit; Deinde tres ignorantiæ acceptiones ponuntur. fol. 234.

Lectio LXXXV.

In qua agitur de ignorantia iuris primò; de ignorantia facti ſecundò; de affectata tertiò; de ſupina quarto. fol. 236.

Lectio LXXXVI.

In qua eſt ſermo de ignorantia inuincibili primò; Secundò quid ſit agere ex ignorantia declaratur; tertiò de malo conſenſu diſſeritur. fol. 238.

Lectio LXXXVII.

In qua dubia duo ponuntur, primum eſt, an primorum parentum peccatum fuerit ſuperbia; Alterum, an primus homo appetierit eſſe Deus. fol. 242.

Lectio LXXXVIII.

In qua perpulchra, & breuia duo proponuntur quęſita, quorum primum eſt, an ignorantia ſit peccatum; Alterum, an ipſa peccatum excuſet.

excuſet. fol. 244.

Lectio LXXXIX.

Diſtinctionis XXIII.

In qua quatuor ordine proponuntur, concluſio primò; dubia quinq; ſecundò; propoſitio tertiò; notandum cũ dubio quarto. fol. 247.

Lectio LXXXX.

In qua enarrantur variæ ſcientiæ ſecundum diuerſas acceptiones, & hoc in gratiam eorum, quæ dicta ſunt de noſtro primo parente in calce prędeclaratæ diſtinctionis. fol. 250.

Lectio LXXXXI.

In qua tria quęſita proponuntur, & declarantur, quorum primum, an alicui creaturæ potuerit conferri, quod per naturam eſſet impeccabilis. Inſuper, an primus homo in ſuo ſtatu primo Deũ per eſſentiam viderit; Demũ, an in illomet ſtatu decipi potuerit. fol. 252.

Lectio LXXXXII.

Diſtinctionis XXIIII.

In qua nouem in ordine ponuntur, concluſio primo; duæ inſtantiæ ſecundò; altera concluſio tertiò; dubium pro probatione quartò; corrollarium quintò; notandum ſextò; rationis diuiſio ſeptimò; propoſitio octauò; notandum nono. fol. 256.

Lectio LXXXXIII.

In qua de duobus ſermo fit; Primò de varijs ſignificatis rationis; Inſuper, de natura ſenſualitatis. fol. 259.

Lectio LXXXXIIII.

In qua eſt ſermo de tribus; Primò de differentia ſenſualitatis, & ſenſibilitatis; Secundò de ſpeciebus, in quas ſenſualitas deſcendit; tertiò de obedientia, quam exhibet ſenſualitas rationi. fol. 263.

Lectio LXXXXV.

In qua examinanť duo quęſita; Primum eſt, Num liberum arbitrium ſit animæ potentia; Alterum, Num potentia merè paſſiua, nec ne. fol. 264.

Lectio LXXXXVI.

In qua quęſtiones examinantur duæ, quarum prima ſic, an in nobis libertas maior, vel minor ab actu intelligendi, aut volendi deſumẽda ſit; Altera eſt, Num ratio ſuperior, & inferior, duæ potentiæ dicendæ, vel vna. fol. 267.

Lectio LXXXXVII.

In qua primo quęritur, an in ſenſualitate mortale peccatum inueniatur;

tur; Deinde, an delectatio moroſa de mortali peccato mortale peccatum ſit. fol. 271.

Lectio LXXXXVIII.
Diſtinctionis XXV.

In qua decem continentur, concluſio primò; probatio ſecundò; illatũ vnum tertiò; notandum quartò; dubium quintò; corrolarium ſextò; alterum notandum ſeptimò; propoſitio octauò; quęſitum nonò; concluſio cum dilucidatione decimò. fol. 274.

Lectio LXXXXIX.

In qua eſt ſermo de libero arbitrio, ex voto D. Auguſtini. fol. 278.

Lectio C.

In qua de duobus eſt ſermo: nam primo declaratur, quo modo homo per liberum arbitrium ad gratiam nequeat ſe pręparare; Inſuper, quo modo per gratiam valeat mortale peccatum vitare. fol. 280.

Lectio CI.

In qua duo exponunт; Num primò, exiſtens in culpa mortali homo, ſine Dei gratia poſſit mortale peccatum vitare; Inſuper, quo modo in omnibus intellectualibus ſit liberum arbitrium. fol. 282.

Lectio CII.

In qua duo declarantur, & primò, qđ in Deo ſit liberum arbitrium; Secundo, quòd in Angelis. fol. 286.

Lectio CIII.

In qua quęritur; Num homo ſit liberi arbitrij; Verum quia hinc inde rationes adducuntur, iccirco primò, quòd ſic probatur; Deinde, quòd non ſuadetur. fol. 288.

Lectio CIIII.

In qua duo declarantur, & primò, quòd perfectius ſit liberum arbit. in Deo, quã in Angelis, & in hominibus; Inſuper, quòd perfectius ſit in Angelis, quàm in hominibus. fol. 292.

Lectio CV.

In qua duo exarrantur, primum eſt, quos liberum reſpiciat actus arbitrium; Inſuper, an cogi poſſit. fol. 294.

Lectio CVI.

In qua aperiuntur duo principalia, quorum primum eſt, quòd voluntas noſtra, inclinari, immutari, determinarique poſſit ad aliquid volendum. Inſuper, quòd ſit debilitata poſt peccatum. fol. 296.

Lectio CVII.

In qua manifeſtantur duo; Primum eſt, quòd Deus hominem liberum

facere

facere voluit, & propter quid; Alterum ſignificata varia libertatis reſpicit. fol. 297.

Lectio CVIII.

In qua duo examinantur quęſita; Primum eſt, an liberum arbitrium eorum ſit tantùm, quæ ſunt ad finem; Inſuper, an in habentibus intellectum ſolum ſit concedendum. fol. 299.

Lectio CIX.

In qua dubia duo proponuntur; Primum eſt, an lib. arb. ęqualiter ſit in omnibus; Alterū eſt, an voluntas noſtra cogi poſſit. fol. 302.

Lectio CX.

Diſtinctionis XXVI.

Quæ in ſecta diuiditur nouem; In concluſionem primò; In probationem ſecundò; quorundam errorem tertiò; In illatum quartò; In propoſitionem quintò; In probationem ſextò; In nouam concluſionem ſeptimò; In dubium pro probatione octauò; In ſolutionem nonò. fol. 304.

Lectio CXI.

In qua duo quęſita proponuntur, primum eſt, Num gratia ſit appellanda habitus; Alterum eſt, an ſit virtus. fol. 307.

Lectio CXII.

In qua quęſtiones duæ proponuntur, & declarantur, quarum prima eſt, Num gratiæ operantis, & cooperantis diuiſio allata bona ſit. Altera quęſtio, Num gratia vt in quo habeat eſſe in eſſentia animæ, vel in potentia. fol. 310.

Lectio CXIII.

Diſtinctionis XXVII.

In qua decem continentur, concluſio primò; probatio ſecundò; contradictio ex tactis tertiò; ſolutio quartò; illatum quintò; propoſitio ſextò; finalis Magiſtri ſent. pro probatione ſeptimò; nouum illatum octauò; propoſitio nonò; variæ opiniones pro veritate cognoſcenda cum determinatione decimo. fol. 313.

Lectio CXIIII.

In qua narrantur varia ſignificata virtutis. fol. 316.

Lectio CXV.

In qua tria tanguntur, virtutis quędam alia ſignificata primò; quot modis corrumpatur ſecundò; quotuè modis dicatur conſiſtere in medio tertio. fol. 318.

Lectio

Lectio CXVI.

In qua de quinque ſit ſermo, de virtute morali in genere primò; de morali infuſa ſecundò; de modis, quibus vera dicitur virtus, tertiò; de virtute naturali quartò; de Heroica quinto. fol. 320.

Lectio CXVII.

In qua virtus in ſuas diuiditur primò partes; Inſuper, ſingulæ declarantur; Tertiò comparatæ adinuicem, quo modo differant manifeſtatur. fol. 322.

Lectio CXVIII.

In qua perpulchra duo quęſita ponuntur, quorum primum, an virtus ſit nuncupanda habitus. Alterum eſt, Num quis habens gratiam gloriam de condigno mereri poſſit. fol. 324.

Lectio CXIX.

Diſtinctionis XXVIII.

Quæ ſeptem complectitur ſecta, concluſionem primò; inſinuationem ſecundò; increpationem tertiò; reſponſionem quartò; propoſitionem quintò; rationes quinque ſextò; concluſionem ſeptimò cum determinatione, & licet plures ſint concluſiones, vna tamen dicitur ordine. fol. 327.

Lectio CXX.

In qua duo examinantur quęſita, primum eſt, Vtrum homo ſine gratia veritatem aliquam poſſit intueri. Alterum eſt, an ſine Dei gratia bonum queat operari. fol. 331.

Lectio CXXI.

In qua quęſita tria proponuntur, primum eſt, Num quodcunque mortale peccatum poſſit ſine gratia homo vitare. Deinde, Num diuina pręcepta adimplere; poſtremò, an ſe ad gratiam ſine ſpeciali dono, ſiue Spiritus ſancti motione poſſit pręparare. fol. 334.

Lectio CXXII.

Diſtinctionis XXIX.

In qua nouem ponuntur, concluſio primò; quęſtiones duæ ſecundò; reſponſiones tertiò; concluſio quartò; inſinuatio quintò; declaratio vnius authoritatis Gen. ſextò; ꝓpoſitio ſeptimò; dubium octauò; ſolutio nonò. fol. 338.

Lectio CXXIII.

In qua tria in dubium reuocãtur, & primò, Num in primo ſtatu homo indiguerit gratia. Inſuper, Num omnes habuiſſet virtutes; Demum, Num opera tunc magis meritoria, quàm nunc fuiſſent. fol. 341.

Lectio

Lectio CXXIIII.
Diſtinctionis XXX.
Quæ in octo puncta ſecatur; In concluſionem primò; In propoſitum pro probatione ſecundò; In concluſionem tertiò; In inſinuationem quartò; In duarum cuiuſdam hęretici difficultatum ſolutionem quintò; In propoſitionem ſextò; In quęſitum ſeptimò; denique in vnum notandum octauò. fol. 344.
Lectio CXXV.
In qua de tribus eſt ſermo; Primò de originali peccato, quantum ad quid nominis; Secundò quantum ad quid rei; Tertiò de modis, quibus in prolem tranſire dicitur. fol. 347.
Lectio CXXVI.
In qua de quatuor agitur, de culpæ originalis per comparationem ad veniale peccatum grauitate primò; de concupiſcentia ſecundò; de fomite tertiò; de actuali quarto. fol. 350.
Lectio CXXVII.
In qua duo quęſita ponuntur, primum eſt, an defectus, qui ſunt in nobis à natura eſſe dicantur. Inſuper, an quis in poſteros per originem tranſiens defectus culpæ nomen poſſit habere. fol. 353.
Lectio CXXVIII.
Quæ in tres diuiditur quęſtiones, quarum prima hęc eſt, Num originale peccatum iuſtitiæ originalis carentia ſit, vel quid aliud; Altera eſt, Num alimentum in naturæ humanæ conuertatur veritatem; Demùm, Num de alimenti ſuperfluo ſit ſemen. fol. 355.
Lectio CXXIX.
Diſtinctionis XXXI.
Quæ ſui prima diuiſione continet ſeptem in ordine. Concluſionem primò; quęſitum ſecundò; modum cognoſcendi, quo culpa originalis contrahitur tertiò; propoſitionem quartò; dubium quintò; nouam propoſitionem ſextò; probationem ſeptimò. fol. 358.
Lectio CXXX.
In qua tria quęruntur, & primò, Num per carnis originem originale peccatum cõtrahatur; Inſuper, Num miraculosè de primi hominis manu formatus quis originalem maculam contraheret; Demùm, Num originale peccatum habeat eſſe in eſſentia animæ, vel in potentia. fol. 360.

Lectio CXXXI.
Diſtinctionis XXXII.

In qua octo enarrantur; propoſitio primò; quęſita duo ſecundò; reſponſiones tertiò; concluſio quartò; duæ quęſtiones quintò; reſpõſiones ſextò; propoſitio altera ſeptimò; quęſtiones quatuor octauò. fol. 363.

Lectio CXXXII.

In qua tria continentur, Num primò tollatur originale peccatum in baptiſmo. Inſuper, Num ſit in nobis à Deo; Demùm, Num ab origine ęquales animæ. fol. 366.

Lectio CXXXIII.
Diſtinctionis XXXIII.

Quæ in nouem puncta diuiditur; In propoſitionem primò; In quęſitum ſecundò; In argumenta tertiò; In ſolutionem quartò; In concluſionem quintò; In dubium ſextò; In ſolutionem ſeptimò; In ꝑpoſitionẽ octauò; In difficultatem cũ ſolutione nonò. fol. 369.

Lectio CXXXIIII.

In qua tria in dubium reuocantur, quorum primum, an in filio peccata parentum redundent; Alterum eſt, an originale peccatũ vnum in vno, vel plura; Demùm, an cum ſolo originali peccato recedentes è vita ꝑſenti pueri de viſionis diuinæ carẽtia doleant. fol. 372.

Lectio CXXXV.
Diſtinctionis XXX IIII.

Quæ in octo puncta vſurpatur; In concluſionem primò; In probationem ſecundò; In peccati originem tertiò; In propoſitionẽ quartò; In probationem quintò; In nouam concluſionem ſextò; In probationem ſeptimò; In dubium cum ſolutione octauo. fol. 375.

Lectio CXXXVI.

In qua duo diſcutiuntur, nũ ſcilicet boni ratio quid abſolutum dicat, aut reſpectiuum; Inſuper, Num mali natura poſitiua. fol. 377.

Lectio CXXXVII.

In qua duo perpulchra quęſita examinantur, quorum primum eſt, an mali cauſa ſit bonum; Inſuper, an per culpæ malum animæ tota ad bonum habilitas corrumpatur. fol. 380.

Lectio CXXXVIII.
Diſtinctionis XVXV.

In qua nouem continentur; propoſitio primò; tres peccati finitiones ſecundò; concluſio tertiò; opiniones diuerſæ quartò; propoſitio quintò;

quintò; probatio ſextò; inſtantiæ tres ſeptimò; ſolutiones octauò; intentum concluditur nono. fol. 383.

Lectio CXXXIX.

In qua de multiplici malo fit ſermo; ſcilicet de malo naturæ, pęnæ, & culpæ. fol. 386.

Lectio CXL.

In qua tria quęruntur, Num ſcilicet ſufficiens fuerit illa diuiſio mali in culpam, & pęnam; Deinde, Num in aliquo actu conſiſtat peccatum; Denique, Num in actu exteriori. fol. 387.

Lectio CXLI.

Diſtinctionis XXXVI.

Quæ ſecatur in nouem ſecta; In quorum primò ponitur concluſio; In altero probatio; dubium cum ſolutione in tertiò; notandum in quartò; propoſitio in quinto; ratio in ſextò; concluſio in ſeptimò; notandũ pro ꝓbatione in octauò; recapitulatio in nono. fol. 391.

Lectio CXLII.

In qua tria quęruntur, Num peccati cauſa ſit primò peccatũ. Inſuper, Num pęna peccati peccatum; Denique, Num omnis inſit pęna propter aliquam culpam. fol. 394.

Lectio CXLIII.

Diſtinctionis XXXVII.

In qua continentur in ordine ſeptem; propoſitio primò; quorundam opinio ſecundò; concluſio tertiò; rationes duæ quartò; propoſitio quintò; determinatio ſextò; dubium cũ ſolutione ſeptimo. fol. 397.

Lectio CXLIIII.

In qua dubia tria ꝓponuntur; Primum eſt, Num actio peccati à Deo ſit; Alterum, Num Deus ſit actor mali pęnæ; Tertium, & vltimum, Num culpa magis rationem mali habeat, quàm pęna. fol. 399.

Lectio CXLV.

Diſtinctionis XXXVIII.

Quæ decem continet; Concluſionem primò; probationem ſecundò; illatum tertiò; inſtantiam quarto; ſolutionem quintò; concluſionem ſextò; dubium ſeptimò; cotrolarium octauò; concluſionem nonò; quęſitum pro probatione decimo. fol. 401.

Lectio CXLVI.

In qua examinantur duo, Num ſcilicet bonitas actus voluntatis à fine; Inſuper, Num intentio ſit voluntatis actus. fol. 403.

Lectio CXLVII.

In qua duo in dubium reuocantur, & primó, Num ſit actus idem voluntatis reſpectu finis, & eorum, quæ ſunt ad finem; Inſuper, Num bonarum omnium voluntatum ſit vnus finis. fol. 407.

Lectio CXLVIII.

Diſtinctionis XXXIX.

Quæ continet vndecim in ordine; Concluſionem primò; quęſitum ſecundò; reſponſionem tertiò; Alterum quęſitum quartò; dilutionem quintò; concluſionem nouam ſextò; dubium ſeptimò; ſolutionem octauò; propoſitionem nonò; quęſtionem decimò; opiniones duas pro reſponſione vndecimo. fol. 411.

Lectio CXLIX.

In qua dubia duo proponuntur, & declarantur; Primum eſt, an culpa per prius in ratione, an in voluntate ponenda. Alterum eſt, Num mala conſiderare malum ſit, vti eligere mala malum eſt. fol. 413.

Lectio CL.

In qua de malo quinque conſiderantur; Diuiſio primò; mali inclinatio ſecundò; permisſio tertiò; ordinatio quartò; cooperatio quinto. fol. 416.

Lectio CLI.

In qua de voluntate tria tangunt, bonitas voluntatis primò; qualitas eiuſdem ſecundò; intengritas tertio. fol. 419.

Lectio CLII.

In qua tria continentur; Dubium primò, Num voluntas ꝓ facto reputetur, notanda duo ſecundò; tres caſus perutiles tertio. fol. 421.

Lectio CLIII.

In qua tria principaliter declarantur primò; euidentia boni, tres dubitationes ſecundò; notandum tertio. fol. 424.

Lectio CLIIII.

In qua de bono increato graphicè q̃dē trib⁹ modis ſit ſermo. fol. 428.

Lectio CLV.

In qua poſt increatum bonum agitur primò de bono creato; Inſuper, difficultates duæ tanguntur, cū quibuſdā notatu dignis. fol. 431.

Lectio CLVI.

In qua duo non magno verborum apparatu declarantur; Primū boni ſignificata reſpicit; Alterum viam cognoſcendi, quo modo malum ſit in bono, & in quo bono. fol. 433.

Lectio CLVII.

In qua quatuor dilucidantur, & primò, quotuplex detur bonum; Secundò, quo modo per malum tollatur; Tertiò, quid malum culpæ auferat; Quartò, qualiter diminutio habilitatis ad gratiam diuinam fiat. fol. 435.

Lectio CLVIII.

In qua duo enodantur principaliter, & primò, ratio boni in quibus conſiſtat. Inſuper, hęc tria, ſcilicet, modus, ſpecies, & ordo, quæ omni bono conueniunt. fol. 439.

Lectio CLIX.

Quæ tria continet de bono, quadruplicem diuiſionem primò; quod vnum bonum ſit maius altero, & quot modis ſecundò; Inſuper, qđ vnum bonum eligibilius altero. fol. 443.

Lectio CLX.

In qua primò quęritur, an naturaliter voluntas bonum velit. Inſuper, pro parte negatiua arguitur; Tertiò notanda ponuntur; Quartò argumenta ſoluuntur. fol. 446.

Lectio CLXI.

In qua tria continentur, ſignificata conſcientiæ primò; quidditas, ſiue eiuſdem natura ſecundò; proprietates tertio. fol. 448.

Lectio CLXII.

In qua agitur de conſcientia duplici, ſcilicet, recta, & erronea, bona, & mala; Inſuper ſcrupuloſa, erronea, & mala. fol. 450.

Lectio CLXIII.

In qua tria declarantur; Significatum conſcientiæ primò; ortus, ſiue originatio ſecundò; actus conſcientiæ triplex tertio. fol. 452.

Lectio CLXIIII.

In qua tria tangũtur; Effectus conſcientiæ primò; quæ duobus ligat modis; In virtute cuius liget, declaratur ſecundò; quęritur tertio; num magis conſcientia obliget, an pręlati pręceptum. fol. 454.

Lectio CLXV.

In qua duo declarantur; Cauſæ primò, ex quibus conſcientiæ error cauſatur. Inſuper, quot modis ligare dicatur, & quo modo, vel quibus modis debeat intelligi ligatio conſcientiæ. fol. 456.

Lectio CLXVI.

Quæ quatuor continet; Diſcrimen primò; inter conſcientiam rectam, & erroneam, quo ad ligare. Quęſitũ ſecundò; Vtrum ſcilicet, pęna conſcientiæ ſit maior in damnatis, pęna ignis, vel pęna carentiæ di-

uinæ viſionis; Tertiò, cur laudabilis dicatur eſſe conſcientia recta; Quartò, quæ mala, & cur mala cenſenda. fol. 459.

Lectio CLXVII.

In qua diſſeritur, Num conſcientia ad intellectum, vel voluntatem pertineat. fol. 462.

Lectio CLXVIII.

Diſtinctionis XL.

In qua ſeptem continentur, concluſio primò; probatio ſecundò; propoſitio tertiò; quęſitum quartò; opiniones circa hoc variæ quintò; Magiſtri declinatio ſextò; cõcluſio cũ exemplis ſeptimo. fol. 465.

Lectio CLXIX.

In qua dubitatur primò, Num actus indiſſerens detur aliquis, arguitur ſecundò; notanda ponuntur quędam tertiò; Denique argumenta diluuntur. fol. 467.

Lectio CLXX.

In qua duo valdè notatu digna conſiderantur, quorum primum eſt, Vtrum aliquis inter meritum, & demeritum indifferens actus ſit dabilis; Deinde, Vtrum idem actus bonus, & malus eſſe poſſit, & quo modo. fol. 470.

Lectio CLXXI.

Diſtinctionis XLI.

Quæ vt intuenti patet, in ordine octo continet, concluſionem primò; quęſitum ſecundò; argumenta ad vtranq; partem tertiò; conſiderationem de bono quartò; propoſitionem quintò; dubium ſextò; nouam propoſitionem ſeptimò; notandum vnum pro probatione octauo. fol. 474.

Lectio CLXXII.

In qua duo ſcitu digna examinanẽ, & primò, an intentionẽ dirigat ipſa fides; Deinde, an oẽ peccatum dici debeat voluntarium. fol. 476.

Lectio CLXXIII.

Diſtinctionis XLII.

Quæ in partes diuiditur nouem, in concluſionem primò; In dubium ſecundò; In varias opiniones, circa dubium tertiò; In determinationem quartò; In concluſionem quintò; In quęſitum pro probatione ſextò; In propoſitionem ſeptimò; In peccati diuiſionẽ octauò; In enumerationem capitalium vitiorum nonò. fol. 479.

Lectio CLXXIIII.

In qua perbreuia quęſita duo ꝓponuntur, quorum primum eſt, num

interior,

interior, & exterior actus, ſint duo peccata; Deinde, Num in bonis ſint merita duo. fol. 482.

Lectio CLXXV.

In qua duo proponuntur, & primò, Num reatus pęnæ peccati actu tranſeunte remanere dicatur; Deinde, Num peccatorum radices, ſint benè in litera à Magiſtro asſignatæ. fol. 485.

Lectio CLXXVI.

In qua dubia duo proponuntur, quorum primũ eſt, an vitia capitalia, per illa ſeptem in textu à Magiſtro enumerata, ſint benè diſtincta; Deinde, an inter ſe paria, ſint cenſenda peccata. fol. 488.

Lectio CLXXVII.

In qua diſſeritur de duobus; de quidditate peccati primò; de ſeptem documentis circa peccatum occurrentibus ſecundò. fol. 490.

Lectio CLXXVIII.

In qua de duobus fit ſermo, & primò de multiplici cauſa peccati. Deinde quęritur, Num Deus posſit dici cauſa peccati. fol. 495.

Lectio CLXXIX.

In qua de grauitate peccati agitur, quæ ex tribus cognoſcitur, iccirco lectio in ſecta tria principalia diuiditur. fol. 498.

Lectio CLXXX.

In qua duo conſiderantur, quorum primum ſeptem comprehendit, ex quibus dicitur aggrauari peccatum; Alterum verò duodecim modos, quibus vnum peccatum altero maius reputatur. fol. 502.

Lectio CLXXXI.

In qua ſex modis peccatorũ varietas declarat̃, vt intuẽti patet. fol. 506.

Lectio CLXXXII.

In qua quinque narrantur modi, quibus mortale peccatum differt à veniali. fol. 510.

Lectio CLXXXIII.

In qua duo tanguntur, & primò, de mortali peccato documenta quinque. Inſuper mala tria à mortali peccato prouenientia. fol. 314.

Lectio CLXXXIIII.

In qua duo aperiuntur, quorum primum eſt, quot modis vnum mortale peccatum, alterius cauſa dicatur. Alterum eſt, quòd vnum peccatum ex altero quatuor modis oritur. fol. 518.

Lectio CLXXXV.

In qua duo dilucidantur, & primò, quo modo peccatum ſit cauſa pęnæ; Secundo vtilia documenta nouem de peccato. fol. 520.

Lectio CLXXXVI.

Diſtinctionis XLIII.

Quæ in ſectiones diuidi habet octo; In cõcluſionem primò; In rationes duas pro probatione ſecundò; In nouam concluſionem tertiò; In dubium quarto; In triplicem peccati in Spiritum ſanctũ deſcriptionem quintò; In dubium ſextò; In concluſionem ſeptimò; In notandum pro dilucidatione octauo. fol. 523.

Lectio CLXXXVII.

In qua tria aperiuntur, quidditas peccati in Spiritum ſanctum primò; varietas ſecundò; irremiſsibilitas tertio. fol. 526.

Lectio CLXXXVIII.

In qua duo quęruntur, & primò, Num peccatum in Spiritum ſanctum ſit concedendum. Inſuper, Num irremiſsibile. fol. 529.

Lectio CLXXXIX.

In qua tres modi narrantur, quibus irremiſsibile efficitur peccatum. fol. 532.

Lectio CLXXXX.

Diſtinctionis XLIIII.

Quæ in puncta ſeptem partitur; In concluſionem primò; In quęſitum ſecundò; In varias opiniones circa dubium tertiò; In concluſioné quarto; In propoſitionem quintò; In quęſtionem ſextò; In continuationem dictorum cum dicendis ſeptimo. fol. 534.

Lectio CLXXXXI.

In qua duo in dubium reuocantur, Num primò peccandi potentia ſit à Deo, Num ſecundo prælatio, & quęcunque alia dominandi poteſtas, à Deo. fol. 536.

Lectio CLXXXXII.

In qua ſcitu digna quęſita tria ponuntur, quorum primum eſt, Num Chriſtiani ſecularibus teneantur obedire principibus. Alterum eſt, an religioſi in omnibus ſuis teneantur obedire prælatis. Tertium, & vltimũ, & eſt lib. ſecundi finis, an Monachus plus teneatur, ſcilicet prælato ſuo, an Epiſcopo, ſeu Papæ. 539.

FINIS.

INCIPIT LIB[illegible]

[illegible]

INCIPIT LECTVRA FRATRIS IO. PAVLI PALANTERII

SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS.

In ſecundum librum Magiſtri ſententiarum.

CREATIONEM RERVM, ECT.

Diſtinctio I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Lectio I.

INterprętaturus vobis librũ ſecũdum Magiſtri ſent. de more meo ordinem ob oculos veſtros primò ponam: inſuper ad diuiſionem libri accedã: tertiò ſingula aperiam. Circa primum ordo huius libri, pendentiaquè à ſuperiori videtur eſſe talis. In ſuperiori libro cũ Magiſter ſent. egerit de rebus fruibilibus, nunc in hoc pręſenti ſecundo de rebus vtilibus, ſcilicet de creaturis verba facere intẽdit. Habita igitur pendẽtia, choęrẽtiauè cũ ſuperiori, modo noſtra dirigatur oratio ad diuiſionẽ libri; diuiditur itaq; liber iſte in ſegmenta duo, ſcilicet in proęmium, & tractatum. Proęmium primã continet diſtinctionem,

vbi detegitur ſcopus, intentio, & propoſitum Magiſtri, reſque conſiderata in genere, videlicet creationis opus. Tractatus verò incipit à diſtinctione ſecunda, de quo loco ſuo verba faciam. Enodaturus ergo vobis diſtinctionem hanc primam ſex declarabo, intentionem Magiſtri, errorem Platonis, diſcrimen inter creare, & facere, nouitatem creaturæ cum mutatione, Ariſtotelis errorem circa principia, tandē cur corporibus rationales animæ ſint vnitæ. Pro intellectu ſegmenti primi hęc cōcluſio ponenda. Deus mouens non motum, efficiens non effectum, agens, quod non repatitur, in temporis principio creauit cęlum, & terram, pręter ſui mutationē. An hoc verū, per illud Gen: probari de facili poteſt: In principio creauit Deus cęlum, & terram: Deus ergo omnium, tàm viſibilium, quàm inuiſibilium creator eſt, hinc ſecundo apparet Platonis error tria ponentis principia fuiſſe ab ęterno, & increata, ideſt ſine principio, Deum, exemplar, & materiam primam, & ex conſequenti, vir iſte Deum mundi creatorem minimè ponebat, ſed opificem, ſeu factorē, quòd patet ex hoc, quia mundum nō produxiſſet ex nihilo. Ex his pendet diſcrimen tertio loco inter creare, & facere: nam creare nil aliud eſt, quā ex nihilo aliquid facere; facere autem eſt aliquid ex pręiacenti materia producere, vnde, ne quis crederet mundi creationem in Deo ponere mutationem temporalem: propterea quarto loco ſciendum, quòd verba temporalia de Deo dicta, vt creare, facere, agere, & gubernare, nullam prorſus ſignificant in Deo nouitatem, nec mutationem: at ſolum nouum connotant circa creaturam effectum. Nec id mirum, nam ſi hoc in ſole videmus, ex cuius calore aliqua noua fiunt, ac

generantur,

generantur nulla facta mutatione in ipſo calore, ita ex Dei voluntate creaturæ incipiunt eſſe abſque Dei mutatione. His quinto loco additur Ariſtotelis error, qui plura poſuit principia, materiam, de qua libro primo de Phyſico auditu, formam, de qua in ſecundo Phyſicorum, & principium efficiens, tandem mundum ab ęterno fuiſſe eſt opinatus, qui omnes fuerunt errores luce ipſa ſolis clariores: nam in principio creauit Deus cęlum, & terram. Sed dicetis, ex quo Deus cuncta de nihilo produxit, cur in ſpecie rationales fecit creaturas? ad hoc dici poteſt, id totum eſſe factum, ad participandum ſuæ diuinitatis fruitionem. Rurſus quęretis, quęnā cauſa creationis aſſignari poteſt? certè nulla alia nobiliſſimi Auditores, niſi ſola bonitas creatoris, communicare potens, & volens, at minui non potens. His ſexto loco addenda venit cauſa, propter quam Deus humanam animam corpori vniri voluerit: Prima ergo cauſa immediata Dei voluntas fuit. Altera cauſa, ad oſtendendum eſſe poſſibilem Dei cum anima humana vnionem. Tertio, vt ſibi poſſibilem crederet beatificam fruitionem, nec non, vt glorificationem ſibi acquireret per animæ in corpore exercitationem. Tandem vt ꝓficeret ad maius meritum exiſtens in carne, quam ſi ſeparata fuiſſet. His ergo de cauſis Deus voluit animas rationales vniri corporibus. His pręmiſſis, Magiſter ſent. concludit in iſto ſecundo libro intentionem ſuam, quæ eſt, verſari circa triplex genus naturæ. V. g. circa creaturam ſpiritualem corpori non vnitam, cuiuſmodi Angelica eſt, & circa ſpiritualem corpori vnitam, vt eſt anima rationalis, & circa corpoream naturam tantum: & hęc de pollicitis.

DE DEO, ETC.

Lectio II.

MVlta in initio, medio, & calce prędeclaratæ diſtinctionis talia ſunt à Magiſtro ſent. quæ ſuperficietenus, ſi pertranſirem, mihi proculdubio quid vitio dari poſſet. Ne ergo vri nota poſſe vobis videar, in pręſentiarum hęc omnia perpendam. Deum, principium, creare, cęlum, terram, denique dubium cum ſolutione. Quo ad primum, iſte terminus, Deus ſex capitur modis, primo modo nuncupatiuè, ſiue abuſiuè, vt in Pſal. 95. Omnes Dij gentium Demonia: ſecundo accipitur adoptiuè, vt in Pſal. Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Sic quilibet Dei electus filius hoc modo per adoptionem dici poteſt. Tertio dicitur capi poſſe dignificatiuè, ſcilicet, pro hominibus in dignitate cõſtitutis, vt Exodi 32. Dijs nõ detrahes, ideſt Prelatis. Quarto poteſtatiuè, vnde dominus ad Moyſen Exodi. 7. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, ideſt poteſtatem dedi cõtra ariolos, & Deos Pharaonis. Quinto ſolicitudinaliter, vt Apoſt. ad Philip. 3. Quorũ Deus venter eſt: tales enim tantam de ventre habent ſolicitudinem, vt Dei obliuiſcantur. Sexto capitur eſſentialiter, ſiue naturaliter, vt ſic, Deus eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Hoc autem modo accipi ſolet quãdoq; perſonaliter, & hoc valde attendendum eſt in legendis, & exponendis ſacris ſcripturis, quãdo eſt actus eſſentialis, & quando perſonalis, habet enim diuerſam ſuppoſitionem terminus Deus in ſacra ſcriptura: nam aliquando ſupponit pro perſona diuina, aliquando pro eſſentia diuina cõmuni

tribus

tribus perſonis. Vnde Pſal. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lętitiæ. Primum, Deus ſupponit pro perſona filij. Secundum Deus ſupponit pro perſona patris, & illud Exodi: Audi Iſrael, quia dominus Deus tuus vnus eſt, ideſt eſſentia diuina vnica eſt, & indiuiſibilis. Et Auguſtinus in lib. de Trinitate, Deus eſt Pater, & Filius, & illud Gen. In principio creauit Deus cęlum, & terram, Deus ſtat eſſentialiter, eò quod creare eſt actus eſſentialis, & ſic toti conuenit Trinitati, inquantum Deus. Item quando dicitur Exodi 3. ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus ibi ſtat eſſentialiter, ſed quando dicitur Pſal. 2. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, Ego hodie genui te, ly Deus, ſtat perſonaliter, quia pro perſona patris tantum, eo quod dicere, & generare, eſt actus perſonalis, & notio ipſius patris, & ly ad me, ſtat pro perſona filij, ad quam loquitur pater. Prudens ergo lector, & fidelis attende tales locutiones, quando ſunt eſſentiales, & quando perſonales, & quia Pagani appellant etiam Deos Idola ſua, ideo ad differentiam falſorũ Deorum multoties in ſcriptura dicitur, Deus exercituum, Deus cęli, & Deus Iſrael; ad denotandum, quod iſte ſolus Deus verus eſt, & dij gentium ſunt dęmonia, & hęc ſatis de conſideratione huius termini Deus. Nunc fiat ſermo, de principio, quòd tribus pro pręſenti accipi poteſt modis, triplex enim eſt principium, eſſendi, fiendi, & cognoſcendi. Principium eſſendi dicitur illud, quod eſt principium alicuius ineſſe eius, vel quantum ad generationem, vel quantum ad crementum, vel quantum ad creationem; ſub quo ſenſu, Deus omnium cauſa, ſiue principium, à quo omnia ſunt producta in principio ſcilicet temporis. Fiendi verò

principium duplex, vt materia, & forma. Principium cognoſcendi duplex eſt: nam quandoq; ſumitur pro quodam euidenti ad demonſtrandum, & aliquando pro vera vna oratione, vt eſt videre apud Ariſt. in lib. primo Poſteriorum. Nunc agamus tertio de termino, creare, nam quandoq; ſumitur pro promouere ad dignitates, vt aiunt Canoniſtæ, dum dicunt, quòd Papa Cardinales creat: ſecundo ꝑ producere, largè tamen loquendo, vt Commentator tertio de anima. Intellectus creat intellecta, vel intellectionem: ſecundo capitur ſtrictè, ꝑ facere aliquid de nihilo mediatè, vel immediatè, ideſt ipſum, vel id, de quo factum eſt, ſic dicit Auguſtinus ſuper Ioan. quod ſegetes creantur. Tertio modo accipitur ſtrictius, & ſic eſt agens facere aliquid, poſtquam nihil fuit, quod poſſet facere ſine ſubiecto: Quarto modo capitur ſtrictiſſimè, & ſic eſt, Deum facere aliquod, poſtquam fuit nihil ſine concurſu agentis, quod neceſſario requirit paſſum, ſiue ſubiectum: & accipiendo creare primis duobus modis, q̀libet effectus creatur à Deo, quia omnis effectus producitur à Deo de nihilo ſecundum ſe, vel ſecundum id, de quo vltimo producitur, quia prima rerum productio fuit de nihilo. Sic uerũ eſt, quod dicit Magiſter, quod Deus eſt creator omnium, viſibilium, & inuiſibilium. Accipiendo verò tertio modo, ſolus, & omnis effectus ſimplex creatur à Deo, qui non requirit de neceſſitate ſubiectũ in agendo. Idem quoq; effectus generatur, & creatur, generatur à creatura, & creatur à Deo, Et quia hic ſermo de duobus, ſcilicet de Deo, & de creatura; notandum, quòd creatio duplex eſt, ſcilicet creatio actio, & creatio paſſio. Creatio actio diuinam dicit eſſentiam, & creaturam non

potentem

potentem exiſtere, niſi poſita diuina eſſentia, & dicitur creatio actio, quia Deus creator eſt, & creatura creata, quæ ſine Deo eſſe non poteſt. Creatio verò paſſiua dicit creaturam non potentē ſine Deo exiſtere, & diuinā eſſentiam, & eſt realiter creatura à Deo producta, quare creatio paſſio ſupponit pro creatura, & connotat eſſentiam creatricem. Nunc agamus de cęlo, quod eſt multiplex, nam dicitur de aeris inferiori regione, inde cęlum aerem, datur & cęlum æthereum, ſcilicet regio aeris ſuperior, quæ mouetur ad motum primi mobilis, ideo æthereum dicitur, quaſi ſemper currens. Cęlum Olympum dicitur inferior ignis regio ab altitudine cuiuſdam montis, qui dicitur Olympus. Cęlum igneum inſuper dicitur ſuperior regio ignis. Cęlum ſtellatum dicitur illud aggregatum ex ſpheris ſeptem Planetarum, & firmamento. Cęlum Chryſtallinū eſt primū mobile. Cęlum empyreū, in quo angeli, & beati. Cęlum tandem pro angelica natura. Quo modo Magiſter ſent. videbatur loqui adducendò Genes. authoritatem. In principio, &c. Quarto loco ſignificata terræ conſideranda, nam quandoquè ſumitur pro beatitudine, qua fruuntur electi in cęlo, quandoq; pro elemento, quandoq; pro ventre beatiſſimæ virginis. Iuxta illud. Rorate cęli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Tandem ſumi ſolet terra ꝑ materia prima. His ità diſpoſitis, nunc dicitur, quòd in principio Deus, ſcilicet eſſentialiter creauit, ideſt de nihilo cuncta in eſſe produxit, cęlū maximè, ideſt naturam Angelicam, & terram, ideſt materiam primā, in quibus verbis tangitur creaturarum excellentia, quia à Deo principio productiuo habent eſſe, ſed in tempore, ideo dicitur in principio.

 Inſuper

Inſuper faſtigij perfectio tangitur, quia cęlum, deinde depreſſio, vel impreſſio veſtigij, quia terram. Tandem, vt ſermo preſens terminetur noſter, dubium proponemus, illudq; è medio tollemus. Dubium originem trahit ex calce prędeclaratæ diſtinctionis, vbi Magiſter ponendo intentionem ſuam, ſe de tribus agere velle dicebat, ſcilicet, de Angelica natura, de anima rationali, poſtremo de natura corporea. Sed cur non pręmiſit naturam corpoream omnibus alijs, cum nobis magis nota eſſe dicatur? ad hoc dici poteſt, factum fuiſſe ſecundum ordinem nobilius, & perfectius, non ſecũdum ordinem quo ad nos, dum ergo Magiſter primo in genere tractat de his, ordinẽ doctrinæ ſeruat, dum ſecundo in ſpecie verba facit de natura Angelica ordinem ſecundum nobilius, & perfectius intuetur, non ordinem quo ad nos, qui à creatura corporali incipit: & hęc ſatis.

NVM CREATIO SIT POSSIBILIS? Lectio III.

*O*Rdinem, quẽ in prędictis ſeruauimus, vt ſeruemus, circa dicta Magiſtri, queſita duo excitabimus, & primo: Num creatio poſſibilis ſit: inſuper: Vtrum creatura ab æterno produci potuerit. Quantum ad primum, declinantes quidam ad negatiuam partem, ſic ratiocinantur. Actio, dicitur eſſentialius reſpicere ſubiectum, quã terminũ, vt Gilbertus author ſex principiorum teſtatur: atqui actio abſq; termino eſſe minimè poteſt, igitur nec ſine ſubiecto, quare nec creatio poſſibilis. Deinde,*

creatio

creatio videtur medium eſſe inter Deum creantem, & creaturam ipſam: at certum eſt, quod non eſt ſubſtantia, igitur accidens, tunc ſic, omne accidens ſubiectum requirit, ideo vocatur ens inhęrens, nõ ergo, his ſtantibus poſſibilis erit creatio. In cõtrarium ſe habet illud ſacratæ Gen. dum dicitur, In principio creauit Deus cęlum, & terram, poſſib.lis ergo; Pro determinatione huius negotij, quid nomen creationis importet conſiderandum, inde veritas ponenda. Vt ergo communiter loquamur, dicemus, creationem, actionem, importare, per quam aliquid ex nihilo in eſſe producitur: Quod tribus accipi poſſe modis intuenti patet: primo enim modo, ly Ex nihilo, materialiter, ſi ſumatur, tũc ſenſum hunc faciet, quòd nihil ſit rei productæ materia, qui ſenſus nullus eſt, quia quod nõ eſt, vt hic loquimur nos, nullius materia eſſe poteſt, materia.n. per Ariſt. primo Phyſicorum, illa eſt, ex qua aliquid fit, &c. Alio modo accipi poteſt ly nihil, vt ordinem dicit, tunc ſenſus erit, creaturas fieri. Ex nihilo, ideſt poſt nihil, ſic erit ordo affirmatiuus ad nihil, tanquam ad terminum à quo, ſub quo ſenſu, nos minimè loquimur in pręſenti. Supereſt ergo, quòd creatio dicatur eſſe de nihilo negatiue; quoniam nõ eſt de aliquo, nec in ratione ſubiecti, nec termini. Vnde ſicut non habet ſubiectum, ſic nec terminum, à quo, vel ex quo ſit, non enim motus, vel mutatio eſt, quæ ſunt à quodam in quoddam. Pręſuppoſita ergo poſſibilitate creationis, ad rationes adductas, difficile reſpondere nequaquam erit, dici itaq; poteſt: Ad primam, quod in materia peccet, nam minor eſt falſa, & ratio aſſignatur, quia omnis actio realis dicitur eſſe eadem cum ſuo termino, vel illa ſaltem, quæ ſine motu eſt, vt creatio, ideo ordinem

magis

magis habere dicitur eſſentialem ad ſuum terminum, quàm ad ſubiectum. Ad dictum verò Authoris ſex principiorũ, eſt dicẽdum, debere intelligi de actione naturali, quæ cum habeat ſubiectum, & terminum, ſupponit ſubiectum tanquam preexiſtens, non ob id terminum ſupponit, ſed producit, & hęc de primo argumento. Ad ſecundum reſponderi poteſt, negãdo maiorem, & ratio negationis aſſignatur, quia creatio inter Deum, & ipſam creaturam non ponitur medium, ſed eſt ipſamet creatura ſub reſpectu, ſiue denominatione reſpectiua ad dantem eſſe, nam creari idem eſt, quod ab alio habere eſſe ſecundum totum. Iam in hunc modum explanata prima perbreui queſtione, altera accedit, vbi queritur: Vtrum creatura ab æterno potuerit produci? pro parte negatiua vijs ſeptem ſolet argui; & primo ſic, omnis duratio inter duo nunc incluſa, neceſſario finita eſt, vti omnis linea, quæ inter duo datur puncta, finita eſt: atqui creaturæ omnis duratio neceſſario clauditur inter duo nunc: igitur, &c. Pręterea creatura, aut ſimul fit, & facta eſt, aut prius fit, deinde facta eſt, ſi dicamus, quod prius fiat, & quod poſterius facta ſit, tunc æterna eſſe minimè poſſet, quoniam aliquid prius ſe haberet duratione: at hoc impoſſibile eſt, igitur ab æterno creatura produci non potuit. Tertio ſic inſtatur, ſi creatura ab æterno fuiſſe ſupponatur, tunc de neceſſitate fatendum eſſet, quod nunquam fuit duratio precedens, ratione cuius exiſtentia eius impediri poſſet, ergo ipſa fuit neceſſario neceſſitate abſoluta, ita quod nec ex parte Dei, nec ex parte rei poſſibile fuit, cã non eſſe: at hoc ſapit hęreſim, non ergo, &c. Quarto ſic arguitur, omnis creatura de ſe habet non eſſe, ſi ergo ab alio habet eſſe, aut

ſimul

ſimul vtrunq; habebit, ſcilicet eſſe, & non eſſe, aut prius non eſſe, quàm eſſe non ſimul, quia implicat contradictionem, habet ergo prius non eſſe, quam eſſe, aut ergo natura, aut duratione, ſi duratione habetur propoſitum, quod non fuit ab æterno, ſi natura ſolum, igitur ſimul duratione: at tale æternum eſſe minimè poteſt: igitur, &c. Quinto inſtatur ſic. Verſio in nihilum creationi opponitur, quæ eſt ex nihilo, ſed omne anichilatum habet non eſſe poſt eſſe duratione, igitur omne creatum habet eſſe poſt non eſſe duratione, ſed tale æternum nequaquam eſſe poteſt: quare, &c. Sexto ſic arguitur, natura, & duratio in Deo idem eſſe dicuntur: atqui Deus neceſſariò res pręcedit naturaliter, ergo duratione: at nihil prius habens duratione æternum eſſe poteſt: ergo. Demum ſic vrgeo. Illud, quod de non eſſe ad eſſe deducitur, aptum natum nõ eſt eſſe coęternum ipſi principio, quod ſemper eſt, & ſine principio, ſed creatura ſic ſe habet, non igitur, &c. Circa quęſtionem hanc ſciendum eſt, creaturam ab æterno fuiſſe, duobus intelligi poſſe modis, vno modo, quod ſemper fuerit, nec ſuæ æternitatis cauſam habuerit, ſeu principium, quo modo ſecundum Philoſophum impoſſibile eſt, & ſecundum fidem hęreticum, velle aliquid aliud pręter Deum fuiſſe, vel ſaltem poſſe fuiſſe ab æterno; alio modo q̃d creatum ſemper fuerit non habens ſuæ durationis initium, habens tamen ſuæ æternitatis cauſam, & principium, quo modo non videtur poſſe negari, niſi ob diuinæ potentiæ defectum, vel ob creaturæ repugnantiam: primum dici minimè poteſt, quia diuina potentia ad omne poſſibile ſe extendit, neq; ſecundũ, quia talis repugnantia ex parte creaturæ non apparet: propterea, quid circa huiuſmodi

difficul-

difficultatẽ tenendum ſit, modi erunt diſtinguendi, quibus aliquid habet fieri, ſunt ergo quatuor in vniuerſo: nam quędam tantũ per motũ fieri dicuntur, V. g. vt aqua, quæ fit calida, per calefactionis modum, alia fiunt per mutationem ſequentẽ motum de neceſſitate, vt quando forma ſubſtantialis in materiam introducitur, per generationem ſequentem alterationem pręuiam, cuius ipſa terminus eſt, ſaltem extrinſecus. Tertio fiunt aliqua per mutationẽ quidem; motum ſequentem, ſed non per ſe, neq; ex neceſſitate. V. g quando noſtrum à ſole hemiſperium illuminatur, quam illuminationẽ præcedit motus localis ſolis, per quẽ nobis pręſens. Quarto modo fiunt aliqua non per motum, aut mutationem, ſed per ſimplicem emanationem, vt illa, quæ creantur: In his aũt quatuor modis fieri, & factum eſſe non eodem modo ſe habent, nam in illis, quæ fiunt per motum, factum eſſe, ſe habet ad fieri, ſicut eius terminus, & ſimiliter menſura ipſius facti, eſſe ad menſuram fieri dicitur ſe habere, vt eius terminus. In illis verò, quæ fiunt per mutationem ſequentem motum per ſe, idem eſt iudicium, nam vnum eſt propter alterum, V. g. motus precedens propter ſequentem mutationem. In his aũt, quæ fiunt per mutationem ſequentem motum localem accidit aliter, quia propter motum pręcedentem, res fieri non dicitur, quia per motum localem, nec acquiritur forma ſubiecto, nec aliqua diſpoſitio ad formam. At in illis, quæ fiunt per ſimplicem emanationem abſq; motu pręcedente, vt illa, quæ creantur, fieri, & factum eſſe ſimul ſunt, & vnũ. His pręmiſſis, ad argumenta reſpondendum, & primo, ad primum, quòd creaturæ duratio inter duo nunc fluentia, incluſa, finita eſt: at duratio creaturæ permanentis

non

non accipientis eſſe per motum, nec per mutationem motũ ſequentem, neceſſariò nõ includitur inter duo talia nunc, ſed menſuratur nunc ſtante, quod poteſt pluribus partibus temporis coexiſtere: quare talem durationem eſſe finitam non oportet. Ad ſecundum argumentũ dicitur, quòd creatura, dum creatur, ſimul fit, & facta eſt, quod non ſolum dicitur eſſe verum pro vno nunc fluente, ſed etiam pro nunc ſtante, quod toti tempori coexiſtere poteſt, & pręexiſtere. Ad tertium dicitur, quòd creatura, ſiue ſit ab æterno producta, ſiue ex tempore, ſemper liberè eſt à Deo producta, & non ex neceſſitate abſoluta, vt perperam ſupponebat argumentum. Ad quartum de facili reſpondetur, dum negatur, quòd creatura habeat de ſe non eſſe, quamuis de ſe non ſit ens eo modo, quo Deus eſt ens. Ad quintum, ſimilitudo interimitur de creatione, & verſione, nam verſio creationem ſupponit, ſed creatio nihil ſupponit. Ad ſextum dicitur, quòd licet diuina eſſentia, & eius duratio ſint idem, tamen ſimul eſſe natura cum Deo, & eſſe ſimul cum duratione, realiter differunt. Ad argumẽtum vltimum poteſt dici, quòd quamuis creatura ab æterno potuerit eſſe, nõ tamen coęterna æternitati creatoris, ſub quo ſenſu concedi põt argumentum, & ita q̄d ad queſitũ, diuerſaſq; authoritates dicendũ ſit, facillimè patet.

VTRVM ENTIA SVCCESSIVA POTVERINT ESSE AB AETERNO.

Lectio IIII.

DIgna duo conſideratione queſita à nobis in ſuperiori ſermone ſunt enodata, quibus duo alia addenda forent, at bre-

uitati inſeruiens vnum tantum proponam primo, arguam ſecundo, notanda porrigam tertio, & argumenta ſoluam quarto. Solet ergo (vt rem ipſam aggrediar) quæri: Vtrũ entia ſucceſſiua ab æterno potuerint eſſe. Quæſito ꝓpoſito, nunc ꝑ parte affirmatiua ſic ratiocinor, quandocunq; aliqua dantur eiuſdẽ rationis, tunc quod vni minime repugnat, nec alteri: at partes motus eiuſdem ſunt rationis, ergo cũ huic, vel illi non repugnet parti, habuiſſe ante ſe aliam, videtur, quod nec alicui parti motus, & ita ante quamlibet potuit alia eſſe, quare ab æterno infinitæ fuiſſent. Præterea, ſi cæli motus non poſſet ab æterno fuiſſe, hoc contingeret propter aliquod impedimentum: at hoc dici non poteſt: ergo. Minor ſic declaratur, quia vel impedimentum proueniret ex parte agentis mouentis, vel mobilis, vel ſpacij: at nullum horũ poteſt affirmari: ergo. Adhuc minor clara eſt, quia æternum, cum ſit mouens, tale impedimentum ſibi aſcribi nequaquam debet, nec hoc ex parte mobilis prouenire poteſt, quia æternum eſſe poſſet, nec ex parte ſpacij, tanquam ſit dare aliquod ſignum, à quo primo motus incipiat, cum cæli motus minimè rectus ſit, ſed circularis: nihil ergo videtur impedire, quin cæli motus potuerit eſse ab æterno. In contrarium ſe habet veritas, quæ eſt, quòd ſi motus cæli fuiſset ab æterno, infinitæ reuolutiones fuiſsent pertranſitæ: at hoc impoſſibile eſt, ergo & quod à principio quærebamus. Inſuper, ſi mundus ab æterno fuiſset, heri dies infiniti præceſſiſsent. ſimiliter, & hodie: at infinito nil maius eſt: quare, &c. Cum itaq; videatur motui, ab æterno fuiſse, repugnare, pars negatiua tenenda, & hæc de punctis duobus. In tertio notanda accipite, de ſucceſſiuis, quæ in duplici conſideratione di-

cuntur

euntur eſſe, quędam enim ſucceſſiua ſecũdum ſe dicuntur, quędam verò alia ſecundum accidens; exemplum primi, vt motus, quies, & ſimilia, illa ergo, quorum ratio eſt ſucceſſio, entia ſucceſſiua dicuntur primo modo. Exemplum modo ſecundi, V. g. vt homo, & ſimilia alia, quæ, quia habent eſſe in tempore, ideo ſucceſſiua entia ſecundum accidens nuncupantur. Nunc quarto loco argumenta diluenda, & erit finis. Ad primum ergo, maior propoſitio eſt concedenda, vt vera, ſi tamen diuiſim ſit capta, non enim videtur repugnare vni parti motus, habuiſſe alteram vnam ante ſe: at coniunctim impoſſibile eſt, quod omnes, quæ poſſunt ſequi, ſint ſecutæ: ergo, &c. Ad ſecundum argumentum dicitur, quod motus æternitas, licet non impediatur aliquo illorum impedimentorum, nihilominus negari non debet, quin ex natura motus non ſit impedimentum: motus enim, qui ordinem partium requirit, in quibus neceſſe eſt dare primam, & vltimam, in cauſa eſt, cur ab æterno eſſe dici nequeat: & hęc ſatis.

VTRVM CREANDI POTENTIA POTVERIT CREATVRAE COMMVNICARI.

Lectio V.

VT omnis obſcuritas propellatur à nobis, operepretium eſſe duxi hodierna die in dubium reuocare, num creandi potentia ipſi creaturæ potuerit communicari, & circa hoc quatuor faciam. Primo dubium proponam; Secundo arguam; Tertio notanda pręmittam; Quarto rationes adductas è

medio

medio tollam. Quo ad primum, queri ſolet, an creandi potentia creaturæ potuerit communicari? mihi ſanè videtur eſſe dicendũ, quod non, vt in hoc ſecundo puncto audietis, nam creaturæ minimè poteſt communicari, quod ſit primum agens, ergo neq; creandi potentia vtrunque patet, quia creatura: non eſſet tunc temporis creatura, ſed creator, quod non eſt dicendum: ergo, &c. Deinde ſic arguitur, ſuper infinitam diſtantiam non poteſt, niſi virtus infinita: at inter terminos creationis conceditur dari diſtantia infinita: ergo. Minor ſic declaratur, quia illa diſtantia infinita eſt, qua maior dari nõ poteſt, vt inter Deum, & non Deum, inter totum ens, & nihil: quare, &c. Deinde, inter ens, & nihil nulla proportio apparet, ſimiliter inter virtutem, quæ producit aliquod ens ex nihilo, & inter producentem ens ex ente, vna enim finita eſt, altera infinita: at hęc creaturæ nequaquam, vt infinita, cõicari poteſt: ergo, &c. In oppoſitũ, licet quid poſſet dici, quia tamen id totum potius cenſeo inutile, quam vtile fore, iccirco totum omitto, & ad ſegmentum tertium accedo, in quo notanda quędam continentur, & primo, quid ſit creatio, eſt enim (vt alias dictum fuit) alicuius productio nullo ſuppoſito, quòd bifariam habet intelligi, vno modo, quod nihil ex parte agentis ſupponatur, ſed creans ſolum ſuæ innitatur virtuti, ſub quo ſenſu fatentur oẽs creandi potentiam creaturæ nequaquam poſſe communicari; inſuper poteſt intelligi, quòd nil ſupponatur ex parte facti, licet creans innitatur priori agenti: & hoc adhuc duobus accipi poteſt modis, vno modo, quod creatio communicetur ſecundum totum ambitum, & hoc eſſe minimè poteſt, quia ſi hoc poſſet fieri, ſiue eſſe, tunc creatura omne

creabile

creabile creare poſſet, quod non admittitur. Alio modo poteſt intelligi, quod creatio, ſiue creandi potentia communicetur, quò ad aliquem ſpecialem effectum, & quantum ad hoc opinantur multi, quod talis creandi potentia nequeat communicari, loquẽdo tamen de creatione vniuocè aduerbialiter, non æquiuocè, quo ſecundo modo communicatur, dum dicitur, quod Papa ſit creatus. His ſic pręmiſſis, de facili reſpondere erit argumentis, & maximè primo, nam concludit de creatione vniuocè loquendo, non æquiuocè; primo enim modo creandi potentia creaturæ, vt agat nullo pręſuppoſito cõmunicari non poteſt: at agere nullo pręſuppoſito ex parte facti, benè poteſt alij à primo communicari. Ad ſecundum argumentum minor, vt falſa, interimenda venit, nam propriè loquẽdo creatio terminos non habet. Ad tertium cõceditur, quod inter ens, & nihil nulla ſit proportio, quia vnum eſt purè poſitiuum, alterum verò purè negatiuum: at poſitiui ad priuatiuum nulla datur proportio, & ita habet concedi, quòd creandi potentia non poſſit creaturæ ſub intellectu iam dicto communicari: & hęc pro pręſenti.

AN DEVS IN OMNI ACTIONE CREATVRAE IMMEDIATE AGAT.
Lectio VI.

ANtequàm ad ſecundam in ordine huius libri ſecundi ꝓperemus diſtinctionẽ, duo alia quęſita nobis examinanda occurrunt: Diuidatur itaq; pręſens lectio in ſegmẽta octo, in quorum primo dubium proponitur. Argumenta ſecundo,

do, notanda tertio, ſolutiones ſubſequatur quarto. Similiter quatuor eodem ordine conſiderantur in altero queſito, vt ſuo intelligetis loco. Queritur ergo primo, num Deus immediatè in omni actione creaturæ agat. Primo aſpectu videtur poſſe dici, quod ſic; nam vt vnitas ad numeros, ita Deus ad creaturam, ſed vnitas addita numero conſtituit numerum, V. g. quaternarium, ſi addatur ternario, ergo Deus cum alys agentibus dicetur producere omnem effectum, preter primum, quem producit per ſe ipſum: quare, &c. Preterea, veluti eſſe ad eſſe, ita agere ad agere: at creatura omnino non eſſet, niſi ei immediatè Deus adeſſet, creatura ergo nihil ageret, niſi Deus coageret. In contrarium extat illud, quod dici ſolet, ſi Deus immediatè ageret, creaturæ actio ſuperflua eſſet: at hoc dici non debet: quare, &c. Pro determinatione huius queſtionis, tertio loco eſt ſciendum, quod hec queſtio vnum ſupponit, & aliud querit. Deum enim agere ſupponit, deinde querit, vtrum in omni actione creaturæ immediatè agat. Omiſſis hic diuerſis circa materiam preſentem, opinionibus cum improbationibus, dicemus ea, quæ fiunt à Deo mediantibus cauſis ſecundis, immediatè neutiquam ab eo fieri, quo ſtante, nunc quarto loco argumẽta diluenda, & erit finis primæ queſtionis. Dicitur ergo ad primum in ordine de vnitate, quòd vnitas, ſui additione cum alijs numeris, numeros minimè cauſat, benè ipſa ſola ſui replicatione dicitur omnem numerum materialem cauſare, ita Deus immediatè omnia produceret, ſi virtutem alijs producendi non cõmunicaſſet. Ad ſecundum argumentum, ſimilitudo negatur de eſſe, & agere; nam eſſe cauſæ ſecundæ, puta intelligentiæ, vel corporis celeſtis, eſt immediatus

primæ

primæ cauſæ effectus, quæ eſt eius cauſa non ſolum immediata fieri, verum ẽt quo ad conſeruare in eſſe, & ideo cauſa ſecunda nõ eſſet, niſi à prima coexiſteret: at agere cauſæ ſecundæ, non dicitur eſſe immediatus effectus cauſæ primæ, quare minimè oportet, q̃d Deus ad talem coagat immediatè actionem, ſed ſolum mediatè, conſeruando naturam, virtutemq; cauſæ ſecundæ: & hęc de primo dubio. Subſequitur in ordine ſecundum, dum quęritur, vtrum Deo competat agere propter finem, vbi pro parte negatiua ſic primo arguitur; finis mouet agentem: at Deus agit, immobilis exiſtens, non ergo, &c. Pręterea, arguitur, ſi Deus ageret propter finem, vel propter finem alium à ſe, vel propter finem, qui eſt ipſe, hoc ſecundo modo dici non poteſt, Deum agere propter finem, quia habito fine ceſſat actio propter finem: at quia Deus ſemper ſe ipſum habet (vt ita loquamur) non eſt ergo dicendum, quod propter ſe agat, nec quòd propter alium finẽ à ſe, quia finis melior dicitur ijs, quæ ſunt ad finẽ, Deo aũt nil melius eſſe poteſt: ergo, &c. Pro quęſiti determinatione, ſcire debetis, in hoc ſegmento tertio quęſtionem hanc duobus poſſe concipi modis, vno modo: vtrum Deus agat propter finem, qui ſit finis ipſius agentis, alio modo: vtrum agat propter finem, qui ſit finis actionis diuinæ, & rei productæ per eam; Primo modo, quęſtionem intelligendo, dici poteſt, q̃d Deus minimè agat propter finem, quia finis melior eſt ijs, quæ ſunt ad finem, ſed Deo nil melius: ergo, &c. Si aũt ſecundo intelligatur modo, dicendum eſt, quod Deus agat propter finem, qui eſt ſua bonitas, quæ finis eſt omnium actionum Dei, & rerum productarum per eum. His ita poſitis, nunc ad argumentum primum eſt di-

cendum, quod finis mouet illum agentem, qui dumtaxat, de non volente fit volens, quod de ipſo Deo nõ eſt dicere, qui licet aliquid de nouo producat, non tamen voluntate noua, ſed æterna; immobilis ergo totaliter Deus, licet moueat. Ad ſecundum argumentum dici poteſt, quod Deus agat propter finem, qui eſt ipſe, & dum dicitur, quòd habito fine, ceſſat actio propter finem, habet hoc intelligi de proximo fine operationis, quæ vocatur, ac dicitur eſſe res operata, qua producta, producentis actio ceſſat, non tamen finis cõſeruationis, quia Deus ſemper conſeruare dicitur: & hęc ſatis.

QVAE CONSIDERANDA SVNT, ETC.
Diſtinctio II.
Lectio VII.

EXpoſituri ſecundam in ordine huius libri ſecundi diſtinctionem, continuationem primo ponemus, deinde ad diuiſionem accedemus. Ex quo ergo in genere de vniuerſi productione ſumus vna cum Magiſtro ſent. loquuti, conſequens eſt modo in ſpecie de eius partibus loqui, & hęc de continuatione ſiue nexu pręſentis diſtinctionis cum pręcedenti. Nunc hęc diſtinctio habet ſecari in puncta quatuor, in quorum primo naturæ Angelicæ tangitur productio; Inſuper, agitur de loco, in quo fuerit creata; tertio de eius qualitate; quarto dubium proponitur cum ſolutione. Quo ad primum, arbitror vna cum Magiſtro ſent. eſſe dicendum, Angelicã naturam, non quidem tempore, ſed benè dignitate naturæ ante omnia corporalia productam fuiſſe, quod con-

firmari

ſirmari habet ex illo Eccleſiaſtici primo, Omnium primo creata eſt ſapientia, ideſt angelica natura; nec hic tergiuerſandum venit, qđ illud dictũ de ſapientia æterna ſit intelligendum, vel increata, vti eſt in diuinis filius: in oppoſitũ enim ſe habet illud Gen. primo. In principio creauit Deus cęlum, & terram: vbi per cęlum habet intelligi natura angelica: quare, &c. At dicetis vos ingenio pollentes, ſi per cęlum, & terram intelligamus corporalia, tunc quo modo ſequetur id, quod prius dictum fuit, ſcilicet naturam angelicam prius eſſe productam corporali? Preterea, cum ſit oĩa ſimul à Deo ꝑducta, ut habetur Eccleſiaſtici cap. xviii. Qui viuit in æternum, creauit oĩa ſimul, quo modo angelica natura prius producta dicetur? Ad has tollendas, ſedandaſue difficultates autumo in medium diſtinctionem adducendam fore: dicamus ergo, ſimul tempore cuncta producta fuiſse, V. g. naturam angelicam, cęlum empyreum, tempus, & materiam quatuor elementorum confuſam, nec vnum alterum temporis duratione pręceſſiſse; Angelica tamen natura, licet tempore producta ſit, prius minimè, ſaltẽ dignitate dicitur pręceſſiſse; & hęc de primo puncto, in altero vbi ſit ſermo de loco, in quo angelica eſt producta natura, paucis dici poteſt, quod in cęlo empyreo, in quo beati reſident: & quia locus ille beatorum eſt, angeliq; creati beati, ſaltem beatitudine naturali, iccirco in cęlo empyreo productos fuiſſe fatemur, & hęc pro ſecundo puncto. In tertio agitur de natura angelicæ qualitate, vbi apertè declaratur ad mentem Magiſtri ſent. informem productam fuiſſe angelicam naturam, & licet ſecundum ſuæ naturæ habitum formata fuerit, informis tamen dici poteſt producta fuiſſe ſecun-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

dum habitum gratiæ, per quem habuit informari, perfici, ac ſtare. His tribus punctis declaratis vt quartum addatur, in hunc modum dubitabimus quęrentes, quodnam fuerit illud cęlum, in quod Lucifer aſcendere volens peccauit? Iam dictum eſt, quod in cęlo ſunt Angeli creati: vt ergo ſatisfiat à nobis huic difficultati, ſciendum eſt, quod hoc in loco per cęlum quodcunq; corporale ſit minimè intelligendum: at celſitudo diuina, ita vt ſenſus ſit, Aſcendam in cęlum, ideſt ad Dei æqualitatem, ſiue potentiam: & hęc de tota diſtinctione, quam in ſequenti percurremus lectione.

DE DISTINCTIONE RERVM CREATARVM IN GENERE, ET DE ANGELICA natura, nec non de cęlo in ſpecie. Lectio VIII.

QVoniam in prędeclarata diſtinctione erat ſermo maximè de cęlo, & de natura angelica: propterea in pręſenti hęc duo examinaturi, à ſummo Opifice Deo incipientes, primo loco de rerum diſtinctione verba faciemus; ſecundo loco propoſita manifeſtabimus. Quo ad primum ſupponentes, Deum eſſe cauſam efficientem, exemplarem, atq; finalem, dicimus, ipſum creaturas in triplicem diſtinxiſſe gradum, in quorũ primo poſita eſt corporalis tantum, in altero ſpiritualis, in tertio compoſita ex his: exemplum primi, vt elementa, exemplum ſecũdi, vt Angelus, exemplum tertij, vt homo. Quantum ad primum, elementa ſunt quatuor, ignis, aer, aqua, & terra; Ignis eſt cõſu-

mere,

mere, & incinerare, inſimilitudinemq; ſuam ſibi appropinquãtia conuertere; Inſuper eſt n um facere de centro ad circumferentiam; Preterea ardere, & in aliena materia lucere, deinde dura mollificare, & mollia indurare, condenſare lutum, & ſimilia, depurare vt in auro, & ea, quæ conſumit corrumpere, multaq; alia facere, ſed hęc in tantũ. Aer verò ſubtilis eſt, mobilis, perſpicuus, per inſpirationem, & reſpirationem caloris cordis temperatiuus, volatilibus decoratus, locus impreſſionum, manſio ſpirituum damnatorum, eſt & alterabilis, ſubtilis, leuis, atq; rarus, nec non illuminabilis. Aqua corpus eſt diaphanum, omnibus communis, in cryſtallum congelatur, Irim in nubibus cauſat, ſordes purgat, febricitantes ſua frigiditate, & humiditate delectat, lapides cauat, & ignem extinguit, deinde multa alia facit, quæ breuitatis gratia omitto. Terra inter alia elementa infima eſt, nigra, deſpecta, ponderoſa, rotunda, alijs elementis circundata, mater fructuum, radix plantarum, nutrix animalium, ædificiorum fundamentum, &c. Et hęc de natura corporali tantum. Accedit conſideratio ſecundo locò de natura ſpirituali, ſcilicet Angelica, vbi quid Angelus ſit, primo conſiderabimus, vt ad alia deinde accedamus. Angelus ergo ante eius, quod quid eſt grecè, latinè valet nuncius, eſt aũt triplex angelus, officio ſcilicet primo, & eſt quilibet nuncius miſſus à Deo ad homines, propter aliqua miniſteria implenda; & ita Angelus non ſolum dicitur de ſpiritibus Angelicis, ſed ẽt de hominibus, ſic Chriſtus vocatur magni conſilij Angelus. Vnde in Canone dicitur, Iube hęc perferri per manus ſancti Angeli tui, qui locus, vt exponit Innocentius, referente D. Bonauentura lib.

iii. debet intelligi de Chriſto; nam oramus per manus illius ſacrificium perferri, ideſt ipſius meritis, & precibus noſtrum ſacrificium Deo acceptari. Vnde ipſe eſt Pontifex, & aduocatus noſter. Eſt item Angelus dignitate, & ſic eſt ſacerdos conſecrans corpus Chriſti tandem dicitur angelus natura, vt eſt ſubſtantia: ſine materia, ſub quo ſenſu hic nos loquimur, & ſic à Damaſceno deſcribitur. Angelus eſt ſubſtantia incorporea, intellectualis, ſemper mobilis, arbitrio libera, Deo miniſtrans, gratia, non natura immortalitatem ſuſcipiens & ſubſtantia: incorporea ponitur pro genere, & accipitur incorporea ſtrictè pro ſubſtantia, quæ neq; eſt corpus in ſe, nec corpori vnibilis, vt forma, & per hoc excluditur anima intellectiua, tàm coniuncta, quàm ſeparata: dicitur intellectualis, ad excludendum quamcunq; naturam non cognoſcentem, poſſet enim Deus de nouo producere ſubſtantiam ſpiritualem nõ cognoſcentem, quæ per hoc non eſſet Angelus. Dicitur ſemper mobilis, & hoc, quantum ad tria: primo quãtum ad naturam, quia omne creatum vertibile eſt in nihilum, niſi manu omnipotentiæ diuinæ contineatur. Secundo quantum ad intelligentiam, mobilitatẽ enim habet intelligentiæ, quia licet in angelo non ſit viciſſitudo intelligentiæ, quo ad ſcita in verbo, cum Deiformem habeat intellectum ſecundum Dyoniſium: poteſt tamen in eo eſſe viciſſitudo intelligentiæ, quo ad diſcenda, & hoc eſt, quod dicit D. Auguſtinus, quod omne creatum habens intellectum intellegit vnũ poſt aliud; Item mobilis dicitur in voluntate Angelus, quia non ſimul vult hoc, & illud: dici ẽt poteſt mobilis ſemper, quãtum ad motum dilectionis. Dicitur arbitrio libera, non quãtum ad deflexionem ad bonum indifferenter,

differenter, & malum, ſed propter liberam electionem eorũ, quæ voluerit; vnde Angelus bonus ſemꝑ liberè eligit bonum, & Angelus malus liberè, & ſine coactione eligit malum: dicitur Deo miniſtrans, vbi tangitur cauſa finalis. Immortalitatem ſuſcipiens, non natura, ſed gratia diuina: quęlibet enim creatura de ſe habet vertibilitatem in nihil, & ita in nihil rediret, niſi à Deo conſeruaretur. Angelo deinde quatuor attribuuntur, ſcilicet eſſentiæ ſubtilitas, intellectus perſpicacitas, liberi arbitrij facultas, & diſcretio perſonalis. Nunc de cęlo fiat ſermo, quod habet in tres vſurpari partes, in cęlum ſcilicet Chryſtalinum, & Empyreum, & firmamentum. Intra verò firmamentũ, quod eſt cęlum ſtellatum, ſeptem cõtinentur orbes planetarum, qui ſunt Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mecurius, Luna. Iſtorũ aũt orbium natura eſt, quod oẽs mouentur excepto Empyreo, quod quietum eſt: nec mirum, quia tale eſt habitaculum beatorum ſpirituum, & Dei ſpecialiter ſedes nuncupatur. Hactenus ergo egimus de creaturarum diſtinctione in genere, deinde in ſpecie de natura angelica, & de cęlo. In ſequenti inquiram de qualitate naturæ angelicæ, & vlterius tendam.

NVM ANGELI IN GRATIA CREATI SINT. Lectio VIIII.

IN calce prędeclaratæ diſtinctionis audiuiſtis Magiſtrum de qualitate angelorum loquentem, ac dicentem, Angelos informes à Deo productos, pro cuius intellectu hodierna die,

quęſitum

queſitum vnum excitabimus, vt, quid de hac re tenendum, nõ ignoremus. Solet ergo queri; Vtrum Angeli in gratia ſint à Deo producti. Circa quam difficultatem extant duæ opiniones, vna eſt, quæ tenet, quod fuerint creati in gratia gratum faciente, alia eſt, quod fuerint creati in puris naturalibus, & quod non habuerint gratiam ab inſtanti creationis; nam primo natura angelica informis creata, & cęlũ dicta, deinde lux eſt appellata, ſed ſi formata, & lux appellata, cum hoc ſit à forma, quæ dicitur gratia, nõ ergo fuerunt in gratia primo conditi; deinde, nonne gratia hominem inclinat ad Deum? ſi igitur angelus in gratia creatus fuiſſet, certè tunc nullus à Deo eſſet auerſus, at multi auerſi ſunt, non ergo, &c. Deinde nonne gratia dicitur media inter naturam, & gloriam? ſed Angeli nequaquã beati fuerunt in creatione ſua, igitur nec in gratia, bene in naturalibus primo tantum creati, poſtea gratiam ſunt adepti, tandem facti beati: ergo. In contrarium videtur ſe habere D. Auguſtinus xii. de Ciuitate Dei, dum dicit, Bonam voluntatem quis fecit in Angelis, niſi illa, qui eos fecit cum ſua voluntate, ideſt cum amore caſto, quo illi adhærent, creauit, ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam: ergo, &c. Pro reſponſione, nec nõ determinatione queſtionis, quamuis ſuper hoc extent diuerſæ opiniones, quibuſdam enim videtur, quod in naturalibus tantum, &c. Quidam verò alij, quod in gratia, nihilominus probabilius apparet, quod omnibus ſit appoſita gratia, & omnibus concreata, & ea aliqui bene vſi ſunt, & alij eam deſeruerunt. Quo ſtante ad argumenta quid dicturus, audite: Primum nanq; argumentum de informitate illa angeli duobus poterit capi modis;

vel

vel per comparationem ad gloriæ formationem, vel collatiuè ad gratiam; ſi primo modo, habet concedi, quod tempore informitas precesſerit; ſi ſecundo modo, argumentum nullum eſt: nam informitas non precesſit ordine temporis, licet ordine naturæ. Ad ſecũdum dici debet, quod gratia inclinat quidem ſuum ſubiectum ſecundũ modum ſuæ naturæ: at modus naturæ eſt, liberè vt feratur in ea, quæ vult, ideo inclinatio gratiæ neceſſitatẽ minimè imponit, quare habens eam poteſt ea non vti, & ita peccare, vt in propoſito: propterea, ſi auerſi ſunt multi, hoc ex gratiæ defectu non accidit, ſed tantum ex mala voluntate. Ad vltimum argumentum ſic reſpondetur, quod quamuis gratia medium ſit inter naturam, & gloriam ordine naturæ, attamen ordine temporis in natura creata non debuit eſſe gloria cum natura, quia finis eſt ipſius naturæ, quãtum ad operationem, ſiue operationis eiuſdem per gratiam adiutæ: gratia verò non ſe habet, vt finis operationis, quia non eſt ex operibus, ſed ſolum vt principium bene operandi, quare ſtatim cum natura gratiam dare conueniens fuit: & hec de pollicitis ſatis.

AN CAELVM EMPYREVM SIT LOCVS CORPOREVS.
Lectio X.

QVoniam mentio facta fuit in proximo preterito ſermone noſtro de Celo Empyreo, iccirco hodierna die duo querenda de ipſo autumo, & primo. Vtrum locus corporeus debeat dici; inſuper, num in hec inferiora influentiam habeat

habeat. Circa primum quatuor conſiderandæ occurrunt: primo dubium: Inſuper: argumenta: deinde notanda: demum argumentorum ſolutio. Quo ad primum audeo dicere, Cęlum Empyreum nequaquam locum eſſe corporeum, nam cõtemplationi non debetur locus corporeus, quoniam contemplatio exiſtens in corpore aliqualiter abſtrahit: at Cęlum Empyreum beatorum contemplationi eſt deputatum, locus itaq; non poteſt eſſe corporeus. In contrarium ſe habet ven. Beda ſuper illo verbo Geneſis. In principio creauit Deus Cęlum, &c. Propterea tertio loco tria notanda erunt, an Cęlum ſit primo, deinde ad quid ſit factum, tandem quale ſit. Quantum ad primum, an ſit, dubitandum minimè venit, licet non extent rationes neceſſariæ ad hanc veritatẽ detegendam, nec effectus in his inferioribus appareant: ſanctorum enim authoritate, & maximè Bedæ, Cęlum Empyreum eſſe fatemur. Quantum ad ſecundum, ſcilicet ad quid productum ſit, dicunt quidam, eſſe factum principaliter propter vniuerſi ordinem: inſuper, vt beatorũ corporum eſſet locus. Quale verò ſit, difficile venari hoc minimè erit; nam cum beatorum locus ſit, ideo fatendum, quod lucidum ſit; Vnde dicitur Empyreum igneum. His ita pręmiſſis, nunc quarto loco ſoluenda venit prima ratio ſic, quòd ibi ſit verè locus contemplationis, nõ propter angelos, ſed benè propter homines, nec ẽt propter ſpiritum cõtemplantes, niſi quatenus eſt corporis actus, cui talis congruit locus, pro ſtatu ſuæ glorificationis, nec nõ ob adaptationẽ iam dictam, vt corporalia ſpiritualibus correſpondeant, & hęc pro primo dubio. Alterum in ordine non ſecus in puncta diuidi habet quatuor: nã primò dubitatur; ſecundò arguitur; tertiò

notanda

notanda ponuntur; quarto ſolutiones argumentorum. Queritur ergo, num cęlum empyreum aliquam actionem, ſiue in hęc inferiora influentiam habeat; mihi certè videtur, quod non, nam vt ſecundo cęli habetur, ob motum, & lumen, id eſt, & motu, & lumine cęlum dicitur agere: at cęlum empyreum minimè agit per motum, cum non moueatur, nec per lumen, quia non dicitur radioſum: quare, &c. In oppoſitum ſe habet illud, quod dici ſolet de loco, qui ſui locati conſeruatiuus eſt, & quia cęlum empyreum inferiorum corporum videtur locus, igitur conſeruatiuus eorum: at non conſeruat, niſi per aliquam actionē: ergo, &c. Hic ego duos poſſem circa materiam hanc modos dicendi adducere valde diſcordes inter ſe, verum quia de cęlo empyreo non loquimur, niſi per authoritates, iccirco hos ſub ſilentio relinquo, & ad primum argumentum diluendum me confero. Dico ergo, cęlum empyreum per lumen agere, eo modo, quo dixi. Ad argumentum verò in oppoſitum poteſt dici, quòd omnis locus conſeruatiuus ſit locati, quãdo illud, quod conſeruatur, dicitur ab alio pendere, vt à cauſa per ſe: at quia cęlum empyreum aliorum cauſa orbium minimè ponitur: inſuper, nec alij corruptibiles, ideo rationem conſeruantis, nequaquam habet, ſed ſolum continentis: & hęc ſatis.

AN IN AEVO SIT SVCCESSIO.
Lectio XI.

DVO *examinanda mihi ſe ſe offerunt hodierna die, quorum vnum ad æui ſucceſſionem pertinet, alterum verò ad identitatem nunc æui cum æuo. Solet igitur queri primò:*

primò: num in æuo ſit cõcedenda ſucceſſio: Preterea, an nunc æui idem poſſit dici, quod æuum. Circa primum videtur poſſe ſuſtineri, quod in æuo ſit poſſibilis ſucceſſio, illud enim, quod deficere poteſt ab eſſe, non habet ſimul ſuum totum eſſe, ſed angelus, cuius menſura dicitur æuum, ab eſſe deficere poteſt per ſubtractionem influentiæ diuinæ, non ergo ſimul ſuum habet totũ eſſe, quare in æuo ſucceſſio. Preterea, ſi in æuo non daretur ſucceſſio, tunc idẽ angelo eſſet fore, & fuiſſet: at Deus nõ poteſt facere angelum non fuiſſe, igitur nec poſſet ipſum facere nõ fore, hoc aũt falſum eſt: quare, &c. Inſuper, in eodem inſtanti contradictoria de eodem verificari non poſſunt: at, ſi totum eſſe ipſius angeli ſimul foret, vno menſuraretur inſtanti, ſic contradictoria verificari poſſent de eodem: at hoc falſum dicitur: quare, &c. Pro determinatione queſtionis, duo premittenda ſunt, quid primo nomine æui intelligatur: inſuper, quid ſit de veritate queſtionis. Quantum ad primum, æuum dicitur eſſe menſura, ſiue duratio eſſe creati, vniformiter ſe habentis ad rationem relatam, qua mediante, eſſe, cuius eſt paſſio, poteſt intellectus menſurare omnem exiſtentiam creatam, vniformiter ſe habentem. Secundum verò lyram dicitur æuum eſſe, quaſi medium inter æternitatem, & tempus, propter quod aliquando in ſcriptura ponitur ꝑ æternitate, eo quia medium participet naturam vtriuſq; extremorum. Vnde Eccles. i. ſcribitur. Intellectus prudentiæ eſt ab æuo, ideſt ab æterno, exponendo de ſapientia genita, ideſt de verbo, vel filio Dei, in quo ſupereminenter eſt notitia principiorum, quæ dicitur intellectus prudentiæ, eſt ab æuo, ideſt ab æterno. Aeternitas quippe caret principio, & fine, tempus aũt habet principium, &

finem,

finem, ſicut, & cęli motus, ſed ęuum tenet medium, quia habet principium, at ſine fine eſt, vnde ſecundum Dionyſium de diuin. non ęuum dicitur quieta, & tota ſimul vita, ęuum ergo angelorũ eſt, creaturarum verò duratio ad tempus, & æternitas Deo competit. Quæ tria ſunt diuerſa, quia entia quoq; diuerſa. Quantum ad ſecundum dico, quod in ęuo non eſt ſucceſſio, quoniam ibi eſſe totum ſimul eſt, in quo nec prius, nec poſterius apparet. Nunc ad argumenta accedo, & ad primũ dico, eſſe quidem poſſibile aliquid ab eſſe deficere, cum non habeat ex ſe eſſe, ſed ab alio, cuius influentia ſubtracta, tunc deſinet eſſe, non ob id in ęuo p ſe ſucceſſio. Ad ſecundum argumentum dicitur, quòd in angelo ſecundum ſe, non eſt fuiſſe, & fore, ſed ſolum ſecundum coexiſtentiam ad tempus, & licet fieri nequeat, quin angelus coexiſterit, poteſt tamen Deus facere, quod non coexiſtat alicui futuro, vel angelum anichilando, vel faciendo, quod nihil erit futurum, Deus ergo poteſt facere, angelum non fore, licet nequeat facere, quod non fuerit, & hoc non propter ſucceſſionem, quam habeat in eſſe, ſed bene propter coexiſtentiam eius ad temporis ſucceſſionem. Ad vltimum dici poteſt, contradictoria minimè poſſe verificari in eodem inſtanti fluenti de eodem: at eidem nunc inſtanti, & permanenti, benè contradictoria coexiſtere poſſunt, V. g. dum dicitur de Deo, qđ Deus creat, & Deus non creat, ita de angelo videtur poſſe verificari, eſſe beatum, & non eſſe beatum, & vtrunq; coexiſtit eidem nunc æui, quod menſurat eſſe angeli, licet alterum eorum, ſcilicet non eſſe beatum, æuo non menſuretur, nec id mirum, pura enim negatio illa eſt, cui propriè nulla menſura reſpondet. Enucleato his paucis

verbis

verbis iam primo queſito, ſupereſt videre: nũ identificentur nunc æui, & euum. Primo aſpectu videtur quod non, vti enim nunc temporis non eſt idem, quod tempus, ita nunc æui, & euum non idem, antecedens patet, quia nunc indiuiſibile eſt, & diuiſibile tempus: ergo. Circa materiam hanc extant variæ opiniones, quas ego conſulto dimitto, & pro queſiti dilucidatione dico, nunc æui, & euum idem eſſe realiter, & hoc eſt, quod hic queritur in propoſito, licet non idem ſint ratione. Nunc ad argumentum dicitur, quod aliter ſe habet nunc æui ad euum, quam nunc temporis ad tempus, nam tunc æui ab æuo differre non poteſt, niſi ſecundum rationem, quia in eſſe euiterni non videtur eſſe realis diuerſitas, nec nunc æui dicit priuationem vlterioris durationis, ſicut dicit nunc temporis, propter quod realiter differt à tempore, non ſicut indiuiſibile poſitiuum à continuo, ſed bene, vt priuatio vlterioris continuationis: & hec ſatis.

AN VNVM AEVVM SIT OMNIVM AEVITERNORVM MENSVRA CONCEDENDVM? Lectio XII.

ADhuc duo ad vberiorem doctrinam eorum, quæ tacta ſunt in ſuperioribus ſermonibus noſtris, proponenda queſita eſſent, verũ vt breuitati inſeruiam, in præſenti vnum tantũ percurram, quatuor declarando, nam primò dubium præmittam; ſecundò arguam; tertiò in medium notanda adducam; quartò rationes formatas diluam. Quæritur ergo, ex quo de ipſo

æuo

æuo verba fecimus in heſterna lectione, an vnum debeat concedi æuum, qđ ſit, vel poſſit eſſe menſura omnium æuiternorũ? dubio ſub hac verborũ forma propoſito, ad partem negatiuã declinantes ſic ratiocinabimur. Menſurabile, vt norũt oẽs, habet pendentiam à mẽſura realiter, ſed vnus angelus ab altero, quantũ ad eſſe ſuum, non dependet, ſed à Deo immediatè, non igitur vnius eſſe habet metiri per aliquid, quod ſit in alio, non itaq; vnum ęuum habet concedi, tanquam metrum, atq; menſura omnium æuiternorum. Inſuper, vt ſe habet tempus ad temporalia, ita ęuum ad æuiterna, ſed tempus, quod eſt menſura omnium temporalium, non dicitur eſſe in aliquo temporali, vt in ſubiecto, ſed in cęlo, quod eſt ęuiternum, & ſuper omne tempus: igitur, quod menſura eſt omnium æuiternorum, minimè erit in aliquo æuiterno exiſtens, ſed bene in aliquo ſupra omne æuiternum, & hoc Deus eſt. Vlterius ſic arguitur, ſi daretur vnum ęuum menſura omnium æuiternorum, procul dubio illud foret ęuum ſupremi æuiterni, quia primum metrum, ac omnium menſura eſt aliorum, vti motus eſt menſura oĩum: quare, &c. In oppoſitum ſe habet illud, qđ dici ſolet, ſicut vnum tempus omnium temporalium menſura eſt, ita vnum æuiternorũ omnium ęuum menſura erit. Pro reſponſione igitur, ac quęſiti determinatione, primò videndum eſt, quid ſit de ratione menſuræ, eſt enim de re menſurata certitudinem habere, ſiue quantũ ad quantitatem molis, ſiue virtutis, duplex enim quantitas datur, & molis, atq; virtutis, ſiue perfectionis. Nunc ad rationes formatas reſpondeãmus, & primò ad primam dicentes, quòd currit de menſura per ſe, & directè, quo modo vnum æuiternorum ęuum aliorum per ſe

menſura dici non poteſt, nec directè, ſicut cauſa; non ob id probat, quin poſſit dici menſura comparatiuè, & indirectè. Ad ſecundam rationem reſpondetur, quòd accidit tempori, vt eſt temporalium menſura, quod ſit in aliquo æuiterno: propterea non videtur ſequi, quòd cum oĩa æuiterna menſurans ſit in aliquo ſubiecto tranſcendente æuiternorum genus. Ad vltimam reſpondetur, concludere, niſi obuiet aliud, vnde licet detur æuiternum primum, illud tamen independens eſt, & improportionatũ: quare, &c. Ad argumentum verò alterius partis, ſimilitudo de tempore reſpectu motuum, & æuo reſpectu durationis æuiternorum, neganda venit, quoniam primus motus, cum quo tempus eſt realiter idem, eſt vniformior, & notior oĩbus ſub ipſo motibus. Pręterea, oẽs alij motus ſuæ durationis terminum accipiunt in ante, & poſt, vel ſecundum totum, vt ſunt motus, qui inueniuntur in oĩbus generabilibus, & corruptibilibus rebus, vel ſecundum partem, vt motus inferiorũ orbium, qui ſecundum ſui totalitatem non menſurantur, cum terminum motus non habeant. De duratione aũt æuiterni primi reſpectu aliorum non ita euenit, quantum ad conditiones menſurantis ad menſurabile; Et hęc ſatis pro pręſenti lectione.

AN ESSE REI GENERABILIS, ET CORRVPTIBILIS TEMPORE MENSVRETVR. Lectio XIII.

VT *quam primum ad ſubſequentem declarandam diſtinctionem accedamus, impręſentiarum difficultatem vnã excitabimus, quęrentes num eſſe rei generabilis, & corruptibilis,*

corruptibilis, tempore menſuretur. Dubio propoſito, nunc poteſt arguí pro parte negatiua, & primò ſic. Tempus ſucceſſiuorum menſura eſt, vt oēs fateri videntur, ſed in eſſe rei generabilis, & corruptibilis non videtur eſſe ſucceſſio: ergo, &c. Ex alio latere dicetis vos, ſi eſſe rei generabilis, & corruptibilis tempore non non habet menſurari, à quo ergo? non eſt dicendum, quòd æternitate, quæ ſoli Deo conuenit, habeat dimetiri, neq; æuo, quia angelorum menſura; ex conſequēti ergo debet dici, quòd tempore. Pro determinatione huius rei, ſciendum eſt illa, quæ menſurari habent, duplicē reſpicere quātitatē, vnā primo, qua formaliter in ſe quāta dicuntur, aliam ſecūdo, extrinſecā, qua ſcilicet metiri habent extrinſecè, & denominari denominatione extrinſeca, V.g. Pannus, qui ad vlnā metitur, quantitatē primo reſpicit intrinſecā, qua formaliter quantus eſt; Inſuper reſpicit quantitatē vlnæ, qua menſuratur ab extrinſeco; hoc idē poſſe dici de duratione in re videtur, prout duratiò in ratione quanti ſolet accipi, V.g. cale factio, vel frigefactio, quæ ſunt alterationes quędam rerū, ac corporū inferiorum, quandam vidētur habere quantitatem intrinſecam, quæ formaliter earum duratio dicitur tanta, circumſcripto quocunq; alio extrinſeco, deinde pręter hanc quantitatem extrinſecam, ſcilicet quantitatem primi mobilis, ſecundum quam habent metiri, ac menſurari menſuratione extrinſeca, penes quā denominationem, diurnæ, vel menſales, vel annuales, & ita de alijs dicuntur. Pręterea animaduertendum eſt, in generabili duplicem durationem dari, ſcilicet ſucceſſiuam, & non ſucceſſiuam, V.g. vt motus; illa verò non ſucceſſiua in quatuor diſtribuitur partes, vt puta in æternitatem,

nitatem, in ęuum, in nunc temporis diſcreti, & nunc temporis continui duratio verò ſucceſſiua adhuc; & ipſa in duas diuiditur, videlicet in continuam, & diſcretam, continua ad tempus continuum pertinet, ſucceſſiua diſcreta illa, quæ conſiſtit in receptione ſucceſſiua diuerſorum actuum in compoſitione circa idem ſubiectũ, quorum vnuſquiſq; indiuiſibilis eſt, ſicuti patet in actibus intelligendi, quorum vnus ſuccedit alteri, licet quilibet in ſe indiuiſibilis ſit, & iſta duratio pertinet ad tempus diſcretum ſolum, nec ibi ponenda venit quantitas ſolum diſcreta, quæ numerus eſt, ſi talis quantitas ſit in talibus actibus, verum ēt ibi ponenda eſt quantitas diſcreta, quæ eſt tempus; nam non ſolummodo ibi eſt dare plura, quia duo actus ſunt plures, quam vnus, & tres quam duo, ſed eſt etiam ibi dare plus, & minus durare, quod pertinet ad tempus. Nunc ad argumentum principale dici poteſt, quod tempus continuum bene per ſe menſura ſucceſſiuorum continuorum ſit, attamen per accidens etiam ea, quæ ſucceſſiuis coexiſtunt, menſurat, quorum initium, & finis, tempore extenduntur, quo modo eſſe generabilium, & corruptibilium menſurantur tẽpore, vt patet phyſicorũ quarto. Ad illud verò in oppoſitum dici poteſt propter cõcluſionẽ, quod ſit verum, licet ex forma arguendi procedat ab inſufficienti.

QVALES FACTI, ETC.
Diſtinctio III.
Lectio XIIII.

AGgreſſurus hodierna die libri ſecundi diſtinctionem in ordine tertiam, de more meo nexum in primis ponã; deinde

diuiſionem;

diuiſionem; Nexus talis eſt: ex quo in ſuperiori Magiſter ſent. verba fecit de angelorum productione, quantum ad extrinſecas conditiones, nunc conſequenter intendit de eiſdem pertractare, quò ad intrinſecas conditiones. Habito in hunc modum nexu, diuidi modo poteſt hęc diſtinctio in ſegmenta quatuor. In quorum primo quatuor nobis occurrunt conſideranda circa angelorum ꝓductionē; deinde duo dubia; tertiò, opinio cōtraria primæ, quartò conſideratio ex parte angelorum. Venio ad primi puncti dilucidationē, vbi quatuor conſiderationi noſtræ ſubijciuntur. Quorum duo pertinent ad eorum ſubſtantiam, V. g. eſſentiæ eorum, immaterialis ſimplicitas, & diſtinctionis eorum, perſonalis diuerſitas: Tertium verò ad eorum formam intelligendi ſpectat, & ecce perſpicacitas; quartum ad eorū poteſtatem, & ecce volendi libertas. Hęc quatuor, nobiliſſimi Auditores, oēs angeli in ſua creatione acceperunt, nō tamen ęqualiter, ſed diſpares creati fuerunt. Vnde ſicut ad differentem naturā in angelis ſequitur differens cognitio, ēt differens gratiæ collatio, nec non differens arbitrij libertas, vt in hoc primo videre eſt ſegmento. In altero contemplaturi, quo modo Angeli malitia cuiuſcūq; culpæ in ſua creatione fuerint deprauati, queſtiones duas proponemus, illaſq; diluemus; queritur ergo primo, num angeli ſint creati boni, vel mali; Deinde vtrum aliqua morula inter eorum creationem, & lapſum extiterit. Ad quas diluendas, Magiſter ſent. ſimul recitat quorundam opinionē dicentium, Angelos fuiſſe creatos malos, nec ibi morā fuiſſe inter eorum creationem, & lapſum. An hoc ſit verum, extat D. Ioannis authoritas, vbi Chriſtus dicit, diabolum homicidam fuiſſe, & in

veritate nõ ſtetiſſe. Hoc idem corroborari poteſt; authoritate Iob. vbi dicitur, quod diabolus eſt initium figmenti Dei ad illudendũ ei, quare, &c. Pro ſolutione authoritatum prędictarum, quid dicturus, audite: nam diabolus dicitur initium figmenti Dei, eo q̃ a Deus pręuidit, quando ipſum fecit, quanta bona de eius malitia prouenirent, cum ad eius tentationem ſancti proficerent. Similiter dicitur, ipſum in veritate non ſtetiſſe, quoniam à veritate cecidit, à qua minimè cecidiſſet, ſi in veritate creatus non fuiſſet; Vel dicatis, quod fuerit homicida ab initio conditionis hominis, quem per fallaciam ſeducendo occidit. hactenus de quatuor propoſitis, duas enodatas partes tenetis; ſubſequitur tertia, in qua opinio primæ contraria ponitur, omnes angelos, iuſtos, & bonos fuiſſe creatos, quantum ſcilicet ad mali carentiam, & iniuſtitiæ, licet non quantum ad gratiam cõſummatã; inſuper, inter creationem, & lapſum fuiſſe moram. Quæ opinio teſtimonio D. Auguſtini fulcitur, vt in textu Magiſtri patet; ratione quoque, quæ ſtat in hoc, probari poteſt. Quod cũ Deus ſit optimus, creatura mala per ipſum produci minimè poteſt, immo ſi angelum malum creaſſet, nequaquam eius malum puniret: quare, &c. Tandem accedo ad angelorum conſiderationem, & vnum notatu dignum dico, omnes videlicet angelos, ab initio ſuæ creationis, Deum, & ſe, & cęteras creaturas cognouiſſe, nec non quid appetendum foret, & quid reſpuendum intellexiſſe, tã enim boni, quã mali noticiam habuerunt, Deumq; & ſe naturali quadam dilectione dilexerunt, nõ tamen meritoriè, quia gratia eis non fuit addita, quæ meriti radix eſſe dicitur: & hęc pro prę ſenti ſatis.

AN

AN ANGELI SINT EX MATERIA, ET FORMA COMPOSITI.

Lectio XV.

IN prędeclarata diſtinctione erat ſermo de multis, & maximè de morulis, nam quęrebat Magiſter, num inter angelorũ creationem, & lapſum fuerit aliqua morula, pro quare adamuſſim intelligenda, hodierna die duo declarabo; primum ad morulas ſpectabit, alterum ad quęſitum, vt audietis. Circa primum, vt video, angelorum moræ videntur poni multipliciter poſſe, nam quidam tres ponunt moras dicẽtes, quòd oẽs in prima mora creati fuiſſent in gratia, & meruerunt, in ſecunda boni ſteterunt in merito, & mali ceciderunt, in tertia oẽs fuerunt in termino. Poſſunt ẽt poni quatuor moræ, & hoc dupliciter. Primò, quod in prima fuerunt oẽs in naturalibus: in ſecunda mali ceciderunt. In tertia bonis appoſita eſt gratia, & meruerunt: in quarta boni ſunt prę-miati, & mali damnati; Vel dicatis, qđ oẽs in prima mora fuerint in naturalibus: in ſecunda oẽs in gratia, & in tertia boni meruerunt ſtantes in gratia, & mali deliquerunt, in quarta fuerunt oẽs in termino. Ponuntur, & alio modo iſtæ moræ ſecundũ alios, quis aũt horum modorum ſit probabilior, D. Bonauentura inquit, ſecũdum opinionem catholicam veriorem eſſe tenendam, quod morula fuerit inter creationem, & lapſum, licet paruula, propter quam ſancti, & expoſitores, & ipſa ſcriptura loquitur de malitia diaboli, quæ ſemper fuiſſet in ea, quia illud modicum, quaſi pro nihilo, reputatur. Vnde dicitur Ioan. 3. Diabolus ab initio peccauit ideſt

ſtatim poſt initium. Angelis verò bonis pro magno merito aſcribitur, quod vicerũt prelium tentationum, de quo Apoc. 12. Factum eſt prelium magnum in celo, Michael, & Angeli eius pugnabant cum dracone, &c. Fuit enim peccatum malorum incentiuum tentationis in bonis, quam boni ad magnam eorum laudem vicerunt. De quo latius Gabriel, qui videtur fateri, tanquam probabile, qđ in primo inſtanti vniformes ſint creati angeli in ſtatu naturæ, ſiue gratia, in ſecũda mora erant vniformes in gratia, in tertia morula viæ mali multipliciter demeruerant, & boni multipliciter meruerunt, in quarta fuerunt in termino. Et hec de primo puncto. Poſt quod, querendum venit, num Angeli ex materia, & forma concreti? hic extant nonnullæ rationes ab angelis ſimplicitatem tollentes, compoſitionemq; ex conſequenti in ipſis ponentes, quarũ prima ſic ſe habet; Angelus, vel eſt materia, vel forma, vel compoſitum, in hec enim ſubſtantia diuiditur, ſed non poteſt dici materia, quia ſic eſſet potentia, non forma, quia hec eſt altera pars compoſiti, ergo compoſitum: quare, &c. Inſuper, illud quod eſt in genere, compoſitum eſſe videtur: at angelus ſic ſe habet: ergo, &c. Preterea, ex Auguſtino in libro de mirabilibus ſacræ ſcripturæ hoc idem oſtenditur, habet enim hec verba. D. Auguſtinus. Omnipotens Deus ex informi materia, quam prius de nihilo condidit, cunctarũ rerũ ſenſibilium, & inſenſibilium intellectu carentium, ſpecies multiformes diuiſit, materia ergo in omnibus: quare, &c. Deinde, alibi Auguſtinus angelos vocauit animalia corpore aerea, deinceps, Gregorius vocat angelos animalia rationalia, & Bernardus ait liquet omnem ſpiritum creatum corporeo prorſus indi-

gere

gere ſolatio: ergo, &c. In oppoſitum ſe habet Dionyſius de diuin. nomin. qui ait: Angelos omnino immateriales, & incorporales: Boetius ſimiliter, in libro de duabus naturis ait, quod natura incorporeæ ſubſtantiæ nulli innititur materiæ fundamento. Pro reſponſione ergo, duæ ſunt concluſiones ponendæ, quarum prima hęc: Angelus ex materia, & forma non eſt concretus, & ratio aſſignatur, quia anima humana partem ſui non habet materiam, igitur neq; angelus, qui anima perfectior eſt. Altera cõcluſio, licet angelus in genere ſit, quia limitatus, non ob id propriè debet dici cõpoſitus ex materia, & forma. His ita poſitis, nunc ad argumẽta reſpondendum, & primò ad primum, quod maior propoſitio debet intelligi de ſubſtantia tranſmutabili, non de abſolutè capta, vt hic nos loquimur. Ad ſecundum patet per idem. Ad tertium dicitur, quod Auguſtinus frequenter videtur ſequi illorum opinionem, qui angelos eſſe compoſitos dicebant. Ad quartum dico, quod iſdem Auguſtinus loquutus eſt ſecundum opinionem Platonicorum, non ex profeſſo. Illud verò Gregorij vocantis angelos animalia rationalia, debet intelligi ſecundum ſpeciem, quatenus ſcilicet in ſpecie humana apparent. Demum ad illud D. Bernardi poteſt dici, duplicem dari indigentiam, vnam, quò ad homines, aliam, quò ad angelos ipſos, primo modo loquutus eſt. D. Bernardus, dum dixit, angelos corporeo indigere ſolatio, ſcilicet quantum ad nos, non quò ad ipſos Angelos; & hęc de pollicitis ſatis.

AN

AN ANGELIS PERSONALITAS COMPETAT. Lectio XVI.

AVdiuiſtis in calce pręcedentis mei ſermonis, num angeli ex duplici natura poſſent dici cõflati. Nunc intelligetis: an perſonalitatis nomen, ſiue indiuiduationis, eiſdem competere queat. Diuidatur itaq; ſermo noſter in particulas quatuor, in dubium primò: in argumenta ſecundò: in notanda tertiò: deniq; in ſolutiones argumentorum. Quęritur ergo (vt rem aggrediar, an angelis perſonalitas, ſiue indiuiduatio cõuenire poſſit: mihi pro parte negatiua videtur eſſe dicendũ, quòd non, nam vt volunt quidam, forma videtur indiuiduari, ꝑ hoc, q̃ in materia ſignata recipitur: at angelus eſt forma per ſe ſubſiſtens ſine materia, ratio ergo indiuiduationis ipſi conuenire minime põt; Pręterea, diuinus Plato, formas, quas poſuit ſeparatas, vniuerſales eſſe dicebat, ſed angeli ſunt formæ à materia ſeparatæ, atq; ſemotæ: igitur, &c. Ex alio latere, quia dici ſolet, q̃ actiones ſunt ſuppoſitorum, & angeli aliqua agunt: ergo, &c. Pro determinatione huius difficultatis, tertio loco notare vnũ debetis cõſideratione maxima dignũ, ſcilicet indiuiduũ, perſonã, & ſuppoſitũ, aliquo modo idemtificari, & aliquo modo nõ, q̃ a differunt. Quęlibet .n. ſingularis natura, in quocunq; genere ſit, indiuidua nuncupari põt, ſuppoſitũ aũt nõ videtur dici debere, niſi ſingularis natura in genere ſubſtantiæ poſita, nec quęcunq; talis, at illa ſolum complexa; Perſona verò, illud idem dici debet in natura intellectuali tantum, quare omnis perſona erit ſuppoſitum, & omne ſuppoſitum eſt indiuiduum in ſe indiuiſum:

ſum: at non omne indiuiduum erit ſuppoſitũ, nec omne ſuppoſitum perſona. His ita poſitis, dimiſſa tot opiniones diuerſas de principio indiuiduationis, an ſit materia, an forma, an quantitas, &c. Hęc deitatem tamen pro pręſenti verum indiuiduationis principium affirmando fore; Ad argumenta verò ſic reſpondebo dicendo, qđ forma ſit commitanter indiuidua, non quia de ſe non ſit hęc, nam ab intrinſeco per ſe ipſam eſt hęc, non quia in materia recipitur, niſi ſub illo ſenſu primo, vt dixi. Ad alterum argumentum de facili poteſt reſponderi, ſi dixerimus, Platonem erraſſe, ſi tamen intellexit formas ſeparatas eſſe à rebus vniuerſali pręedicatione. Propterea, quantum ad hoc, multis in locis ab Ariſtotile reprobatur. Ad illud verò in oppoſitum, quod actiones ſuppoſitorũ ſunt, poteſt dici, hoc debere intelligi, de actionibus practicis, non de ſpeculatiuis: & hęc ſatis.

AN SVB VNA SPECIE PLVRES ANGELI? Lectio XVII.

NE ſicco videar velle pertranſire pede ea, quæ à ſcolaſticis circa naturam angelicam in dubium reuocantur, in pręſenti parte inquiram primò, num plures angeli ſub vna ſpecie queant inueniri, & eſſe: inſuper apponam argumenta, deinde notanda, demũ rationum ſolutiones. Circa primum, inſurgunt quidã pro parte negatiua, ſic ratiocinantes. Differentia penes formam, videtur eſſe differentia ſecundum ſpeciem: at angeli duo cum materia careant, neceſſariò dicentur differre ſecundũ formas

ſuas:

ſuas: igitur, & ſecundum ſpeciem, at, quæ ſic differunt, ſub eadem ſpecie eſſe contradictionem implicat, non itaq; plures Angeli ſub vna videntur ſpecie inueniri poſſe. Inſuper, vt habetur primo cęli, Deus, & natura nihil agunt fruſtra, verum, ſi forent plures angeli ſub eadem ſpecie, fruſtra dicerentur, non ergo, &c. Minor vt probanda, ſic declaratur, quoniam indiuiduorum plurificatio ſub vna ſpecie ſolet fieri ad conſeruationē ſpeciei: at in incorporalibus (quales ſunt angeli) ſpecies ſemper in vnico conſeruari poteſt, non igitur fruſtra ſub tali ſpecie indiuidua plura ponēda. In cōtrarium ſe habet illud, quod dici ſolet, videlicet, de ratione ſpeciei eſſe, quod de pluribus differentibus numero prędicetur, vel actu, vel aptitudine, cū aūt angeli ſint in genere, igitur in eis ſunt, vel eſſe poſſunt plures eiuſdem ſpeciei. Pro determinatione huius quęſiti, tria prę-notanda occurrunt, vnum de non repugnantia, alterū de numero, tertium de ſpecie. Quò ad primum, eſt ſciendum, quòd angelicæ minimè naturæ repugnat plurificari ſecūdum numerum in eadem ſpecie, & hoc, quia angelorum entitas, & vnitas, nec non pluralitas, immediatè dependet à Deo, vt à prima cauſa. Alterum ad numerū pertinet, datur enim numerus triplex, ſcilicet eſſentialis, accidentalis, & mathematicus; numerus eſſentialis eſt, qui neceſſariò conuenit rebus, ita quod ipſis manentibus, illa ſpecies numeri non poteſt de eis verè negari, & eſt rerum, quæ non poſſunt per ſe facere vnum, vt numerus trium angelorum; numerus accidentalis, eſt numerus ſignificatus per terminum numeralem, qui poteſt verè affirmari, & verè negari de rebus ipſis manentibus in eſſe, vt numerus duarum aquarum ſeparatarum, quæ ſunt duæ aquæ, & ſi

con-

confluunt, vel coniunguntur, non duæ aquæ, ſed vna dicuntur. Numerus mathematicus eſt ſuperior ad vtrunque. Ab alijs verò numerus dicitur eſſe duplex, ſcilicet numerans, & numeratus. Numerus numerans, eſt intellectus ſecernens partes multitudinis, quas numerat, vel ẽt conceptus, quibus numerat, illo modo Deus dicitur numerus. Vnde in Pſal. Qui numerat multitudinem ſtellarũ. Numerus verò numeratus, eſt res numerata, & talis adhuc dupliciter capitur, vno modo ſtrictè, alio modo magis cõmuniter, ſi ſtrictè ſumatur, tunc ad iſtũ tres requiruntur cõditiones, ſcilicet, quòd ſit multitudo quędam vno menſurata, & ideo numerus eſt multitudo ex vnitatibus profuſa, inquit Boethius: ſecundo, quòd talis numerus ſit qualibet ſua parte maior, vt ponit Dionyſius vltimo de diuin. nom. tertio, quod vnitates inter ſe ſint eſſẽtialiter diſtinctę, & ideo dicebat Boethius, vbi nulla eſt diuerſitas, ſcilicet eſſentialis, ibi nullus eſt numerus, & ſecundũ hoc, poteſt numerus deſcribi, quod ſit multitudo ex vnitatibus eſſentialiter diuerſis ꝓfuſa, quarum quęlibet minor eſt ea: ſecundo modo capitur numerus magis communiter pro qualibet pluralitate rerum diſtinctarum, ſiue eſſentialiter, ſiue accidentaliter, & ſic in diuinis numerus largè loquendo, concedendus, non primo modo, ibi enim non admittitur talis aggregatio, nec diuiſio ſubſtantialis, ſed benè numerus ſecundum diſtinctionem perſonarum ibi concedendus ſecundũ originẽ. Nos in ꝓpoſito intendimus de numero primo modo capto, ſcilicet eſſentialiter. Quantum ad tertium, ſpecies multis capitur modis, primo pro exteriori compoſitione, ſecundum quam quis dicitur pulcher, & ornatus. Pſal. Specie tua, & pulchritudine tua, &c.

&c. Secundo capitur pro forma dante eſſe ſpecificum, & ſic diſtinguitur contra materiam. Tertio pro quacunq; ſimilitudine repreſentatiua alicuius rei, quæ eſt ratio cognitiua illius rei. Vel capitur pro cognitione, vel notitia. Vnde Ariſt. 3. de anima, Lapis non eſt in anima, ſed ſpecies eius, ideſt cognitio eius. Quarto pro materia rerum, ſub quo ſenſu conſueuimus dicere, quòd in horto noſtro ſit ſpecies talis herbæ. Quinto pro æterna beatitudine, quæ eſt Dei viſio, vt dicitur in collecta Epiphaniæ, vſq; ad contemplandam ſpeciem tuæ celſitudinis perducamur. Sexto capitur ſpecies, vt eſt vnum de quinq; vniuerſalibus. Septimo eſt accidens partium orationis, ita accipiunt Grammatici. Octauo ſumitur pro imagine figurata, vel artificiali facta ad ſimilitudinem alterius. Nono capitur pro quocunq; ſigno viſibili, & ſenſibili diſtinctè repreſentatiuo alicuius rei viſibilis, & hoc ex inſtitutione diuina ſic accipitur, cum dicitur: Corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus, & in ſacramento altaris ſpecies ſunt albedo, & rotunditas illa, impreſſio imaginis alicuius figuræ, & ſapor panis, & vini. Demum ſumitur ſpecies pro eſſentia diuina. Nos hic tantum intendimus de ſpecie ſecundo modo capta, propterea dicimus ad argumenta, & primò ad primum, quòd peccat in materia, nam maior eſt falſa, videlicet, quòd omnis differentia ſecundum formam ſit ẽt differentia ſecundum ſpeciem, nam differentia, vt norunt docti, duobus poteſt conſiderari modis, ſcilicet ſecundum abſolutam formæ rationem, & tunc ſpecifica dicitur, alio modo ſecundum quod hęc forma eſt numeralis, & ſic hęc differentia poteſt eſſe in omni natura creata. Ad ſecundum argumentũ dici poteſt, quòd licet conſeruatio ſpeciei

ſit

ſit quędam cauſa, propter quam indiuidua ſub ſpecie plurificantur, non tamen eſt tota cauſa, quia tunc non multiplicarentur, vltra quã eſſet neceſſe ſpeciem conſeruari, quod minimè verum eſt, plurificatur ergo ob alias multas vtilitates, quas benedictus Deus prę-ordinauit prouenire ex eis, tàm in corporalibus, quàm in incorporalibus, & ita non debent dici fruſtra.

NVM ANGELI IN ALIQVO MAGNO NVMERO DEBEANT PONI. Lectio XVIII.

INter omnia, quæ maxima conſideratione digna eſſe videntur, volentibus de natura angelica verba facere, hoc vnum pręcipuè autumo eſſe, ſcilicet inquirere, num Angeli in aliquo magno numero ſint ponendi. Mihi ſanè dubio propoſito, videtur eſſe dicendum, quòd non, vt ad partem negatiuam declinem. Nam, vti euenit in corporalibus, ita & in ſpiritualibus, ſed in primis ſcilicet in corporalibus nobiliſſima corpora (vt cęleſtia) ſunt in minori numero, quam alia, igitur à ſimili, angeli, qui ſunt inter creaturas ſpirituales nobiliores, debent in minori numero poni, quàm animæ rationales. Pręterea, à prima cauſa, ideſt à Deo res, vt numeri, procedere dicuntur ab vnitate aliquo modo, atqui in numeris ad vnitatem accedentibus minor dicitur pluralitas, ergo in rebus ad primam accedentibus cauſam, quæ maximè vna, debet eſſe minor pluralitas, talis eſt natura angelica: igitur, &c. Ex alio latere, Dionyſius capite quarto de Angelica Hierar. in oppoſitum ſe habet,

bet, dum dicit, quòd intelligentiarum numerus omnem numerum ſubſtantiarum materialium excedit. Pro determinatione huius queſiti permultæ eſſent opiniones adducendæ, atq; notandæ, quas ego breuitatis amator, nec non veritatis indagator, libentiſſime omitto, & ad rationes formatas dirimendas me confero; Dico ergo ad primum, nihil prohibere, minorem eſſe angelorum numerum, quàm animarum, quæ fuerunt, quæ ſunt, & erunt, nam quotidie creantur, nec illæ, quæ prius creatæ ſunt, deſinunt eſſe corruptis corporibus: at angeli ſimul oẽs fuerunt creati: quare, &c. Et dum maior numerus angelorum ponitur, quàm corporũ cęleſtium, cauſa eſt, quia corpora cęleſtia ſolum ordinem ad inferiora habent ſecũdum eſſe naturæ, & in ratione actiui, propterea tot ſunt, quot ad agendum ſufficiunt: at angeli, pręter ordinem, quem habent ad corpora cęleſtia, vt intelligentiæ ſunt in mouendo ea: inſuper, alium dicuntur ordinem habere, quo ad eſſe gratiæ: quare, &c. Ad alterum in ordine ſecundum argumentum dici poteſt, quod in rebus maximè accedentibus ad primam cauſam minor debet eſſe pluralitas, quantum ad partes venientes in rei compoſitionẽ, ſicut euenit in binario, qui maximè accedit ad vnitatem, in quo ſunt pauciores vnitates, quàm in quocunq; alio numero, nihil tamen prohibet, quin in eis maior ſit pluralitas ſecundum ſpeciem, vel indiuidua, vel eiuſdem ſpeciei; ſunt etenim plures binarij, quàm nouenarij, ſimiliter plures poſſunt eſſe angeli eiuſdem ſpeciei: at tot ſunt, nec plures, quot Deus benedictus producere voluit ſecundum ſuæ ſapientiæ infinitæ ordinem mirabilem: & hęc ſatis.

AN

AN COGNITIVA POTENTIA ANGELI IDENTIFICETVR CVM EIUS ESSENTIA?

Lectio XVIIII.

IAM determinatum fuit à nobis ſuperius, ſi rectè tradidiſtis memoriæ veſtræ, quid tenendum eſſet de pluralitate angelorum ſub vna ſpecie. Inſuper, num in aliquo magno eſſent numero; Conſequenter hic duo alia proponenda erunt, & examinanda, deinde finis. Solet ergo queri primò: num angeli cognitiua potentia habeăt identificari cũ eius eſſentia; Preterea: Num angeli cognoſcant res per ſuã eſſentiam, vel per innatas ſpecies. Quantum ad primum, ſecundum nonnullos videtur eſſe tenendum, quod virtus, ſiue potentia intellectiua angeli realiter ab eius differat eſſentia, nã actus diuerſi, diuerſas quoq; arguunt potentias: at eſſe dicitur actus eſſentiæ, & intelligere potẽtiæ intellectiuæ in angelo, quæ non identificantur, quia intelligere non eſt ſuum eſſe, igitur nec cognitiua potentia erit ſua eſſentia: quare, &c. Huic primæ rationi altera additur deprompta ex Dionyſio xi. Cap. Hierar. Angelicæ, qui dicit, angelos diuidi in ſubſtantiam, virtutem, & operationem, igitur in ipſis aliud eſt ſubſtantia, aliud virtus, & aliud operatio. In oppoſitum deinde iſdem Dionyſius, & Damaſcenus pluribus in locis, cõſueuerunt nominare Angelos intellectus, & mentes: quare, &c. Pro reſponſione, quia nos pauca de angelis nouimus, & eorum cognitione, & illa pauca debemus conie-cturare ex conditione animæ noſtræ, quæ eſt de numero ſubſtantiarum intellectualium, quamuis in alio ordine infima, videtur pro-

pterea eſſe dicendum in preſenti queſtione, quod potentia intellectiua Angeli ſit realiter idem cum eius eſſentia, tum quia vna eſt angeli cognitio, tum ēt quia non eſt corporis actus ſed ſeparata, nō ergo debet dici, ꝙ talis potentia cognitiua Angeli differat realiter ab eius eſſentia; His itaque ita premiſſis, ad rationes adductas de facili reſpondebimus dicentes primo, ad primam, quod vnum ſupponebat falſum, videlicet, eſſe ab eſſentia angeli realiter differre, cum vnum, & idem ſint, ſiue ſumantur penes actum, ſiue ſecundum potentiam, vt ēt dictum fuit in lib. primo, diſtinctione viii. Ad illud verò decerptum ex Dionyſio dicēte, in angelis dari virtutem, ſubſtantiam, & operationem, reſpondetur, quod ob id hec realiter differre minimè fatetur, quare ratio nil contra nos concludit. Ad illud in oppoſitum patet ex ſolutione ſecundi. Expoſito primo queſito in hunc vt audiuiſtis modum, huic additur alterum dum queritur: num angeli cognoſcant res per ſuam eſſentiam, vel per ſpecies innatas. Primo aſpectu pro parte negatiua videtur eſſe tenendum, quod non, per ſuam eſſentiam, nam Angeli cognitio ſe habet ad ea, quæ ſunt: at cum eſſentia angeli limitata ſit ad certum genus, nec non ad certam ſpeciem, oēs res, repreſentare minimè dicetur, quare nec per ſuam poterit intelligere eſſentiam, deinde ſi angelus per ſuā intelligeret eſſentiam, ſemper actu oīa cognoſceret, videlicet ſe, & oīa alia, conſequens falſum eſt: ergo, & antecedens. Conſequentia manifeſtatur, quia ſi eſſentia angeli eſſet ei ratio repreſentans alia, cum angelus ſemper & actu, & perfectè ſuam cognoſcat eſſentiam, ſequeretur quod ſemper, & actu cognoſceret oīa alia, quæ ei per ſuam eſſentiam repreſentarentur, & ſic

iam

iam conſequentia patet. Deinceps, arguitur, vt habetur decima ꝓpoſitione de cauſis, quod oĩs intelligentia plena eſt formis, igitur non per ſuam videtur intelligere eſſentiam, ſed per ſpecies, quæ formæ ab alijs vocantur. Tandem Dionyſius habet, quod angeli illuminantur rationibus rerum, igitur res per earum rationes cognoſcunt, & non per ſuam eſſentiam. In oppoſitum videtur poſſe dici, quod non ſit minoris perfectionis intelligere, quam intelligibilia repręſentare: at angeli eſſentia quamuis finita ſit, intelligibilia oĩa intelligere poteſt: ergo, & ea repręſentare, non ergo negandum, quin angelus ſe, & alias valeat per ſuam res cognoſcere eſſentiam. Pro intellectu, atq; determinatione huius queſtionis, quędam pręmittenda occurrunt, & primo vnum de cognitione angelorum, de qua, & ſi plura ſcribant Doctores, tamen multa paucis ego perſtringam. Eſt aũt angelorũ duplex cognitio, ſcilicet matutina, & veſpertina, cognitio matutina illa eſt cognitio rerum in verbo, quæ eſt beatifica, cognitio verò veſpertina eſt cognitio rerum in lumine naturæ, Alex. Alenſis p. ii. q. xxiii. triplicem angelorum cognitionem diſtinguit, vna qua cognoſcit verbum, & ſe, ac creaturas ſibi in verbo relucentes. Vna indiſtincta cognitione, in lumine gloriæ, & beatificæ. Alia qua cognoſcit per ſpecies ſibi concreatas, Deum ſe, & alia. Tertia, qua cognoſcit per ſpecies à rebus cognitis acceptas, quam ipſe vocat cognitionem rerum in proprio genere, vltimæ duæ dicuntur cognitiones veſpertinæ, prima ſola matutina, quia iſta eſt cognitio in Creatore, qui eſt principium oĩs creaturæ, ſicut mane principium diei, ſequentes duæ dicuntur veſpertinæ, quia his cognoſcitur res in creatura, quæ de ſe

ad occaſum tendit, nec dicitur matutina, vel veſpertina per admixtionem tenebrarum ignorantiæ, ſed ex cauſa dicta. Alterum conſideratione dignum à primo prius poſito, reſpicit propoſitionem illam per, quæ duo denominare poteſt, vel principium intellectiuum, V. g. dum dicimus, hominem per intellectum intelligere, poteſt ly, per quandoq; ēt denominare illud, quod eſt ſubiecti repreſentatiuum, V. g. dum dicitur, quod homo intelligit cauſam per effectum, primum ſe habet ex parte intelligentis, alterum verò ex parte intelligibilis: primo modo ſoluta fuit in pręcedenti noſtro ſermone quęſtio, quando oſtendebamus, intellectum angeli, eſſe ſuam eſſentiam: inſuper, angelum per ſuam ſubſtantiam intelligere tanquā per principium intellectiuum idem cauſatiuum intellectionis, ſolum ergo quęſtio ſecundo modo dubia videtur: vtrum ſcilicet angelus intelligat oīa per ſuam eſſentiam tanquam per repręſentatiuum. His addo tertiò: angelorū cognoſcere ſe, & alia à ſe abſq; alio medio repręſentatiuo, nunc ad argumenta accedo, & ad primum dico, quod angeli eſſentia, ſi oīa non repręſentat, hoc prouenit, quia ipſa natura angelica non eſt aliorum ſub ſe cauſa, ſicut diuina eſſentia, nō itaq; hoc prouenit propter angeli limitationem ad certum genus, & ad certam ſpeciem, vt probat argumentum. Alterum in ordine ſecundum concludit, quod angelus non cognoſcit alia à ſe, per ſpecies, ſicut per ſuam eſſentiam. Ad tertium dicitur, quod nunquam fuit intētio Authoris de cauſis ſcilicet, quod in angelo, vel intelligentia ſint ſpecies, de quibus alij loquūtur, ſed cum ipſe fuerit Platonicus, poſuit tales formas eſſe in intelligētijs, quales Ideas poſuit Plato, quas ēt quandoq; formas vocauit. Ad illud

Dionyſii

Dionyſii patet per idem, dum enim angeli dicuntur illuminari rationibus rerum, hoc tanto fieri dicitur, quia ipſa cognitio eſt earum rerum illuminatio. Ad illud in oppoſitum dicitur, quod probat, q̄d angeli eſſentia per hoc, quod eſt ad genus limitata, & ad ſpeciem, nō impeditur, quin alias res poſſit repręſentare, licet harum rerum minimè cauſa ſit, vt eſt eſſentia diuina. hęc in tantum.

AN ANGELVS SINGVLARIA COGNOSCAT. Lectio XX.

VT nobis facilior via ad ſubſequentem pateat diſtinctionem enucleandam, hodierna ſum die duo in medium dubia propoſiturus. Quorum primum pertinebit ad angeli cognitionem; alterum verò ad eius potentiam. Quo ad primū, ne videar vos diu velle detinere, quęram. Vtrū ſingularia valeat cognoſcere angelus: Mihi enim primo aſpectu videtur, quod nō, & ratio, quæ me mouet, eſt iſta; nam infinitum quatenus tale, per Ariſtotilem 3. Phyſic. ignotū eſt: at ſingularia infinita dicuntur, quare angelus ea cognoſcere non poterit, minor declaratur ſucceſſiuè, licet actu infinitum minimè detur, vt hic nos loquimur. Deinde Angelus alia à ſe per eorum pręſentiam, vt alias viſum eſt, cognoſcit, ac intuetur: at ſingularia futura, ſaltem ipſi angelo pręſentia eſſe nequeunt, igitur nec ab eo cognita. Demum ſic inſtatur ex eo, quod communiter dicitur. Singulare eſt, dum ſentitur, & vniuerſale, dū intelligitur: at in angelo minimè ſenſitiua cognitio datur, ergo ſingularia minime cognoſcit. Ex alio latere, q a angeli

cognitio eſt perfectior, quã noſtra, & nos ſingularia cognoſcimus: ergo, &c. Inſuper? nonne miſſi à Deo in miniſterium at quo modo miſſi, niſi ſingularia intuerentur? ſingularia ergo cognoſcere angelos eſt fatendum. Pro reſponſione duo conſideranda occurrunt, quæ difficultatem facere videntur. Primum eſt, quodnam ab intellectu videatur eſſe primũ cognitum, quidam enim volunt eſſe ens, alij genus, quidam alij ſpeciem, demum ſingulare. Ad quas conciliandas opiniones ita dicendum, genus eſſe primũ cognitum ordine naturæ, & quo ad nos genus intermedium reſpectu ſuperioris, ens verò quantum ad communitatem, non adęquationẽ, ſpeciem verò ante abſtractionem, & ſingulare notitia ſenſitiua. Alterum conſideratione dignum, ſingularia reſpicit, quæ ſe habent in duplici differentia: quędam enim pendent quantũ ad ſuum eſſe, & fieri ſolum ex cauſis naturalibus, quędam verò alia dependent à libero arbitrio. Illa, quæ ſolum ex cauſis naturalibus dependent, ſi pręſentia ſint, infallibiliter ab angelo cognoſcuntur, nec alia eſt cauſa quęrenda, niſi quia ſunt ei pręſentia. At ſi ſint pręterita, vel futura contingentia, vel neceſſaria, adhuc dicuntur cognoſci ab angelo infallibiter in cauſis ſuis, licet nõ in ſe, de ſingularibus verò à libero arbitrio pendentibus eſt maior difficultas, circa quam duo occurrunt conſideranda, vnum eſt, quod talium ſingularium, quędam futura ſunt, quędam verò pręterita, & pręſentia quędam. Alterum eſt, quod liberum arbitrium reperitur in Deo, in angelis, & in nobis, vnde futura, quæ ex ſolo libero arbitrio diuino dependent, ab angelis cognoſci minimè poſſunt, quid ſint, & an ſint (niſi per reuelationem) His ita poſitis, ad argumenta nunc propero, &

ad

ad primum dico, quodlibet ſingulare ſecundum ſe finitum eſſe, licet ſucceſſiuè tendere poſſint ſingularia in infinitum, accipiendo vnum poſt aliud. In eo ergo, quod finita ab angelo ſunt cognita: at ſucceſſiuè aliter dicendum. Ad ſecundum argumentum dici poteſt, quod ſingularia futura, licet angelo ſecundum ſe pręſentia minimè ſint, attamen ratione ſuarum cauſarum naturalium, in quibus exiſtunt, pręſentia ſunt, & ſic ab angelo cognoſcibilia dicuntur. Ad tertium argumentū deſumptum à Boethio, dici poteſt, qđ intentio Boethij non fuit, quod intellectus ſingularia cognoſcere nequeat, ſicut, & ſenſus, ſed quod vniuerſale non cognoſcitur, niſi per ſolum intellectum, & hęc de primo quęſito. Poſtea quęritur. Num intellectus angelicus dici poſſit eſſe quandoq; in potentia; mihi videtur, quod ſic, multa enim ſcire contingit, intelligere verò vnum ſolum, vt habetur lib. ſecundo Topic. ſed angelus non ſimul omnia intelligit, vnum ergo intelligendo, non ſimul oĩa intelligit, quare vnum percipiendo, in potentia dicetur eſſe ad alia intelligenda. Pręterea, intellectus, qui quandoq; non eſt in potentia, ſed ſemper in actu, dicitur actus purus: at nullus intellectus talis eſt, niſi diuinus: quare, &c. In oppoſitum ſe habent illi, qui dicunt, omnem naturã intellectiuam, quandoq; in actu, & quandoq; in potentia exiſtentem intellectū agentem, & poſſibilem habere: at in Angelos hos duos nequaquam diſtinguimus: quare, &c. Hic pro determinatione multa de actu, atq; de potentia dicenda forent, verum quia ſatis abūdè in notitia animaſtica hęc ab Ariſtotile ſunt declarata, iccirco illa omitto, & ad rationes ſoluendas deuenio, & ad primã dico, ſcilicet ad minorem, qđ angelus, licet oĩa ſimul non intelligat

 ſimultate

ſimultate ſitus, nihilominus ſimultate ordinis, intelligendo vnum, alia quoq; intelligit, quæ continentur ſub vno ordine, qualiter ſunt omnia naturaliter cognita ab angelo. Ad ſecundum argumentum dicitur, q᷉d nullus, niſi diuinus intellectus datur, qui non ſit quandoq; in actu, & quandoq; in potentia ad ea intelligendum, quæ dependent à libero arbitrio, nec non ea, quæ per reuelationem ſciuntur: & hęc ſatis.

AN PERFECTOS, ET BEATOS CREAVIT DEVS ANGELOS, ETC.

Diſtinctio IIII. Lectio XXI.

SE ſe mihi hodierna die offert diſtinctio in ordine huius libri ſecundi quarta exponenda, circa quam verſaturus de more meo continuationem primo ponam, deinde ad hanc diciden-dam accedam. Quantum ad primum, ex quo Magiſter ſent. verba fecit, de angelorũ conditionibus, & hoc quantum (vt bene noſtis) ad inchoationis ſtatum, conſequenter ſibi proponit agere de eorundem conditionibus alio, & alio reſpectu, quo ſcilicet ad continuationis ſtatum. Habito paucis verbis nexu, ad diuiſionem nunc accedo: diuidi enim poteſt hęc perbreuis, facilis, & vtilis diſtinctio in ſex puncta. In quorum primo dubium proponitur. In altero propoſitio. In tertio concluſio. In quarto diſtinctio. In quinto applicatur propoſito allata diſtinctio. Demum propoſitũ concluditur, & diſtinctio clauditur. Circa primum punctum verſaturi, cum

via indagandi veritatem videatur eſſe modus dubitandi, iccirco primo loco dubitat Magiſter. Num angeli ſint creati beati, vel miſeri, perfecti, vel imperfecti. Dubio propoſito, videtur declinare ad partem negatiuã dicendo, nullos angelos eſſe productos miſeros, vel beatos, quod non miſeri, queſo audite, nam dato quod ſic, hoc maximè verum videretur eſſe de malis angelis, atqui illi nequaquã miſeri ſunt creati, quia non in peccato producti: igitur. Nec etiam affirmari poteſt, quod ipſi demones fuerint creati beati: nam ſui ſtatus certitudinem non habuerunt, nec ſuum caſum preſciuerunt. Quod etiam beati angeli minimè fuerint creati, ex hoc patere põt, quia ante lapſum nulla fuit bonorum angelorum diſtinctio à malis, tàm enim boni, quàm mali ſui ſtatus fuerunt incerti. At hic video vos ingenio preditos, ſeptos, atq; ornatos, dubitare poſſe, occaſionẽ nactos ex verbis Magiſtri ſent. in preſenti dicentes. D. Auguſtinus circa materiam hanc angelorum videtur velle, quod boni ſtatum prenouerint ſuum, & mali non: quare, &c. Ad hanc difficultatem poteſt dici, quod D. Auguſtinus id dixerit inquirendo, non aſſerendo, & ita primum iam remanet clarum punctum. Accedit ſecundo hec propoſitio, quod angeli mali ſuum caſum, & boni confirmationem non preſciuerunt ſuam, vt ex dictis precedentibus patet, non eſt ergo, quod velimus multum inſudare ad huius præmiſſæ propoſitionis manifeſtationẽ, quare tertio loco (hac omiſſa) concluſio talis nunc proponenda. Angeli tàm boni, quàm mali ante bonorum confirmationem, & malorum lapſum, omnem pro illo tempore perfectionem eis congruentem habuerunt, quam, vt probemus, confirmemuſuè, in quarta ſede perfectionis triplicem adnotabimus

notabimus diſtinctionem; triplex enim eſt, quarum prima penes tempus ſumenda, altera ſecundum naturam, tertia, & vltima ſecundum omnium bonorum abundantiam vniuerſalem. His premiſſis, in quarto loco ſubſequitur applicatio facienda propoſito in hoc quinto ſegmento. Dici ergo poteſt, primam oẽs angelos mox creatos habuiſſe, quoniam nihil perfectionis conueniebat eis pro tempore illo, quod non habuerint. Secundam verò omne illud includentem, cuius natura capax eſt, mox creati non habuerunt: at in gratia ſtantes, illam perfectionem acceperunt in gratia confirmati. De tertia, & vltima nil dicam, quia nemo hanc habet, nec habere poteſt, preter Deũ benedictum. Et hec de quinq; particulis noſtri ſermonis. Vltima ſupereſt, vbi Magiſter ex diſtinctione allata uidetur concludere, quodam modo angelos fuiſſe perfectè creatos, videlicet quo ad illius temporis perfectionem, & quodam modo non perfectos, ſcilicet quo ad naturæ perfectionem, nullo tamen modo perfectos, quo ad tertiam perfectionem vniuerſalem oĩum bonorũ abundantiam vniuerſalem includentẽ, & ita ſermo, nec non preſens ad Dei Opt. Max. laudem clauditur diſtinctio.

AN BEATI, VEL MISERI SINT CREATI ANGELI.

Lectio XXII.

C*Irca predeclaratam diſtinctionem ſacri Theologi conſueuerunt tria in dubium reuocare, querentes primo. Num Angeli fuerint beati, vel miſeri creati. Preterea.*

Num

Num oẽs in gratia producti. Tandem, num boni Angeli ſuæ confirmationis fuerint preſcij, & mali ſui caſus, ſiue lapſus. Quantum ad primum, ꝓ parte affirmatiua ſic arguitur, Beatitudinis eſſentia in Dei viſione uidetur conſiſtere, Ioannis xvii. Hęc eſt uita ęterna, vt cognoſcant, &c. At angeli in principio creationis ſuæ, Deũ uiderunt, alioquin matutinam cognitionem non habuiſſent, quæ eſt cognitio rerum in verbo: ergo, &c. Deinde, Deũ cognoſcere per eſſentiam, & abſq; vllo medio beatorum ſolum eſt: at angeli ex ſolis naturalibus Deum cognoſcunt abſq; medio: quare, &c. Pro reſponſione queſtionis ſciendũ eſt, tàm hominis, quàm angeli beatitudinem in intellectus, & uoluntatis operatione conſiſtere, ſed diuerſimode; nam initiatiuè in intellectu, & terminatiuè in uoluntate, & hęc duplex eſt, vna, ad quam ex naturalibus poſſunt attingere, alia, quam non aſſequuntur, niſi ex dono ſuperioris naturæ, ſi de prima volumus loqui, dicendum eſt, quòd in ea, vel cũ ea ſint producti angeli, & ratio aſſignatur, quia per hoc fit intellectus in actu ſecundo: at ſi de beatitudine ſecũdo modo capta loquamur, aliter dicendum; pręterea quia hic eſt ſermo de beatitudine, quęſo quid ſit, audite: nam eſt hominis optimum bonum. Vel beatitudo eſt bonum glorioſum, copioſum, & delitioſum, quòd omnis homo naturaliter appetit. Ab alijs beatitudo ſic deſcribitur, q̃d eſt ſummum bonum, & finis vltimus rationalis naturæ tantum, vel beatitudo eſt vltima hominis perfectio. A Scoto ſic deſcribitur, q̃d beatitudo eſt bonum ſufficiens, defectũ, & indigentiam excludens. Et à Boethio ponitur ſtatus oĩum bonorũ aggregatione perfectus. Et Auguſtinus in quinto de Ciuitate Dei, ait: quòd Beatitudo

eſt omnium rerum optandarum plenitudo. His ita poſitis, ad argumenta ſoluenda nunc accedo, & ad principale dico: Angelos in initio ſuæ creationis, Deũ viſione beata minimè vidiſſe, & quãdo opponitur de cognitione matutina, quæ rerum in uerbo eſt cognitio, notandum eſt, nomina hęc, ſcilicet matutinum, & veſpertinum ab Auguſtino inuenta fuiſſe, ob id cognitio matutina ſupernaturliter non arguit angelos fuiſſe beatos. Ad ſecundum argumentum poteſt dici, q̃ licet angelus non ſit rerum cauſa, quæ ſub ipſo ſunt, tamen creatus eſt à Deo, & ſic ꝑ cognitionem ſuæ eſſentiæ, tanquã per medium, ſiue per effectum, Deum cognoſcit, quæ cognitio naturalis eſt, nec ſe extendens ad perfectionem cognitionis beatæ, ſiue ſupernaturalis, & hęc de primo ſegmento ſatis. Quęritur ſecundo, Num in gratia oẽs creati ſint Angeli. Pro parte negatiua ſolet ſic primo argui, Angeli uoluntas ab eo, cui adhęret, non auertitur: at angelorum uoluntas per culpam auerſa eſt à Deo: igitur, &c. Deinde, quod ineſt alicui à creatione, naturaliter ineſt: at gratia non ineſt naturaliter, alioquin gratia non eſſet gratia: ergo, &c. In contrarium ſe habet D. Auguſtinus de Ciuitate Dei libro xii. dum ait, quod Deus ſimul erat condens naturam, & largiens gratiam, & loquitur de Angelis: ergo. Hieronymus ẽt ſuper Oſeæ 3. Cap. dicit, q̃ demones in magna pinguedine Spiritus ſancti sũt creati: ergo. Pro reſponſione, quamuis certitudinaliter ſciri nequeat, quæ pars queſtionis verior ſit, cum queſtio ſit de facto, quod ex ſola diuina uoluntate dependet, videtur tamen probabilibus, q̃ in gratia ſint creati, tum quia ſanctorum extant authoritates, tum ẽt, quia primus homo fuiſſe dicitur productus in gratia: at Angeli non fuerunt

runt

runt minoris dignitatis quam primus homo: igitur, &c. Si quæ aũt authoritates viderẽtur dicere, qđ prius fuerunt Angeli creati, quam gratiam haberent, oẽs exponendæ ſunt de prioritate naturæ, non temporis. Nunc ad argumentum primum dicendum eſt, quod Angeli uoluntas non auertitur ab eo, cui adhęret per electionem, forſitan aũt Angelus malus ſolum in munere habuit gratiam, vel in habitu, & nunquam in vſu. Vnde nunquam per aliquẽ actum gratuitum, vel meritorium Deo adheſit, vt magis infra patebit. Ad ſecundum dicitur, quod nõ omne quod ineſt à principio alicui rei naturaliter ei ineſt, niſi ex neceſſitate naturæ principia eiuſdem naturæ ſequatur, alioquin humanæ naturæ vnio ad ſuppoſitum diuinum fuiſſet homini Chriſto naturalis, quod eſt falſum, & ſimiliter eſt de gratia angelis concreata. Enodatis iam quęſitis duobus ſupereſt tertium in ordine, circa quod verſaturi abſq; argumentis procedemus, duo perneceſſaria perpendentes: primum eſt, quod tàm boni, quàm angeli mali, coniecturaliter credere potuerunt beatitudinem ſe habituros. De malis dico, quod nullo modo caſum ſuum pręſcire potuerunt, nec per coniecturam, nec per certitudinem: primum patet, quia beatitudo pendet à cauſa non neceſſaria, ſed contingente. Secundum non ſecus eſt manifeſtum, quia malum pręcognitum, aut uoluntati complacet, aut non, ſi complacet iam culpa ineſt, ſi non complacet pęna ineſt: at impoſſibile eſt ante primum angeli peccatum, infuiſſe culpam: quare, &c. Si aũt eis caſus ſuus reuelatus fuiſſet, accepiſſent vtiq; dictum ſecundum cominationẽ, & non ſecundum pręſcientiam, & hęc de tribus dubijs ſatis.

DE

DE CONVERSIONE, ETC.
Diſtinctio V.
Lectio XXIII.

Haec eſt diſtinctio quinta nobiliſſimi Auditores, quam prę manibus habemus, cuius continuatio cũ ſuperioribus talis eſſe videtur. Ex quo enim actum fuit de Angelorũ communi creatione, hinc eſt, quod modo ſit pertractandum de eorũ conuerſione, & auerſione, conſiderata ergo in hunc modum ſerie, diuidendus nunc venit ſermo noſter in ſex ſecta, ſcilicet in concluſionem primò, in probationem ſecundò, in redditionem cauſæ tàm conuerſionis, q̃ auerſionis tertiò, in dubium quartò, in notandum quintò, in dubia duo ſextò. Circa primi ſecti contemplationem, determinationemq; immoraturi hanc pręmittemus concluſionem de angelis dicentes. Sicuti aliqui Angeli in ſuperbiam elati, ſiue per ſuperbiam, auerſione effecti ſunt mali, & excęcati, ita alij per charitatiuam conuerſionem facti ſunt boni, & illuminati: an hoc verum ſit, quęſo loco ſecundo probationem percipite: nam angelorum quidam poſt eorum creationem ad Deum ſunt conuerſi, & ſibi per charitatem adhęrentes, ſunt per gratiam illuminati, quidã verò alij auerſi, Deumq; odio habentes, excecati ſunt, nõ quidem ex malitiæ immiſſione, ſed benè gratiæ ſubtractione. Vnde uti cõuerſio iuſtos hos fecit, ita auerſio cęteros iniuſtos. Quorum cauſa ſcilicet conuerſionis, & auerſionis in tertio ſecto ponitur, & fuit facultas, ſiue liberi arbitrij libertas, per quam quidam boni ſunt effecti, quia cõuerſi, & quidam mali, quia auerſi. His quarto loco

dubium accedit, queri etenim ſolet. Vtrum Angelis bonis ad hoc vt conuerterentur gratia ſit appoſita, cui ex voto Magiſtri ſent. difficultati, ita dicendum, quod gratia quidem cooperans ſit appoſita, ſed non operans, quia gratia operante quæ idem eſt, qđ impij iuſtificatio, non indigebant, eo quia mali minimè erant: at benè gratia cooperante, ſiue eos promouente ad conuertendũ ſe ad Deũ, indiguerunt, quæ gratia iuuat ad bonum perficiendum. Hic tamen pro vberiori doctrina conſiderationis gratiæ, queſo audite, & intelligite, nam gratia quędam dicitur pręueniens, quędam ſubſequens, ſiue operans, & cooperans, quæ differentiæ ſunt penes effectus, quos habet in ipſam volũtatem, dicitur enim gratia pręueniens, inquantum voluntatem ipſam facit bonam, & ideo pręuenit, quia nõ eſt à lib. arb. ſed potius infunditur ab ipſo Deo, cooperans verò ſiue ſubſequens dicitur, inquantum liberũ adiuuat arbitrium reſpectu boni operis eliciendi. Gratia verò operans ſecundũ Magiſtrum in propoſito dicitur eſſe illa, qua impius iuſtificatur, ideſt de impio fit pius, & de malo bonus, cooperans deinde gratia illa dicitur, qua ad bene operandum, & perſeuerandum, vel ad beneuolendum adiuuatur efficaciter, & Deũ præ omnibus diligendum. Data ergo fuit Angelis, qui perſtiterunt cooperans gratia, ꝑ quam conuerſi ſunt, vt Deũ perfectè, & adamuſim diligerent, conuerſi aũt ſunt à bono quod habebant, non perdito ad maius bonum qđ non habebant, & eſt facta iſta conuerſio per gratiam cooperantem lib. arb. quæ alijs gratia, qui ceciderũt appoſita non fuit, nec Angelus indigebat gratia pręueniente, per quam iuſtificaretur, quia malus non erat, ſed qua ad Deum diligendum perfectè, & obe-

diendum

diendum adiuuaretur. Hęc Magiſter, in puncto quarto. Poſt q̄d ſequitur quintum, vbi ponitur tale notantum, quamuis gratia cooperans in poteſtate angelorum cadentium non fuerit, nihilominus eis ad culpam imputatur, quia ipſam non recipientes ſunt auerſi, licet habere poſſent, ꝗa appoſita eis fuiſſet, ſi perſtitiſſent. Demum dubia duo ſuperſunt enodanda, quibus expeditis, erit finis, ad cognoſcendum ergo, num Angeli per cooperantem gratiam eis in conuerſione appoſitam, non antecedenter, ſed conſequenter beatitudinem meruerint, primo quęrendum. Vtrum Angeli boni in ipſa ſua confirmatione fuerint beati. Inſuper. Vtrum in ipſa rerum conuerſione beatitudinem meruerint. Primum Magiſter ſimpliciter admittit: at circa alterum opiniones quaſdam recenſet, quidam enim voluerunt Angelos in ipſa eorum conuerſione, ad Deum, beatitudinē meruiſſe, ita q̄d meritū, & pręmium ſimul, & ſemel fuerint in eis. Quidam alij ſunt opinati, q̄d beatitudinē, quā in conuerſione ipſa acceperunt ꝑ obſequia, ſcilicet quæ hominibus pręſtiterunt, & adhuc pręſtant, meruerunt, & merentur, ita q̄d pręmium nō pręceſſerit meritū, ad q̃ declinat opinionē Magiſter, vt patet in textu, & declinando, fouet. In ſequenti quando dicta examinabimus, multa notatu digna proferemus. Hęc pro pręſenti ſint dicta ſatis.

DE CONVERSIONE, ET AVERSIONE. Lectio XXIIII.

IN proximo pręterito ſermone meo, de angelorum bonorum conuerſione malorumq; auerſione loquebar: nunc de conuerſionis, & auerſionis ſignificatis varijs, ſum verba facturus,

ne æquiuocatio apud noſtrũ, ſit cauſa erroris, intellectũ. Conuerſio igitur, vt rem aggrediar multipliciter capi dicitur. Vno modo ꝓ quadam paſſione propoſitionum vtroque termino participantium ordine conuerſo, de qua diſſeritur in logica apud Ariſtotilem libro primo priorum. Secundo modo pro mutatione rei poſitiuæ in rem poſitiuam, & eſt duplex, ſubſtantiæ in ſubſtantiam, & accidentis in accidens; ſubſtantiæ in ſubſtantiam eſt duplex. V. g. vini in ſanguinem, & panis in corpus Chriſti; vbi non ſolum forma, ſed & materia tranſit; & hęc eſt ſupernaturalis, alia partialis; quando ſcilicet elementum vnum in aliud conuertitur, vel vnũ mixtum in aliud. Accidentis verò in accidens, vt ſancti Pauli à malitia in bonitatem conuerſio. Tertio modo pro annichilatione alicuius rei, & dicitur mutatio verſio. Quarto modo capitur pro conuertentia, vt cum dicimus, relatiua dicuntur ad cõuertentiam, & eſt mutua referibilitas, ſiue reciprocatio, ſicut pater refertur ad filium, ita è conuerſo filius refertur ad patrem. Conuerſio vt ſcribit Gabr. poſt prędicta, dicitur tranſitio vnius in aliud; in quo duo notantur, ſcilicet deſitio vnius, & ſucceſſio alterius; nam ſi quid in ſe vel in ſua natura, ac proprietatibus manet, in aliud minimè conuertitur, & licet dum album cõuertitur in nigrum, id qđ conuertitur, ſcilicet ſubiectum albedinis manet, ſed non ipſa manet albedo, ſecundum quã conuertitur: igitur ſine deſitione vnius, & ſucceſſione alterius non eſt conuerſio. Vnde ſic deſcribi poteſt, conuerſio eſt deſitio alicuius entitatis poſitiuæ, ad quam ſequitur inceptio, vel alterius rei conſeruatio, aliàs non producendæ, vel conſeruandæ ſimpliciter, vel ſecundum quid, ideſt quantum ad aliquem modum ſe habendi;

E *ex quo*

ex quo ſequitur elementum A. conuerti in B. non eſſe A. fieri B. Nam aere conuerſo in ignem, aer non fit ignis, ſed eſt aerem deſinere, & ignem ſuccedere. Succedere aũt eſt ad deſitionem alicuius de nouo incipere eſſe, aut in eſſe ſuo conſeruari, quo modo non inciperet, vel in eſſe conſeruaretur, niſi aliud deſinerent. Sequitur ſecundo, quod in rem ſimpliciter neceſſariam nihil poſſit conuerti, & quoniam ſolus Deus eſt ſimpliciter neceſſarius, hinc ſequitur, quod in Deum nequeat fieri cuiuſcunq; creaturæ conuerſio. Sequitur tertio, quod quælibet creatura per diuinam potentiam in quamlibet poſſit conuerti, nam Deus quamlibet creaturam deſtruere poteſt, & ad eius deſtructionem aliam de nouo producere, aut productam conſeruare. Inſuper vt tactum fuit ſuperius, conuerſio duplex eſt, ſubſtantialis, & accidentalis; conuerſio accidentalis eſt, cum ad deſitionem alicuius incipit, vel conſeruatur aliquod accidens, vel habitudo, vt in calefactione aquæ ad deſitionem frigiditatis aquæ incipit de nouo eſſe calor in aqua, & ſic frigiditas ſimpliciter conuertitur in calorem, quia ſimpliciter deſinit frigiditas, & calor ſuccedit: at frigidum dicitur conuerti in calidum ſecundum quid, quia res, quæ frigida eſt, puta aqua, nõ deſinit eſſe, nec aqua calida in caſu incipit ſimpliciter, ſed bene ſecundum denominationem accidentalem deſinit eſſe aqua frigida, & incipit eſſe calida; demum dari dicitur conuerſio ad Deum in qua ſecundum D. Bonauenturam attenditur rectitudo ſubſtantiæ ſpiritualis, quantum ad eius mentem, maximè ratione partis motiuæ: nec recta eſſe poteſt niſi actu, vel habitu ſit ad Deum conuerſa; quemadmodum igitur duplex datur rectitudo, ſic duplex eſt conuerſio, eſt enim quædam

rectitudo gratiæ, penes quam eſt iuſtitia meritoria, quam acceptat Iudex ſummus ad retributionem æternam; & quia videt in ea pulchritudinem gratiæ, meritò eius animam traducit in ſponſam, & opera eius ſunt ipſi amabilia; alia eſt rectitudo naturæ inſtitutæ, & penes hanc, eſt iuſtitia originalis, ſic intelligendum, quod duplex ſit conuerſio, quędam à naturali rectitudine, & quędam à rectitudine gratiæ; primam habere potuerunt Angeli abſq; gratia, ſed ſecundam non ſine gratia, & conuerſio illa fuit meritoria, & Deo placita; quare minimè potuit eſſe ſine gratia. Rurſus, quia per illam conuerſionem obtinuerunt gratiam, oportet ponere, q́d in conuerſione illa inchoauerit voluntas libera, ſed cõſumauerit gratia; propterea ibi fuit gratia ſubſequens, non pręueniens, gratia cooperans, & non operans, vt dicebat Magiſter in litera. Cõuerſio itaq; angelorum in qua confirmati ſunt, non fuit ſine auxilio gratiæ: Et hęc de ſignificatis conuerſionis in primo puncto. In altero ſecundo in ordine, de malorum Angelorũ auerſione loquendum breui: Seraphicus enim Doctor Bonauentura agendo de auerſione, proprieq; loquendo ait: auerſionem Dei contemptum importare, & Dei cõtemptum iram mereri, & mortem; propterea tenetur, q́d auerſio propriè reperiatur in peccato mortali, non veniali. Vnde auerſio nil aliud eſt, quam receſſus à bono incommutabili, quando ſcilicet voluntas nolit illum finem actu poſitiuo, cum deberet velle, quare cum Angeli mali noluerint ſummum bonum, cum tamen velle debuerint, inde auerſi ſunt p carentiam ordinis debiti, & mali effecti, non natura, ſed malo volũtatis actu, nolentes ſummo adhęrere bono, Deumq; ipſum vt debebant diligere. Vnuſquiſq; igitur no-

ſtrum videat, ne à Deo recedat per peccatum, quia tunc mortem talis incurreret æternam: & hęc ſatis.

AN ANGELVS IN PRINCIPIO PECCARE POTERAT, ETC.

Lectio XXV.

PRemiſſis conuerſionis bonorum Angelorum ſignificatis, nec non malorum auerſionis, in præſentiarum quęſita duo proponemus, illaq; de more noſtro examinabimus, argumenta primò ponentes: notanda ſecundò: poſtremò argumentorum ſolutiones. Quęritur ergo primò. Quid de Angelis in initio ſit tenendum: Num ſcilicet peccare poterant. Pro parte deſtructiua, rationes quędam extant, quarum prima ſic ſe habet. Angeli corporibus cęleſtibus digniores excellentioreſuè ſunt: at in his ſecundum Philoſophos, malum nequaquam inuenitur: quare nec in Angelis peccatum. Inſuper, nullus peccare videtur, appetendo illud, quod verè bonum eſt, ſicut nullus errat cognoſcendo, quod verum eſt: at Angelus nec appetijt, nec appetere potuit, niſi verum bonum: igitur, nec peccauit, immò nec peccare potuit. Poſtremò, voluntas ferri minimè poteſt, niſi in cognitum: at Angelus intellectu ſuo nõ potuit illud eſſe bonum iudicare, quod non fuit bonum aliàs error fuiſſet, qui ante peccatum non fuit: quare, &c. In contrarium ſe habet illud Iob. iiii. in Angelis ſuis reperit prauitatem. Pro determinatione huius quęſiti, duo conſideranda occurrunt: primum eſt. An Angelus peccare potuerit: inſuper, quid appetendo peccauit.

An

An ſcilicet Dei æqualitatem appetierit. Quantum ad primum dicitur, quod peccare Angelus potuit, & de facto peccauit, vt ex multis colligitur ſacræ ſcripturæ locis. Quantum ad ſecundum dici de facili poteſt: Angelum Dei æqualitatem appetijſſe, ſed hic notandum, quod illa æqualitas trifariam exponi ſolet: primò quòd Dei ęqualitatem Angelus appetierit, quantum ad Dei potentiam, & ſcientiam, ita vt vellet eſſe tantæ excellentiæ, ac ſcientiæ cum ipſo Deo, vel quod appetierit, ipſi Deo non ſubijci, & hoc modo ęquari Deo, tandem quod appetierit ſecundum quid, & indirectè Dei ęqualitatem. His ita poſitis, ad argumentum primum ita dicendum, ſimilitudinem adductam nullius ponderis eſſe; Angeli enim ſunt liberi arbitrij, at corpora cęleſtia minimè. Vnde potuit eſſe malum electionis in eis, pręcipuè reſpectu ſupernaturalium, quod à corporibus cęleſtibus penitus negandũ; non ob id nego, quin aliquid ſimile Angelis, & corporibus cęleſtibus ſit, quantum ad ea, quæ ſunt naturæ, & quo ad hoc, nec in Angelis, nec in corporibus cęleſtibus malum ineſt. Ad argumentum ſecundum reſponderi poteſt, quod Angelus peccauit appetendo id, quod non erat bonum ex oĩbus circunſtantijs, licet ex genere bonum foret. Vnde in ipſo error dicitur fuiſſe minimè circa illud de ſe appetibile, quia bonum: at error ibi dicitur fuiſſe ſolum ex neſcientia, vel circunſtantiarũ inconſideratione, qui error potuit in primo homine eſſe, & in angelo ante peccatum. Ad tertium dicitur, illud qđ Angelus appetijt de ſe quidem bonũ fuiſſe: at ex circunſtantijs angelo malum. Illud verò in oppoſitum intelligi habet quantum ad electionem. Et hęc de primo quęſito, cui alterum videtur poſſe necti in

 hunc

hunc modum; quęri enim ſolet ſecundo. Num in primo ſuæ productionis inſtanti, Angelus peccare potuerit: primo aſpectu videtur poſſe ſuſtineri pars affirmatiua, nam peccatũ merito opponitur: at natura intellectualis in primo inſtanti ſui eſſe, mereri potuit: ergo, & peccare. Deinde, anima in primo inſtanti ſuæ creationis, peccato maculari potuit: igitur, & Angelus peccare potuit, conſequẽtia patet, quia Angelus, & anima ſpecie non differunt. Circa queſtionem hanc varij varia dicunt, nam quidam tueri videntur, ac ſuſtinere partem negatiuã, quidam verò alij affirmatiuã: Nos propterea, vt rem determinemus, quędam prenotabimus; deinceps ad argumenta ſoluenda feſtinabimus. primo ergo cõſideranda ſunt tria, ſcilicet error, ignorãtia, & inconſideratio, quæ ſic differunt: nam error eſt faſum approbare pro verò ſecundum Auguſtinum: vnde ſemper includit falſam exiſtimationem. Ignorantia verò eſt neſcia eorum, quæ quis poteſt, & ſcire tenetur inconſideratio. Deinde eſt ſolum defectus actualis cognitionis eorum, quæ quis ſcit in habitu; quare in Angelis licet error propriè, aut ignorantia non ponatur, ab eis tamen inconſideratio non neganda, quæ maximè cognita eſt, appetẽdo, qđ ſibi minimè erat poſſibile. His addenda venit meriti conſideratio, nam triplex eſt, digni ſcilicet; congrui; & condigni. Ab alijs vocantur meritum de congruo; de digno; & de condigno. Ad quæ intelligenda primo quid ſit meritũ percipite; eſt enim meritum opus, vel labor, cui ex debito iuſtitiæ debetur premium. i. merces. Vnde premium, ſiue merces illud eſt, quod alicui recompenſatur ꝓ retributione operis, vel laboris. Poſt verò premium, & meritum, quidnam ſit mereri percipite: eſt enim debitum

bitum ſibi facere. V.g. cum quis primo motu charitatis vitam meretur ęternam; Inſuper, quando quis facit maius debitum, quod minus erat; quod euenit, atq; contingit in eo, in quo charitas augetur: tertio modo quando quis, qđ eſt ſibi debitum vno modo, facit ſibi debitum alio modo, vt puer baptizatus, cui debetur vita ęterna ex habitu infuſo gratiæ in baptiſmo. Hinc colligi pōt, meriti digni, ſiue de digno natura; nam tunc dicitur meritum digni, quando qui petit, aliquo modo recipere dignus ſit; licet non ille, pro quo quis petit. V.g. orare pro exiſtente in mortali peccato. meritum verò congrui, ſiue de congruo illud eſt, quod ex libero procedit arbitrio, & innititur diuinæ miſericordiæ. Vnde homo ex congruo dicitur mereri, dum bene libero vtitur arbitrio, & à Deo remuneratur, ſecundum tamen velle bonum operantis. Meritum tandem condigni innititur iuſtitiæ. Vnde ille de condigno mereri dicitur, quando ęqualitas inter pręmium, & meritum ſecundum rectam eſtimationem inuenitur: at quando ęqualitas non inuenitur, tunc de congruo meritum dicitur. His tribus tria ad merendum requiri dicimus, nam primò viatoris requiritur ſtatus: ſecundo voluntatis vſus: tertio charitatis virtus. Quibus ſic poſitis, Nunc argumenta diluenda. Ad primum ergo ſimilitudo de peccato, & merito adducta negatur, & maximè pro primo creationis inſtanti ipſius Angeli; nam in primo nunc, non videtur potuiſſe defectus eſſe inconſiderationis, pręcipuè reſpectu ſupernaturalium; licet bene potuerit in eo eſſe libera, & recta electio propter quam mereri potuit, ſi tamen aliquem actum liberum tunc habere potuit. Ad alterum argumētum, interimitur ſimilitudo de anima, & de Angelo, quia

anima originale peccatum minimè contrahere dicitur, ex perſonali electione, ſed bene ex vnione ſui cum corpore, cui ſtatim vnitur, quando creatur: Angeli autem peccatum ſi quid fuiſſet, ex perſonali electione prouenißet, quæ non potuit eſſe mala in primo inſtanti, quoniam tunc temporis defectus inconſiderationis eſſe minimè potuit: & hęc ſatis.

NVM SVAM BEATITVDINEM MERVERINT ANGELI BEATI. Lectio XXVI.

VT via facilis nobis ad ſubſequentem pateat diſtinctionem, in pręſenti dubium examinandum vnum breui proponemus, quatuor facientes; nam prima dubium ſede ponetur; argumenta ſecundo loco; notanda tertio; & argumentorum ſolutiones quarto. Quęritur ergo. An Angeli beati ſuam meruerint beatitudinem. Mihi ſanè videtur, quòd non; nam meriti ratio, vel attenditur ſecundum operis difficultatem, aut valorem: non primo modo, quia in Angelis ad bonum nulla difficultas fuit; non ſecundo modo, quia tunc temporis mererentur per actum beatitudinis, qui eſt ſummi valoris, qđ tamen falſum eſt: quare, &c. Pręterea, ſic inſtatur; vt gloria ſub merito cōdigni cadit, ſic gratia prima ſub congrui merito: at Angeli gratiam primam nequaquam meruerunt de congruo, cum in ea creati: igitur nec gloriam de condigno. Ex alio latere, vt pręmium merito reſpondet, ita demerito pęna: at mali Angeli pęnā minimè habuerunt ſine demerito: igitur

neq;

neq; boni videtur habuiſſe premium ſine merito: quare, &c. Pro reſponſione hęc omnia ordine conſideranda: primò, quòd Angeli beati ſuam meruerint beatitudinem: inſuper, quod poſt vnicum actum meritorium habuerunt: deinde, quod non ſolum natura, immò tempore meritum pręceſſit pręmium; demum mereri quot modis contingat. Primum clarum, dilucidum, notum, atq; perſpicuum apparet; nam in quibus aliqua eiuſdem rationis perfectio inuenitur, in illis iſdem ponendus eſt modus perfectionem conſequēdi illam: atqui in Angelis, & hominibus vnius rationis beatitudo eſt, vt colligitur ex Apoc. xxi. quare, &c. Ideſt, cum homines abſq; merito ad beatitudinem non perueniant, neq; Angeli: ergo. Alterum in ordine ſecundum, ſic exponitur; Deus ad remunerandum pronior, quàm ad puniendum, ſiue condemnandum eſt; ſed Angeli mali, ex vnico malo actu ſunt ęternaliter damnati: igitur boni, vnico actu æternaliter pręmiati, atq; remunerati. Tertium ſic declaratur; quod meritum tempore pręceſſerit, & non ſolum natura; quia actus, qui oppoſitionē includunt circa operantis ſtatū, ſimul eſſe nequeunt: at actus pręmij, & meriti circa operantis ſtatum oppoſitionem includunt: igitur, &c. Antecedens probatur; quia ſecundum illius eſt, qui ponitur in ſtatu acquirentis, & tendentis ad terminum; primum reſpicit ſtatum non acquirentis, ſed iam poſſidentis, nec ad terminum tendentis, at in termino exiſtentis: meritū ergo, & pręmium ſimul eſſe nequeunt, ſed oportet, quod vel meritum pręcedat pręmium, & ſic habetur propoſitum; vel quod meritum ſequatur pręmium, quod eſt abſurdum. Quarto mereri quot modis contingat nunc cōſideratione dignū: tripliciter

enim

enim dicitur (vt ſcribit ſanctus Bonauentura) vno modo ſimpliciter abuſiuè: alio modo partim propriè, & partim impropriè: tertio modo ſimpliciter ꝓpriè. ſimpliciter abuſiuè mereri dicitur, qui facit aliquod opus bonum de genere bonorum, tamen illud facit malo animo, ideſt mala intentione, ſicut ille, qui dat eleemosynam cum murmure; talia enim opere aliquando remunerantur à Deo ex immenſa largitate, ſicut innuitur de Nabuchodonoſor. Ille verò meretur partim propriè, & partim abuſiuè, qui facit opus de genere bonorũ, & bona intentione; veruntamen non ex charitate: ſicut aliquis peccator facit opera de genere bonorum, & propter Deum, in quibus de congruo ſe diſponit ad gratiam; ille verò meretur ſimpliciter, & propriè, qui bonum facit opus, & bona intẽtione, nec non ex charitate. Vnde primum meritum vocatur meritum interpretatiuum: ſecundum meritum congrui: tertium meritum condigni; nemo tamen mereri ſalutẽ poteſt ſine vita gratiæ. His ſub hac verborum forma poſitis, Nunc ad argumenta dicendum, & ad primum primo, tria ad meriti rationem concurrere, nã primo eſt valor operis, ita vt aliqua inueniatur proportio inter meritum, & pręmium, ſi ſit meritum de condigno; libertas deinde operationis, vt ſcilicet operatio ſit in poteſtate operantis, q̃a talibus ſolum laudamur, vel vituperamur, vel meremur, vel demeremur. Tertio requiritur, quod operans ſit in ſtatu aliquid acquirendi, q̃a per meritum aliquid efficitur debitum, quod prius minimè erat debitum. Beati ergo Angeli nunc ſuam non merentur beatitudinem, quia in ſtatu eam acquirendi non ſunt, prius tamen meruerunt, concurrentibus omnibus conditionibus, quæ ſunt de ratione meriti,

nunc

nunc etiam dicuntur poſſe mereri beatitudinem aliquam accidentalem, per opera quibus nobis miniſtrant. Ad ſecundum dici põt, quod ſicut Deus in gratia Angelos creauit, ita ſi voluiſſet, potuiſſet eos in gloria producere: at nec decuit, nec congruum erat; quia cũ gloria, ſit finis operis meritorij, gratia aũt principium; propterea, &c. Ad illud tandem argumentum in oppoſitum habet dici, quod deficit; nam infligere pęnã ſine demerito contra iuſtitiam eſſet: at gratiæ eſt dare pręmium ſine merito: & hęc de pollicitis in tantũ.

PRAETEREA SCIRE OPORTET, ETC.

Diſtinctio VI.

Lectio XXVII.

VErſaturi circa ſextã in ordine huius libri ſecundi diſtinctionem de more; primò continuationem ponemus: Inſuper ad diuiſionem accedemus. Ex quo ergo ſuperius de bonorum angelorum conuerſione ad Deum, nec non de malorũ auerſione ſumus loquuti; conſequenter nunc pertractandum erit, de conſequentibus malorum auerſionem, quantũ ad caſum localem. Diuidi modo poteſt pręſens diſtinctio in ſex particulas, in quarum prima concluſio ponitur; in altera probatur; in tertia cauſa lapſus, & malorum angelorum pęna declaratur; in quarta conſideratio habetur; in quinta dubium excitatur; in ſexta, & vltima vnum notatu dignũ exponitur. Quò ad primã, concluſio hęc eſt. Lucifer ſupremus Angelus, & ſibi de ſingulis ordinibus aſſentientes, nimis ſuperbè appetendo Dei æqualitatem corruerunt, & in iſto caligi-

noſo

noſo aere incarcerati ſunt. Hic antequam probetur concluſio pręmiſſa, velim notetis: Angelorum caſum duplicem fuiſſe: ſcilicet ſpiritualem, & localem; ſpiritualis ille, quia ceciderunt de ſcientia in ignorantiam: de dilectione in odium: de fęlicitate in miſeriam. localis alter, quia in caliginoſo detruſi ſunt aere, ibiq; incarcerati, ob eorum defectum Dei ęqualitatem appetentes. Nunc ꝓbatur concluſio authoritate beati Gregorij, multorumq; aliorum vt eſt videre in textu Magiſtri: vbi apertè dicitur, multos de ſingulis ordinibus cecidiſſe Angelos, inter quos primus peccans, maioriſq; dignitatis creditur fuiſſe Lucifer, qui ſuæ intuens dignitatis eminentiam, elatus in ſuperbiam, Dei ęqualitatem appetijt; inde cecidit. Hinc ſui caſus cauſa, tertio exprimitur puncto, nec non, & pęna. Cauſa enim fuit ſuperbia; vnde illud Eſaiæ dictū perpulchrum; Quo modo inquit, cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris, &c. Qui ſpiritus creatus: qui profundus eras in ſcientia: qui naturæ eminentioris: Quæ oīa ipſe perpendens in ſuum creatorē ſuperbiuit in tantum, quod etiam Deo ſe ęquare voluit, vt in Eſaia dicitur: In cęlum aſcendā ſuper aſtra cęli, & exaltabo ſolium meū, & ero ſimilis Altiſſimo, nō per imitationem, ſed bene per potentiæ æqualitatem: quare corruit ſuperbia ſua, & iure merito pro tanti peccati malitia in hunc caliginoſum aerem cum ſocijs ſuis detruſus eſt; q̄ aer tripartiri poteſt; nam tres habet partes, ſupremam; mediam; & infimam; prima lucida eſt, & hęc angelorum intellectui correſpondet: altera obſcura eorundem culpæ applicanda: tertia verò nobis proxima, in qua Angeli mali degunt ſua culpa: Nec id mirum vobis videri debet, quia cęleſtis locus ob eius claritatem eis

minimè

minimè competebat, nec terra ne nos nimis infeſtarent; ſunt ergo in aere caliginoſo in ſignum tenebrarum peccati, quod eſt in eis, & ob exercitium noſtrum, ſcilicet, vt nos ad merendū tentent; poſt verò iudicij diem, in infernum ſimpliciter detrudentur: & hęc de tribus ſatis dicta ſint partibus. In quarta ponenda venit conſideratio de ordine prelationis in Angelis, tàm bonis, quā malis: vſq; etenim ad mundi calcem, ſiue finem, ſunt permanentia prelationis officia, nec non ſubiectionis: nam qui maioris ſunt ſcientiæ, inter eos maiorem habent prelationem, & à tali quandoque prelatione denominantur; vt qui preeſt vni prouinciæ, Princeps prouinciæ dicatur, qui verò vni homini Angelus illius hominis, ſiue ad illius cuſtodiam ordinatus; qui verò vni vitio, ab illo denominantur. Vnde dicitur ſpiritus ſuperbiæ: ſpiritus luxuriæ: & ſic de ſimilibus. His quinto loco dubium accedit, nam queritur; num aliqui demones ſint in inferno. Secūdū illud Apoc. Cū cōſumati fuerint mille anni, ſoluetur Sathanas de carcere ſuo, & exiet, & gentes ſeducet: in inferno ergo, vt ad partem affirmatiuam declinemus, dicendum eſt, quod ſint aliqui demones, ad malos, nec non ad animas damnatorum puniendum. Hinc opinati ſunt quidam, quod Lucifer tentauit, & primos parentes vicit. At poſtquā Chriſtum in deſerto, & in paſſione tentans extitit victus, & in infernum religatus; tempore tamen Antichriſti iterum exiturus. Alij autem exiſtimarunt, quod vbi primum peccauit, propter peccati ſui magnitudinem, in infernum ſit detruſus, tempore verò Antichriſti ſoluendus: tunc enim ei tentandi poteſtas dabitur, quam modo non habet, propterea relegatus dicitur: & hęc de punctis quinque.

Deniq;

Deniq; vnum notatu dignum de dęmonibus apponendum venit, qui tentandi poteſtatem, ſiue ſacultatem amittere dicuntur in his vitijs, in quibus à ſanctis hominibus pudicè uiuentibus ſemel perfectè ſuperati fuerint; quod videtur debere intelligi de eodem vitio; & non ſimpliciter, ſaltem ſecundum aliquorum opinionem, ita vt diabolus ab eo victus, quẽ prius de luxuria tentabat, nunquã poſtea ſuũ habeat de luxuria victorẽ tentare: & hęc pro pręſenti lectione.

CVIVS ORDINIS FVERIT ANGELVS, QVI PRIMO PECCAVIT. Lectio XXVIII.

SPontè non, at verbis Magiſtri ſent. ductus, hodierna die, duo mihi percurrenda ſe ſe offerunt, perpulchra quidem, nec non notatu digna quęſita: quorum primum erit. Vtrum Angelus, qui arbor maxima à Deo creatus, per peccatũ in terram cecidit, ſuperioris ordinis fuerit? mihi proculdubio videtur eſſe dicendum, quod de ſupremo angelorũ ordine minimè fuerit: habet etenim D. Auguſtinus infra diſtinctione viii. vt ſuo intelligetis loco, quod dęmones cum ſuo principe, nunc dęmone, tunc Angelo, &c. Igitur primus inter peccantes videtur fuiſſe Archangelus: at Archangelorum ordo minimè primus, ſiue ſupremus: quare, &c. Preterea, ſecundum Gregorium, de primo Angelo peccante, videtur illud intelligendũ eſſe, Ezech. xxviii. Tu Cherub. extentus, & protegens: fuit itaq; de ordine Cherub. qui primus corruit: at ordo talis neutiquam eſt ſupremus: ergo, &c. In contrarium ſe

habet

habet in textu Magiſter, q ex diuinis Oraculis multas in medium authoritates adduxit; deinde Iob. xl. dicitur, Ipſe eſt principium viarum Dei; omnium ergo creaturarum primus, &c. Pro deciſione, dilucidationeuè propoſiti queſiti, cum hęc queſtio de facto ſit, & ſacra ſcriptura nos non cogat ad hoc, quin qui vellet non poſſet oppoſitũ tenere: propterea quia certitudinaliter quid determinari nõ poteſt, nec ſatis plenè, ideo illud, qđ ſacra ſcriptura dicit Eſaiæ xiiii. de Lucifero, ad literam intelligendum eſſe de Babilonis Rege autumo; illud uerò Ezech. xxviii. Tu Cherub. &c. de Rege Tyri debere intelligi, & non de primo Angelo, qui peccauit, niſi allegoricè, ideſt per quandã allegoriam. His ita pręmiſſis, nunc vertatur oratio noſtra ad argumenta diluenda. Dũ ergo arguebatur primo, quod qui peccauit fuit Archangelus; Ad hoc via facili habet dici: Arcangelum, ibi ordinem nequaquã nominare, ſed principatum; & quia ille, qui peccato ſe ſubiecit, ſecundum gradum neceſſariò omnibus excellentior fuit; iccirco Archangelus dictus fuit, quaſi omnium Angelorum princeps. Ad alterum formatũ argumentum in ordine ſecundum, ita dicendum, quod Cherub. interpretatur ſcientiæ plenitudo, & Seraphin, ardens charitate: hinc quia ſcientia, quæ inflat ruinæ occaſio eſſe potuit, non autem charitas, quæ ędificat: iccirco Cherub. vocatur, non Seraphin, licet fuerit de ordine Seraphin. & hęc de primo dubio. Queritur ſecundo. Num Angeli primi peccatum, alijs cauſa, vel occaſio peccandi extiterit. Hac in parte non magno verborũ apparatu declino ad negatiuam partem; nam vt mali per auerſionem ceciderunt, ita boni per conuerſionem confirmati ſunt: at in bonis vnus alterius cauſa ſuæ con-

uerſionis

uerſionis non dicitur fuiſſe: igitur, nec in malis debet unus poni fuiſſe cauſa, ſiue occaſio alterius auerſionis. Inſuper, ut ex Philoſopho pluribus in locis habetur, nonne cauſa cauſato prior? atqui Angeli peccauerunt ſimul (ut Damaſcenus ait) vnus ergo non cauſa, vel occaſio peccandi alijs fuit. Pro veritate propoſitæ difficultatis; ſcire debetis, propoſitum eſſe de facto quęſitum; ꝓpterea, quid plenè, ac ſufficienter ſit tenendum, ſatis apertè determinari non poteſt; Ad argumenta itaq; paucis properemus quęſo verbis, & maximè. Ad primum dicentes, quod veluti primi angeli peccatum fuit aliorum peccati occaſio, ita primi Angeli cõuerſio inter bonos potuit eſſe aliorum cõuerſionis idonea occaſio. Ad ſecundum de cauſa, per comparationem ad cauſatum diſtinguendum eſt, de prioritate duplici, ſcilicet temporis, & naturæ: licet ergo cauſa nõ ſemper tempore effectũ pręcedere dicatur ſuum, ſufficit tamen, quod natura pręcedat; vti in angelorum peccato euenit: & hęc pro pręſenti ſermone ſatis.

AN IN DEMONIBVS SIT PRAELATIONIS ORDO PONENDVS.

Lectio XXVIIII.

AD vberiorem doctrinam eorum, quæ tacta ſunt in textu Magiſtri, arbitror prędictis quęſitis in ſuperiori ſermone iam duobus enodatis, duo alia in pręſenti addenda, & explicanda fore: quorum primum ad ordinem pertinebit: alterum verò ad virtutem, ſiue potentiam ut intelligetis. Solet ergo

quęri

queri primo. An in demonibus ſit prelationis ordo concedendus. Inſuper: Num ſemel demon victus, deinceps eundem valeat tentare, propriam retinendo virtutem ad hoc munus exequendum. Quantum ad primum queſitum, pro parte negatiua arguunt quidã in hunc modum: vt in hominibus euenit damnatis, ita in Angelis malis, ſed prelationis ordo in dãnatis hominibus ponitur minimè: igitur nec in malis Angelis ponẽdus. At dicetis: nonne apud Iob. xl. legitur, quod ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ? Regnum aũt prelationem ſonat: quare, &c. Pro intellectu huius negotij, velim ſciatis, in demonibus ordinem prelationis inueniri, & hoc eorum naturæ, atq; nequitiæ congruit: qđ aũt eorũ naturæ, nec non nequitiæ congruat de facili ſuaderi põt: vt enim natura ad naturã, ita actio ad actionem ſe habet: at ſubditi actio ſubeſt actioni prelationis: igitur, &c. qđ ẽt eorũ nequitiæ congruat ſic ſuadeo; plus etenim nocet exercitus ordinatus, quam inordinatus: at demonum multitudo ſe habet, quaſi vt quidã exercitus ad hĩes impugnãdum, nã hominis vita eſt militia ſuper terrã: igitur, &c. His itaq; premiſſis: Ad argumẽtũ primũ vt reſpondeamus; ſimilitudo adducta de hominibus damnatis, & malis Angelis penitus neganda; nec mirũ: quia inter hĩes, naturæ gradus minimè ponitur, nec homines damnati circa nos aliquam dicuntur habere operationem, vt demones habent: quare demonibus prelationis ordo congruit, non autem hominibus damnatis. Hinc ad inſtantias in oppoſitũ adducendas, & in medium productas quid dicendum patere poteſt ex dictis. Explanato iam primo queſito: ſolet queri ſecundò. Num ſemel victus demon, iterum aliquem tentare poſſit: pro parte affirmatiua

ſic ratiocinor: creditur fuiſſe Lucifer, qui Chriſtum tentauit, & ab eo perfectè eſt victus, Matthęi iiii. At iſdem in fine mūdi tempore Antichriſti grauiſſimè homines tentabit, vt patuit apud Magiſtrum ſententiarū: igitur, &c. Sed dicetis vos: cur ergo Magiſter dixit, ſemel à ſanctis victum, iterum tentare eos non poſſe? deinde, nonne multi, immò quaſi dęmones infiniti à principio mūdi per ſanctos ſunt victi? quare ſemel victi, amplius tentare non poterunt. Pro huius quęſiti certa determinatione, velim ſciatis primò, quot modis ſumatur dęmon; nam ſecundum Scoti imitatorem Guil: lib. ii. ſen. diſt. v. tripliciter capi ſolet. Vno modo, idem eſt, quod ſciens. Vnde in latino interpretatur peritus, vel ſciens. Inde mali ſpiritus vocantur cacodęmones, ideſt malum ſcientes: bonum verò ſcientes, ſiue pulchrum, ſiue honeſtū cacodęmones vocantur. Secundo dęmones dicuntur apud Platonem quidam ſpiritus, naturæ ſubtilis aereæ, miræ cognoſcibilitatis, ſiue boni, ſiue mali. Tertio principaliter accipitur dęmon in Theologia pro Angelo Apoſtata, per peccatum obſtinato, & eſt inuentum hoc nomen ex lingua Syriaca, ſcilicet dęmon, quaſi dimon à diuitijs, & mammon; Mammon quippè in illa lingua diues dicitur: dum igitur Angelus malus ſine merito, beatitudinis diuitias habere voluit, & diuinæ æqualitatis, rectè dęmon nuncupatus eſt, ſiue pro contrarium Diues ironicè loquendo, ideſt pauperrimus, ſeu miſerrimus: Hic omnibus nocere ſtudet. Vnde Auguſtinus octauo de Ciuitate Dei, dicit. Certū eſt, dęmones eſſe ſpiritus, nocēdi cupidiſſimos, ſcilicet hominibus in anima, & corpore, & à iuſtitia penitus alienos; ſuperbia tumidos; inuidentia liuidos; fallacia callidos, &c. Vnde

Dei iuſtitia, digni ſunt pęna. Concordat Paulus Corteſius cum ait. Dęmonum genus eſt, natura noxium; inuidiæ felle lucidum; in fallendo vafrum; ac inſidioſum, verriculum generis humani: Ideoque in hominum corpora obrepere, ac vltro, citroq; vexando concurſare, ſuapte natura poſſunt; haud quoq; eorum naturæ negatum eſt, quin poſſint corporum integumenta arripere, in variaq; figurarum genera transferri, quo callidius improuida hominum ingenia laceſſant. Et licet ſint dęmones ſpiritus nequam, humanæ naturæ hoſtes acerrimi, ſęuiſſimi, aſtutiſſimi, quorum violentia permaxima: attamen diuina bonitas actus illorum fręnat, ne hominum natura funditus pereat, nõ enim poteſtas ſuper terram eſt, quæ comparetur ei. At omnino conatus ſuus vanus eſt, niſi pro quanto permiſerit Deus: permittit autem Deus propter obſtinatorum damnationem; vel ad peccantium purgationem, & punitionem; vel ad fidelium probationem, & exercitationem; vel ad gloriæ Dei manifeſtationem. Secundo velim audiatis, quid de dęmone ſuccubo, & incubo ſim dicturus. Dęmon ergo ille ſuccubus nuncupatur, qui alicui ſuccumbendo in aſſumpto corpore in mulieris ſpecie alicuius ſemen poteſt recipere, illudq; ſeruare in ſua naturali qualitate, conuenienti naturali generationi, quouſq; transfundat illud in matricem alicuius fęminæ ipſi incubando, & ſic ſemen transfuſum, ſuam vim naturalem ad generationem minimè amittit; quæ actiones, nõ bono, ſed malo attribuuntur Angelo, qui ſe tam vilibus immiſcet, non aũt bonus. Inde Angelus malus, & ſuccubus, & incubus dicitur. His in hunc modum poſitis, quid Ad argumentum primũ formatum dicendum ſit, audite: Dęmon

 enim

enim ſemel victus ab vno, alios tentare poteſt, nec non eundẽ, ſed in alio tempore, & de alijs peccatis. Nam licet eius virtus minuatur, quando à bonis vincitur, nõ ob id ſimpliciter tollitur: quare, & alios, & eundem in diuerſis tamen temporibus tentare poterit dęmon. Ad ſecundum argumentum quid dicendum, ex primi ſolutione iam clarum: & hęc ſatis.

QVOD BONI ANGELI, ETC.
Diſtinctio VII.
Lectio XXX.

IN preſenti meo ſermone diſtinctionem in ordine ſeptimam aggreſſurus, duo perpendam: pendentiam huius primò à ſuperioribus: diuiſionem ſecundò. Ex quo ergo actum fuit ſuperius de pertinentibus ad angelorum localem caſum; conſequenter hic pertractandum venit, de ſpectantibus ad eorum caſum ſpiritualem. Habito nexu his paucis verbis: diuidi modo poteſt hęc diſtinctio in particulas octo: in quarum prima ponitur concluſio: in altera probatio: in tertia dubium: in quarta noua concluſio: in quinta declaratio: in ſexta illatum vnum: in ſeptima propoſitio: in octaua dilucidatio, ſiue manifeſtatio. Quantum ad primum punctum, ſit hęc concluſio. Angeli boni in gratia confirmati, peccare minimè poſſunt, & mali in malitia obſtinati, bonum operari nequeunt. An res ita ſe ſe habeat in hoc ſecto ſecundo audite; ſi Angeli boni peccare poſſent, proculdubio in gratia confirmati non eſſent: at confirmati ſunt: ergo. Inſuper, ſi Angeli mali benefacere

poſſent,

poſſent, nec ipſi malitia ſua auerſi, confirmati fuiſſent; atqui ſunt confirmati; non ergo, &c. Ex prędictis tertio oritur loco dubium, ſub tali verborum forma: ſi Angeli boni peccare nequeunt, quia in gratia confirmati, nec mali bonum poſſunt: ergo in ipſis liberum minimè erit arbitrium: at habet D. Hieronymus, q̄d oı̄s creatura habens liberum arbitrium, eſt vertibilis in bonum, & malum: quare tàm boni Angeli ornati libertate arbitrij, quàm mali, benefacere poterunt, & boni malum operari. Pro ſolutione huius difficultatis, vnum ſupponere debetis, ſcilicet Angelos bonos peccare non valentes, non ob id minus liberos eſſe nuncupandos; nam ipſi non coactè, ſed liberè, & ſpontè, immutabiliterq; bonum eligunt, licet hoc ex gratia, non à natura habeant. Nunc ad dubij formam dicitur: Beatum Hieronymum fuiſſe loquutum de libero arbitrio gratia non confirmato: at in ſua precisè natura conſiderato: hinc ex dictis, quid de dęmonibus dicendum, facilè patet. Accedo interim ad ſegmentum in ordine quartum; vbi noua cōcluſio his verbis ponitur. Quamuis Angeli mali, in quibus naturalis congnitionis perſpicacitas viget, aliqua mirabilia facere dicuntur: ob hoc in eis creandi facultas non admittitur. Pro declaratione huius concluſionis, quinto loco conſiderandum venit: dęmones triplicèm habere ſcientiam: vnam ſcilicet ex ſubtilitate naturæ; aliam ex temporis diuturnitate; tertiam ex bonorum angelorum reuelatione: vt perbellè probatur Iſiodori authoritate, nec non beati Auguſtini teſtimonio. Hinc colligi poteſt, quod dęmonum ſcientia, & arte, fiunt artes Magicæ, Deo tamen alia permittere volente, ad fallendum fallaces, & monendum fideles, ſeu ad exercendum iuſtos, & pro-

bos; in quibus quidem artibus magicis, dęmonibus ad nutũ materia minimè inſeruit, ſed ſolum in tantùm, quantùm Deus permittit; mirabilia propterea facere iſti dicuntur. Ex his illatum ſexto loco ſub his verbis tale infertur. Quamuis dęmones Deo permittente noua, & mirabilia operentur, non propter hoc dicendi ſunt creatores, eo quia illa noua, quæ producunt, non niſi ex rerum virtutibus, à Deo eis inditis, quaſi ex quibuſdam ſeminibus educunt, vt inſtrumenta ad talium productiones, quodam modo ſe habentes, & vt Agricolæ ad fructuum productiones, & lectores ad intellectus diſcipulorum illuminationem. His tandem ſeptimo venit talis ponenda propoſitio loco. Dęmones multo maiora mala, pluraque facere poſſent, quã nunc faciunt, niſi Dei bonitas, atq; benignitas, ipſos talia facere prohiberet. Nunc vt manifeſtetur hęc propoſitio, octauo loco, Pharaonis vtemur Magorum exemplo: nam Magi Pharaonis, ita commodè dęmonum miniſterio Cyniphes feciſſe potuiſſent, ſicut ranas fecerunt, ſi Deus Optimus Max. huiuſmodi operari non inhibuiſſet. Et ita his paucis verbis, diſtinctionem hanc ſeptimam tenetis dilucidatam à nobis.

AN ANGELI BEATI PECCARE POSSINT. Lectio XXXI.

Circa prędeclaratam in ordine diſtinctionem ſeptimam, difficultates quędam oriri videntur, quarum prima eſt. Num Angeli beati peccato poſſint ſubijci. Prętereà, nũ Angeli mali bonum valeant operari. Quantum ad primam, pro

parte

parte affirmatiua ſic arguitur: gratia, & gloria naturam minimè tollunt: at de ratione creaturæ eſt deficere poſſe: igitur Angeli beati, &c. Deinde: quanto aliquid liberius eſt, tanto minus determinatum eſt; in natura enim cōſtantibus, quæ ſunt determinata ad vnum, nihil eſt libertatis: at in Angelis bonis non eſt liberum arbitrium minus, quàm prius: ergo ęquè indeterminatũ, vt prius; ſed prius ad malum flecti potuerunt; igitur & nunc. In oppoſitum ſe habet illud, quod apud Ioannem legitur iii. Cum apparuerit, ſimiles ei erimus: at Deus impeccabilis, & nos in ſimilitudinem eius transformamur per beatitudinē; Angeli ergo quia beati, &c. Pro determinatione huius quęſiti, duo conſideranda occurrunt: Primum eſt, vnde alicui conueniat, quod peccare poſſit: alterum eſt: num illa cauſa in beatis reperiri poſſit. Quantum ad primum, dicendum venit: peccatum ex hoc prouenire in electione, quia aliquis defectus in ratione, vel neſcientiæ, vel inconſiderationis pręcedit: quare, &c. Alterum verò in ordine ſecundum ex primo redditur dilucidum, ſcilicet, quod beati peccare minimè poſſunt; quoniam ibi nullus in ratione defectus, neq; in electione poſſibilis: igitur, &c. Nunc diluenda ſunt argumenta, & primò primum de gratia, & gloria adductum, quæ ad duo referri poſſunt, vel ad naturã, vel ad naturæ defectum: ſi primo modo, currit argumentum: ſi ſecundo modo, nullum eſt: quia gratia, & gloria, naturæ defectum tollunt, & quia peccare naturam non dicit, ſed naturæ defectum, ideo argumentum nullum; Ad ſecundum dicitur, quòd cum poſſe peccare nō ſit libertas, nec pars libertatis ſecundum Anſelmum; indeterminatio ergo, per quam quis dicitur ad malum

flecti poſſe, nullam ineſſe libertatem ponit, nec ablata aufert: vel dicatis, quòd licet creaturæ ſit, poſſe deficere ſine gratia; tamen non ſic cum gratia, & gloria, vti loquimur nos hic in propoſito. Enucleato iam dubio primo: ſolet queri ſecundo. Num Angeli mali, bonum valeant operari. Mihi certè videtur eſſe tenendum, quòd non: vt enim Angeli boni, quia confirmati, in malum exire nequeunt: ita nec mali in bonum; quia iam confirmati. Inſuper, vt noſtis, à mala voluntate, maloq; velle, niſi malus actus poteſt prouenire: at dęmones voluntate mala carere haud poſſunt, vt Auguſtinus ait de fide ad Petrum: quare, &c. Demum ſic arguitur: ſi dęmones benefacere poſſent, non ſecus ad gratiam ſe pręparare valerent, nec non eam recuperare: at hoc falſum: igitur, & primum. Pro intellectu huius quęſiti, triplex bonum dari ſciendum eſt, ſcilicet naturæ, moris, & gratiæ: ſi primo modo loquamur, certum eſt, oēs dęmonum actus, primam illam bonitatem habere: at ſi ſecundo modo nequaquam; quia illorum actus ſemper malus. De tertio bono mentionem hic nullam facio, quia dęmones gratia carent. Nunc ad rationes, dimiſſis varijs opinionibus probabiliter ſe habentibus circa materiam hanc; & ad primam primò eſt dicēdum: Angelos malos benefacere non poſſe, nec ſecundò, nec tertiò modis bonitatis; & hoc quia ſua propria confirmati ſunt mala voluntate in malitia. Ad ſecundā reſpondetur, q̄d à voluntate mala, inquantum huiuſmodi, bonus nequaquā egredi pōt actus: non propterea videtur eſſe neceſſe, q̄d quicquid à dęmonis voluntate egreditur, ab ea inquantum mala egrediatur. Ad tertiam reſpondetur, quòd benefacere, non eſt, ſe ad gratiam pręparare, niſi in eo, qui

ſit in

ſit in ſtatu viæ, qualis non eſt Angelus malus: & hęc de pollicitis pro pręſenti dicta ſint ſatis.

NVM DAEMONES FVTVRA PRAEDICERE POSSINT. Lectio XXXII.

PRemiſſis quęſitis duobus in heſterna lectione mea, vt audiuiſtis: in pręſenti tria alia apponenda: ut in ſequenti ad octauam feſtinemus diſtinctionem declarandam. Quęri ergo ſolet primo; num dęmones futura pręd icere poſſint. Inſuper. nũ ipſis, corporalis materia ad nutũ obediat: denique; nũ Angelus cęlum moueat per intellectum, & uoluntatẽ, aut per aliam potentiam. Circa primum quęſitum, pro parte negatiua ſic ratiocinor: futurorum pręnunciatio diuinitatis eſſe videtur, iuxta illud Eſaiæ xli. Ventura annumerate, & dicemus, quòd Dij eſtis vos: at dęmones minimè Dij ſunt: igitur futura pręd icere ad eos non ſpectabit. Pro intellectu, determinationeq; huius quęſiti: primò quid ſit futurum debetis adnotare; illud enim uoco futurum, qđ nondum venit, cum aduenturum ſit. Vnde actuum i. Nõ eſt veſtrũ noſſe tempora, vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate, ſed accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalẽ, & in omni Iudęa, & Samaria, & vſq; ad vltimum terræ. Inſuper, futurorum quotuplex genus ſit, quęſo ſecundum Ricardum audite: Triplex enim eſt; nam quędam ſunt futura, cauſam determinatã, & infallibilem habentia, vt potè illa,

quæ

quæ circa motum corporum ſuperiorum attenduntur, in quibus eſt determinatio, & oĩs impedimenti amotio: talia certitudinaliter ſciri poſſunt, non ſolum à Deo, ſed & à creatura, & in ſua cauſa, ſicut tempus eclypſis, & conſimilium; quędam alia ſunt, quæ cauſam determinatam habent, quia naturæ intentio mouet, ſed fallibilem, quia multipliciter poteſt occurrere impedimentum, vt puta ager ſeminatus, ſi terra pinguis eſt, & bona diſpoſitio ſuperiorum corporum, fructũ affert pinguẽ; & iſta quodammodo ſciri poſſunt, & preſciri, non tantum à Deo, verum ẽt à creatura, quæ rerum naturas nouit ſuperiorum, & inferiorum, non tamen ita certitudinaliter, ſicut prędicta; dantur quędam alia, quæ cauſam habent indeterminatam, & fallibilem, vt ea, quæ pendent à voluntate noſtra, quæ indeterminata eſt; propter hoc, quia ad oppoſita ſe habet: fallibilis ẽt, quia poſſunt ẽt volenti proficere, multa impedimenta occurrere, & talia certitudinaliter ſciri ab aliqua creatura minimè poſſunt in ſe ipſa, ſed ſolum à Deo, vel per diuinam reuelationem, & ratio eſt, quia creaturæ cognitio, pendet ex re; quoniam igitur res incerta eſt, & in ſe, & in cauſa ſua; ideo creatura certitudinaliter illam noſcere, aut preſcire non poteſt. Diuina verò cognitio non pendet à re aliqua; immò oĩa ſecundum modum veritatis ſuæ nouit; & quia veritas ſua certiſſima eſt, certiſſimè cognoſcit contingentia, vt neceſſaria, & ſicut certiſſimè nouit, ita poteſt certitudinaliter demonſtrare, & reuelare. Ideo hęc præcognitio futurorum, vel Dei eſt, vel à Deo; & ideo cũ talia prædicuntur, prædictio diuinatio dicitur, quia talis eſt actus diuinus, & quia dęmones ſuperbi maximè deſiderant honorari, vt Deus, & maxi-

mè conantur hoc oſtendere in ſe habere; ideo dicere, q̄d dęmones per ſe ipſos futura contingentia certitudinaliter pręſciant, hoc eſt eis attribuere, quod Dei eſt: quare infidelitas. His additur tertiò, dęmones oīa illa prædicere poſſe, quæ valent cognoſcere, V. g. vt illa, quæ purè dependent ex cauſarū naturalium ordinatione; deinde coniectura quadam ēt quędam futura pendentia ex libero noſtro arbitrio cognoſcere: at quæ merè ex Dei voluntate nequaquam: niſi prius facta à Deo reuelatione. Quartò nobis talia, vel prædicere, vel reuelare, ſonos in aere vocibus ſimiles ſignificatiuis formantes, in quibus nobis queant conceptum exprimere. Nunc ad argumentum primum breuiloquio dicendum: illud Eſaiæ adductum, intelligi debere, de futuris, ex Dei ſolum, diuina voluntate pendentibus. Quæ nec boni Angeli, nec mali, niſi prius eis fuerit reuelatum à Deo prædicere poſſunt. Completo iam primo quæſito, quęritur ſecundo. Num ad nutum angelis corporalis materia obediat. Pro parte affirmatiua ſic primo ratiocinor. Angeli maior virtus, quàm animæ rationalis: at conceptui animæ ipſum obedit corpus, quò ad localem motum, & quò ad motū ad formam: igitur multo magis Angelis quò ad vtrunq; debet obedire. Pręterea, quicquid poteſt inferior virtus poteſt, & ſuperior: Angeli virtus ſuperior eſt, virtute naturæ; ſed naturæ virtus, corporalem poteſt tranſmutare materiam ad formam, ut patet de igne, ignem generante: igitur, &c. In oppoſitum ſe habet illud, quod ſolet adduci de agricolis reſpectu ſegetum, nam uti ij minimè dant formā: ergo nec Angeli: quare, &c. Pro dilucidatione huius difficultatis, velim ſciatis, angelos quidem, naturam corpoream ſecundum locum,

non autem ſecundum formam poſſe tranſmutare, niſi mediantibus agentibus naturalibus: quo ſuppoſito rationes diluendæ, & prima primo ſic, quòd anima licet moueat motu locali corpus, non tamen mouet ad formam, niſi mediante motu locali; ex timore enim reuocatur ſanguis à partibus exterioribus ad interiora, ſiue intima tendens; hinc pallor aggeneratur, quantum ad exteriora, è conuerſo verò fit in verecundia; ſanguis enim ad exteriora mittitur, indè uerecundati erubeſcunt. A ſimili de Angelis eſt dicendum, quòd mediantibus corporibus naturalibus, eis obedientibus ad localem motum, in his poſſint aliquam inferioribus cauſare formam. Ad ſecundum reſpondetur, quòd quicquid poteſt virtus inferior, pôt etiam illa ſuperior, in effectibus tamen vtriq; virtuti cõmunibus: at in proprijs minimè, homo enim leonem generare non poteſt, ſed homo hominem, &c. His duobus queſitis, additur tertium dum queritur. Vtrum Angelus cęlum per intellectum, & uoluntatem, vel per aliam potentiam moueat: mihi videtur eſſe fatendum, qđ per aliam Angelus moueat potentiam, quàm per intellectum, & uoluntatem; nam mouere dicitur eſſe actus in alterum tranſiens: at Angeli actus intellectus, & uoluntatis non eſt tranſiens, ſed immanens: ergo, &c. Ex alio latere, uidetur totum oppoſitum aſſerendum eſſe; nam oĩs virtus non organica eſt intellectus, aut voluntatis: at potentia in angelo motiua, virtus eſt non organica: igitur eſt intellectus, vel uoluntas. Omiſſis hic omnibus his, quæ probabiliter dici poſſent circa preſens negotium, ad rationem adductam accedo, & ità dico: maiorem propoſitionem intelligendam fore, de mouentibus per contactum phiſicum, non virtutis, vti lo-

quimur nos in propoſito. Vnde Angelus in mouendo non dicitur mouere per uelle, aut per intelligere; ſed bene quia vult, & quia intelligit. & hęc ſatis. In ſequenti ad octauam accedemus diſtinctionem, interim ualete, meq; mutuo proſequimini amore.

VTRVM ANGELI OMNES, ETC.
Diſtinctio VIII.
Lectio XXXIII.

EX quo de bonis, ac malis Angelis, quorum ſtatus dictus eſt triplex: ſcilicet innocentię, culpę, & pęnę, hactenus verba fecimus: triplicem bonorum inſuper angelorum implicitè ſaltem, ſi non explicitè tangentes ſtatũ: ſcilicet innocentię, gratię, & glorię; conſequenter loquendũ erit, de eiſdem quantum ad corporum aſſumptionem. Habita in hunc modum cum ſuperioribus continuatione, pręſens diſtinctio in ſecta diuidenda decem, modo venit; in quorum primo habetur concluſio; in ſecundo ad hanc probandam quęſtio; in tertio diuerſimode reſpondetur; in quarto notandum; in quinto propoſitio; in ſexto probatio; in ſeptimo dubia duo; in octauo illatum vnum; in nono de malignis ſpiritibus concluſio; in decimo pro probatione Magiſter dubitat, & ſoluit. Circa primi notitiam ſecti, hęc venit ponenda concluſio. Corporales minimè ſunt Angeli, quamuis corpora aerea aſſumunt, pro circa nos explendo aliquo opere miniſteriali. Pro cuius concluſionis intellectu, in medium ſecundo eſt proponenda quęſtio. An ſcilicet Angeli ſibi naturaliter corpora, habeant vnita. Qua

propoſita,

propoſita, diuerſimode tertio eſt reſpondendũ loco; nam quidam ſunt opinati, eos habere corpora aerea, quæ in dęmonibus ante peccatum fuerunt ſubtiliora, & puriora, & impaſſibilia: at poſt peccatum, facta greſſiora, ẽt ab igne corporali paſſibilia; & hoc confirmant authoritate beati Auguſtini, vt patet in textu Magiſtri. Alij verò dicunt, naturaliter eos incorporeos eſſe, & ad illud D. Aug. in contrarium allegatum dicunt, inquirendo, non aſſerendo, ita loquutum fuiſſe. Nunc quarto loco notandum, qđ eſt tale, ponitur, dum dicitur, quod licet Angeli incorporei, quandoq; corpora aſſumant, & quandoq; circa nos viſibiliter operentur: attamen poſt operis perfectionem, illa deponunt. Vnde in huiuſmodi corporibus, hominibus pluries apparuerunt, & aliquando in perſona Patris: in perſona Filij: nec nõ in perſona Spiritus ſancti loquuti ſunt. His quinto additur propoſitio loco, quæ ſub tali verborũ forma iacet. Deus aliquando in formis corporalibus apparuit. Hęc probatur ſexto, authoritate. D. Aug. in ſecundo de Trin. lib. vbi conferens diuerſa ſcripturæ teſtimonia, ex quibus Deum in corporeis figuris, hominibus apparuiſſe probat. Poſt hęc ſunt duo dubia ſeptimo proponenda loco, & primò. Num Deus corporaliter apparens, de nouo ſemper illud ꝑduxerit corpus, in quo fiebat eius apparitio. Inſuper: Num Angeli corporaliter apparentes, ex inferiori materia forment corpora, quæ ſibi coaptent, & ſub quibus pręterea appareant. Dubijs propoſitis, Magiſter nihil dicit, ſed huiuſmodi inſoluta relinquit: nos verò quid tenendum inferius docebimus: illud tamen de Angelis in p̃ſenti, nõ omittentes, qui ad operationes aliquas exercendas, vel ad ſe ipſos manifeſtandos, vel

ad nos

ad nos conſolandos, quandoq; corpora aſſumunt. Et hęc de punctis ſeptem. In octauo illatũ ſub his ponitur verbis, de diuina eſſentia, quæ nunquam potuit, nec videri poteſt; nam quod videtur, ſiue viſibile eſt, mutabile dicitur: at q̃a eſſentia Dei immutabilis: ergo inuiſibilis; & licet glorientur Iudęi dicentes, Moyſen Deum vidiſſe: dicendum eſt, hoc in propria ſuæ diuinæ eſſentiæ ſpecie, minimè intelligẽdum eſſe. Nono de malignis, immundiſuè ſpiritibus, ponitur concluſio talis. Ii per quendam poſſunt quandoq; effectum, hominibus illabi, non tamen illapſu eſſentiali. Pro determinatione huius rei, dubitat decimo loco Mag. & dubitando ſoluit. Quęrit ergo. Num dęmones hominum corpora ſubſtantialiter intrent, vel ſolum intrare dicantur ꝑ malitiæ effectum. Vbi reſpondendo ait, quòd ſolus Deus illabitur menti per eſſentiam; dęmon aũt applicatione, vel oppreſione, ſiue per malitiæ effectum, hominum corpora intrat, vt perbellè probatur authoritate Gregorij, & Bedæ, quæ patent in textu.

AN ANGELI CORPOREI SINT.
Lectio XXXIIII.

NOnnulla equidem conſideratione digna, circa prędeclaratam diſtinctionem octauam, examinanda occurrunt, & primò. Num Angeli corporei cenſendi; Inſuper: Num in corporibus aſſumptis, opera vitæ valeant exercere. Circa primum, ad partem poſitiuam, ſiue affirmatiuam declinantes quidam, in hunc modum argumentatur; in Angelis perfectiorem in-

ueniri

ueniri vitam, quā in animabus, quis ire inficias audebit? at animā non ſolum viuit, verum etiam corpus viuificat: ergo, & Angeli corpora viuificabunt: at hoc non eſſet, niſi corporei forent: quare, &c. Preterea, arguitur ſecundo, authoritate D. Aug. de Ecc. Dogm. ita dicentis. Dicimus Angelos, & oēs ſubſtantias intellectuales natura corporeas: Angeli itaq; corporei. In contrarium ſe habet Dionyſius iiii. de diuin: nom: qui dicit, quod Angeli incorporales, & immateriales intelliguntur. Pro reſponſione igitur, atq; queſiti deciſione, diſtinctio premittenda erit talis: Angelum ſcilicet habere corpus, ſiue corporeum eſſe, bifariam conſiderari poſſe: vno modo ſic, quod ſibi corpus vnitum habeat naturaliter; alio modo, quod habeat corpus voluntate aſſumptum: ſi primo modo: queſtio nulla eſt: ſi ſecundo modo cōcedi poteſt; nam Angelus ſibi aſſumere corpus poteſt; natura enim corporea, angelis ad nutū obedit: hinc eſt, qđ Angeli poſſint determinata actiua ad paſſiua coniungere, & ita qualia volunt, corpora formare. Hic tamen velim ſciatis, quod Angeli corporibus, vt motores vniri dicuntur mobilibus, non per modum formæ informantis; Nunc argumenta ſunt diluenda, & primo primū hac diſtinctione premiſſa, de viuificare, effectiuè, ſcilicet, & formaliter: vnde quæ primo modo viuificant, proculdubio ſunt maioris perfectionis, quo modo anima non viuificat, ſed formaliter: conceditur ergo, qđ intellectualis ſubſtantia viuens, corpori nō vnita, qualis eſt Angelus, perfectior ſit ea, quæ formaliter corpus viuificat: ob id tamen non ſequitur, qđ Angeli ſint corporei. Ad illud beati Aug. dicitur: intelligendū eſſe recitatiuè, non aſſertiuè: ibi enim aliquorum recitauit opinionem, de

Angelis,

Angelis, non tamen ita eſſe aſſeruit. Quod ſi velitis aſſertiuè eſſe loquutum, tunc ad diſtinctionem hanc recurrendum, vel abſolutè, vel comparatiuè ad Deum: primo modo non: ſecundo modo ſic: nam oïa ad corpoream naturam accedunt collata ad Deum, qui actus puriſſimus eſt. Iam primo enodato queſito, nunc alterum accedit in ordine ſecundum: queritur ergo. Num opera vitæ Angeli in corporibus aſſumptis valeāt exercere, V. g. vt loqui, comedere, moueri motu progreſſiuo, & ſimilia facere. Primo aſpectu pars affirmatiua ſuſtinenda videtur; nam teſtimonio ſacræ paginæ Angeli leguntur in corporibus aſſumptis fuiſſe loquuti, nec non comediſſe, & ambulaſſe, vt Angelus Thobiæ Gen. xxviii. quare, &c. Inſuper, nil fruſtra, aut fictum quid in angelorum operibus eſt ponendum: in corpore igitur aſſumpto per Angelum, oculi, nares, & alia ſenſuum organa, per quæ Angelus ſentit vera; & ſic vitæ opera dicetur in corporibus aſſumptis exercere poſſe. Ex alio latere, vitæ opera ab intrinſeco principio ꝓueniunt in his, quæ formaliter viuūt, & opantur: at opa exercita in talibus corporibus aſſūptis ꝓuenire dicūtur ab extrinſeco prīcipio ſecundū ſuppoſitū diſtīcto, vt puta ab angelo, nō igitur, &c. Pro diuiſione, nec nō dilucidatione ꝓpoſitæ difficultatis ſcire debetis operauite duobus dici poſſe modis: aut q a sūt à prīcipio viuēte effectiuè: aut in ſubiecto formaliter viuēte: ſi primo modo, in angelis uitæ opera eſſe fatēdum: at ſecundo modo, neutiquam. Nunc his ita poſitis, ad argumēta accedo, & ad primum dico: Angelos propriè non loqui: at ibi aliquid ſimile locutioni inueniri, inquantū ſonos humanis vocibus ſimiles formant, quod fieri poteſt ſolum per localem motum ex aeris determinata

G *paſſione.*

paſſione. Similiter dici debet, qđ propriè non comedunt, tum quia cibo corporali non egent, tum ẽt quia cibus ab eis aſſumptus minimè conuertitur in comedentis ſubſtantiam: nec conuerti poterat, quia hoc virtute animæ fieri habet; dicatis igitur, quod ille cibus in priſtinā conuertebatur materiam, vt aquæ virtute ſolaris radij in uaporem dicuntur reſolui: ob id minimè nego, quin cibum ſumere poſſint, & traijcere, nec non diuidere: hęc enim oĩa per ſolum motum localem fieri poſſunt. Vnde ibi non eſt vera comeſtio, ſed aliquid comeſtioni ſimile dicitur eſſe, propterea Angelus Thobiæ dicebat, Cum eſſem vobiſcum videbar quidem manducare, & bibere, &c. Ad ſecundum argumentum dicendum eſt, quod organa in Angelis ſint minimè fruſtra ponenda, quando voluntate ſibi corpora aſſumunt, nec quod ibi quid fictum appareat, licet per ea non ſentiant: ſunt enim nobis via ad angelorum ſpiritualem cognoſcēdas virtutes; nam per oculum Angeli cognitiua virtus deſignatur, & per alia inſtrumenta aliæ virtutes, vt graphicè docet Diony. in capite cęleſtis Hierarchiæ: & hęc ſatis.

AN CORPORA HVMANA VALEAT SVBINTRARE DAEMON? Lectio XXXV.

NE quid vitio mihi dari poſſit, hodierna die curioſa quidem duo queſita proponam: quorum primum: Vtrum corpora humana valeat ſubintrare dęmon. Inſuper: Num ſenſus poſſit immutare noſtros. Circa primum, ad partem affirma-

affirmatiuam declinantes quidam argumentari ſic ſolent. Spiritus nonne corpore ſubtilior? at videmus dari corpora quędam ob ſui tenuitatē, ſubtilitatemuè alia ſubintrare: igitur, & dęmon multo magis id poterit, cum viſibilia hęc ſibi ad nutum obediant, Deo tamen permittente. Prętere a, vt in diuinis legitur oraculis, frequenter à corporibus obſeſſis exire compulſi ſunt: at exire minimè poteſt, niſi qui prius intrauit: dęmon ergo, &c. Pro huius quęſiti determinatione velim uos primo perpendere, quid hęc duo verba intrare, & exire nobis importent; nam vt uideo, motum certè localem deſignant, quoniam intrare nil aliud eſt, quam intra ire, & exire, idem eſt, quod extra ire. Habita ergo horum duorum verborum etymologia, nunc concluſio ponenda, deinde ad argumenta accedemus. Concluſio ſit hęc. Dęmon hominis corpus ſubintrare poteſt, cum ſibi localis motus minimè repugnet; nunc ad primum argumentū dico: dęmones humana corpora ſubintrare poſſe, quantum ad operationem. Secundum verò argumentum remanet ex dictis ſatis clarum, nam eo modo, quo intrant, non ſecus exire cōpulſi ſunt, & hęc pro primo ſegmento. Supereſt ſecundo inquirere. Num ſenſus dęmon valeat immutare noſtros: pro parte negatiua ſic ratiocinor; vim dęmon nutritiuam immutare nequaquam pōt: igitur nec potentiam ſenſitiuam, quæ nutritiua perfectior eſt. Deinde, ſolus naturæ author, & actor naturæ curſum immutare poteſt: at dęmon non eſt talis: ergo immutare noſtros minimè poterit ſenſus. Demum, ſenſus à ſenſibili, teſte Philoſopho in libris de anima, habet immutari, non ergo à dęmone. In contrarium ſe habet illud, quod de Angelis legitur, qui venientes ad Sodomam ſubuer-

tendum, cęcitate ſodomitas percuſſerunt: quare, &c. Pro intellectu huius difficultatis ſcire debetis: ſenſum poſſe quandoq; immutari de ocio in operationem, V. g. dum quis efficitur videns, qui prius non uidebat, quandoq; etiam de iudicio in deceptionem, vt quando alicui videtur, quod trabem trahat gallus: quibus modis, noſtros dęmon dicitur poſſe immutare ſenſus. V. g. primo ſenſui noſtro ſenſibile pręſentando, deinde organum ſenſus immutando ad indebitam diſpoſitionem per actionem alicuius immiſſi, puta humoris circa guſtũ, vel groſſi, & terreſtris circa viſum, ideo, &c. Nunc rationes diluendę, deinde erit finis. Ad primã ergo dicitur: dęmonem, & ſenſitiuam, & vim nutritiuã immutare poſſe, actionem eius totaliter impediendo per quid mortiferũ appoſitum, ſiue immiſſum. Immittendo ergo, vel debilitando dicitur ſenſitiuam, & nutritiuam poſſe immutare dęmon. Ad alterum in ordine argumentum ſecundum de facili reſpondetur, quod actoris naturę ſolum eſt immediatè naturę curſum immutare, quo modo dęmon poteſt minimè: at ab extrinſeco quin poſſit & dęmon mediatè tamen non negatur. Ad tertium dicitur, ſenſum à ſenſibili, vt ab obiecto moueri proprio, & à dęmone, vt à non proprio. His ita diſpoſitis, iam finis eſt huius ſecundę quęſtionis. In ſequenti aliam multo magis curioſam examinabo quęſtionem: interim valete.

AN COGITATIONES, SIVE NOTSRAS AFFECTIONES ANGELI COGNOSCERE VALEANT. Lectio XXXVI.

VObis pollicitus ſum, ſi rectè recolitis, curioſam, ſcituquè dignam, examinare queſtionem: vt ergo ꝓmiſſis ſtem, queram in preſenti. Num Angeli noſtras valeant cognoſcere, ſiue intueri cogitationes. Mihi certè videtur, quod ſic; nam corpore viſo, videtur, & formæ, quæ ſunt in corpore, nec non quæ continentur ſub obiecto potentiæ viſus: ſimiliter cognito intellectu, cognoſcuntur, & actus, ſeu formæ cadentes ſub obiecto potentiæ cognoſcibilitatis: at Angeli perfectè intellectum cognoſcunt noſtrum, & uoluntatem noſtrã, in quibus affectiones noſtræ ſunt: igitur, &c. Preterea, ſi demones id poſſunt, cur non, & Angeli boni cogitationes noſtras cognoſcent? Ex alio latere, cum hoc Dei peculiare ſit, non uideo quo modo angelis debeat id adſcribi; Pro determinatione ergo huius queſiti, quedam prenotanda erunt; deinde argumenta ſoluentur. Notandum eſt ergo primò, quòd hominis cogitatio, vel eſt, vel eſſe poteſt triplex: vna à Deo illapſa, & iſta ſemper eſt ſancta: alia à diabolo ſuggeſta, & iſta ſemper eſt praua, & deceptoria: alia eſt ab ipſomet homine inuenta, & orta, & iſta eſt vana, & inanis, q̃a homo ſemper cogitat de mundanis, & honoribus adipiſcẽdis; & tales cogitationes uanæ ſũt: Hinc Dauid dicebat, Dominus ſcit cogitationes hominũ, quoniam uanæ ſunt: cogitare verò de bono, quod neceſſitatis eſt, vel precepti ad hoc faciendum, ſemper à Deo eſt. V. g. cogitare quo modo quis

poteſt obedire Deo, & Eccleſiæ preceptis; ſecundo notandum eſt, dari triplicem cognitionem: certam: euidentem; & coniecturalem. Certa cognitio, vt ſcribit Gab. qualis eſt fidei cognitio, quæ per reuelationem habetur: cognitio euidens illa, quæ de per ſe notis habetur, vel notis per experientiam; coniecturalis verò cognitio, quæ habetur per ſigna, non ſimpliciter certa. Tertiò conſiderandũ eſt, quod affectiones noſtræ, aut ſunt futuræ, aut preſentes: ſi futuræ ab angelo precognoſci minimè poſſunt certitudinaliter, ſiue ꝑ certam cognitionem, nec ẽt ab homine; & ratio aſſignatur, quia pendent à cauſa impedibili, puta à uoluntate noſtra libera; ſi ſunt preſentes, tunc diſtinguendum; vel enim habent eſſe in intellectu, & uoluntate, vel in effectu. Si primo modo, ab Angelo certitudinaliter non cognoſcuntur: ſi ſecundo modo, & ab ipſis, & ab homine cognoſci poſſunt, coniecturaliter. Nunc ad argumenta reſpondendum, & primò ad primum ſic: non eſſe neceſſe, quod Angelus eius habitudinem ad obiectum ſecundum affirmationem, vel negationẽ cognoſcat, dato, quod noſtrum intelligere ſit forma quedam intellectus noſtri ab Angelo cognita: vel dicatis, quod coniecturaliter cognoſcere poſſit, non certitudinaliter; & ſic in ordine ſecundum tollitur hac reſponſione argumentum. Dum verò arguebatur, hoc Dei eſſe proprium, &c. concedi debet certitudinaliter, & immediatè, nec non ab intrinſeco: at Angelus ab extrinſeco: & hec intantum.

DE

DE ORDINVM DISTINCTIONE, ETC.

Diſtinctio VIIII.

Lectio XXXVII.

EXpoſiturus hodierna die diſtinctionem in ordine nonam huius libri ſecundi, ne à veſtigijs meis recedam, continuationem in primis perpendam; deinde ad diſtinctionem diuidendam hylari vultu accedam. Ex quo ergo actũ fuit ſuperius de angelorum communi creatione, inſuper, de bonorum, & malorum diſtinctione: conſequenter nunc pertractandum venit, de bonorum dignitate, & comparatione in ſpecie. Habita in hunc modum ſerie, diuidi modo habet in puncta nouem: in quorum primo, concluſio cum probatione ponitur; quid ſit ordo in altero declaratur; nomina Angelis conuenire tertio manifeſtatur; contra prędicta dubitatur, & quarto ſoluitur; quinto propoſitio ponitur; ſexto pro probatione dubitatur, & ad partẽ vtranq; arguitur; in ſpecie ſeptimo de Angelis vnum in dubium reuocatur, & quid tenendum, exprimitur; his noua apponitur propoſitio; pro cuius intelligentia difficultas pręmittitur, & diluitur octauo; circa prędicta nono, beati Gregorij, nec non D. Aug. opiniones recenſentur. Quantum ad primum concluſio eſt hęc. Nouem ſunt chori, ſeu angelorum ordines, in Hierarchijs tribus ſecũdum dona nominatim diſtinctorum. An hoc ſit verum quęſo, audite: Angeli enim tres Hierarchias compręhendunt, quarũ ſingulæ ordinibus ternis conſtituuntur: at ter tria ſunt nouem, Angelorum ergo chori nouẽ. Hęc veritas confirmatur ſic, quia horum ordinum, tres ſunt ſuperiores,

riores, ſcilicet Seraphin: Cherubin, & Throni: tres inſuper medij, V. g. Dominationes, Principatus, & poteſtates; deinde tres inferiores, vt potè: virtutes: Archangeli, & Angeli: ſunt itaq; angelorum nouem Chori, & hęc pro primo puncto. In ſecũdo, q̄d ſit ordo declaratur, nam eſt ſpirituum multitudo cęleſtium, qui inter ſe, in aliquo gratiæ munere aſſimilari dicuntur, ſicut illi, qui in donorum naturalium participatione conueniunt. V. g. Seraphin conueniunt in charitatis ardore; Cherubin, in ſcientiæ plenitudine; & ſic oẽs, qui ſunt eiuſdem ordinis, conuenire dicuntur in illo, q̄d illi proprium eſt ordini, & hæc pro ſecundo puncto. In tertio nomina Angelis conuenire docet Magiſter, non tamen propter eos, ſed propter nos, vt ſcilicet per huiuſmodi nomina nobis innoteſcant. Vnde ſinguli ordines nominantur à donis gratiarum, in quibus ſuperiores, inferiores præcellunt; quod ſic venit intelligendum, non quod ordinem gratiæ à quo denominatur ſuperior, non habeat inferior, ſed quòd tam ipſam non habeat excellenter. Vnde ſuperiorem ordinem Seraphin à dono charitatis (q̄d inter dona ſupremum eſt) nominamus; non ideo quia ſolus ille ordo donum habeat, ſed quia cæteris excellentius habeat illud; ordinem aũt ſequentium, ſcilicet Cherubin à plenitudine ſcientiæ dicimus, quia donum ſcientiæ, charitatis donum immediatè in donorum ordine ſequitur. Contra ſententiam hanc, quarto loco Magiſter inſurgendo ait, ex ipſa ſequi, Cherubin maioris eſſe ſcientiæ, quam Seraphin; eo quia Cherubin à ſcientiæ dono nominetur; ſed reſpondetur, hoc minimè ſequi; nam quilibet ordo denominari debet ab illo dono, quod in eo præ alijs donis fulget, quare Seraphin

non

non à ſcientia, ſed à charitatis dono dictus. Quinto loco de natura Angelica hæc propoſitio ponenda. Angeli ab initio creationis ſuæ minimè erant, vt nunc ſunt, in nouem ordines diſtributi, ſiue ordinati, atq; diſtincti. Quam vt probet Magiſter ſent. primo dubitat. Vtrum angelorum ordines ab initio eorum creationis fuerint diſtincti. Primo aſpectu videtur eſſe tenendum, quod ſic; nam Angelus primus, qui cecidit, ſuperior fuiſſe dicitur: ergo. In oppoſitũ verò poteſt argui per hoc, quod ordines denominantur à donis gratuitis, quæ nec boni, nec mali in principio creationis habuerunt; ad hoc dici poteſt, quod ab initio ſuæ creationis minimè eorum ordinum diſtinctionem habuerunt: at bene diuerſitates naturalium donorum; ſecundum quæ boni ſtantes diuerſa gratiæ bona receperunt, & ordinati fuerunt: dæmones verò cecidiſſe dicuntur, non quia ipſi quãdoq; ordinati fuerint, ſed ſi ſtetiſſent, ſecundum eorũ naturalium dona, per gratiæ dona ad illos ordines pertinentia percepiſſent; & ita in ordines illos locati fuiſſent. Inſuper, quæritur ſeptimò vnum de Angelis in ſpecie. Vtrum ſcilicet omnes Angeli eiuſdem ordinis ſint æquales. Circa hoc quidam dixerunt, quod ſic, licet in textu Magiſter ſent. partem tueatur negatiuam: vt enim in ordine Apoſtolorum, aut martyrum, quidam alijs digniores ſunt, ita conſimiliter in angelorum ordine. His additur propoſitio noua octauo loco, quæ eſt. An ad ſingulares angelorũ ordines, homines ſaluandi aſſumantur, ſecundum numerum beatorum angelorũm. Ad quam probandam Magiſter ſent. dubitat, & ſoluit: cum itaq; non ſint niſi nouem ordines angelorum, quare ſcriptura dicit, decimum ordinem per homines ſaluandos reſtaurari? ad hoc

dici

dici poteſt, q̃d non ideo dicitur, quia decimus ordo ſit, vel quãdoque fuerit, ſed quia tot homines ſaluentur, quot Angeli ſunt in ordine vno: hinc dicitur decimus ordo reſtaurari; demum opiniones beati Gregorij, & D. Aug. ponuntur; opinatur enim D. Gregorius, quod tot homines ſaluentur, quot Angeli perſtiterunt; opinio autem beati Aug. eſt, quod tot ſaluentur, quot ceciderun: quæ autem verior, minimè determinatur in præſenti.

DE HIERARCHIA, ETC. Lectio XXXVIII.

AD vberiorem doctrinam eorum, quæ dicta ſunt à Magiſtro ſent. in prędeclarata diſtinctione, quędam de Hierarchia conſideranda erunt, vt in ſequenti de more dubitemus Hierarchia ergo dicitur à ieros, quod eſt ſacer, & archia principatus, quaſi ſacer principatus, quod nomen Dionyſius Areopagita omnium primus, ad angelos tranſtulit, quod, & ſanctitate pręſtarent, & principem locum ſecundum Deum in vniuerſo obtinerent. D. Bonauentura volens nobis aperire quid ſit Hierarchia dicebat, quod eſt rerum ſacrarum, & rationabilium ordinata poteſtas, in ſubditis debitum retinens principatum; & eſt triplex, ſcilicet ſuper cęleſtis ſeu ierarchia, quæ dicitur diuina: cęleſtis, quæ eſt Angelica: & ſub cęleſtis, quæ eſt humana, ſiue eccleſiaſtica. Verũ quia Hierarchia non ponitur niſi in ſubſtantia intellectuali, ſubſtantia aũt intellectualis triplex eſt, diuina, angelica, & humana, ideo triplex Hierarchia, ſcilicet ſuper cęleſtis,

& eſt

& eſt ſacroſancta Trinitas, ac diuina perſonarum vnitas, quam ſic deſcribit Dionſius Cap. iii. de Angelica Hierarchia. Eſt pulchritudo diuina, vt ſimplex, vt bona, & pfectionis auctor, pura, nullam prorſus admixtionem diſſimilitudinis accipiens, rerum ſingulos pro meritis ſuis ſuæ participes faciens, & ſacroſancto myſterio perficiens. Hierarchia creata ſecundum Dionyſium vbi ſupra, tàm Angelica, quàm humana dicitur ordo ſacratior, & ſcientia, & operatio, quæ ad Dei ſimilitudinem pro viribus nititur, ac pro modo ſuo ad imitationẽ Dei ex indulta ſibi diuinitus intelligentiæ luce ſubuehitur. Vnde breuiter Hierarchia creata, dicitur quędã ſacra poteſtas, plures continens ordines, communicans inferioribus determinato ordine, quod à prima poteſtate ſuſcepit. Hierarchia Angelica triplex eſt ſecundum Dionyſium, ſcilicet eparchia, ideſt ſuprema; meſarchia, ideſt media, & hyperchia, ideſt infima. Sumitur aũt hęc diſtinctio ſecundum proprietates, quas ponit Dionyſius, quæ ſunt ſcientia, ordo, & actio; vel aliter accipitur, hęc diſtinctio, & clarius penes tres ſtatus, & officia, quæ ſunt contemplatiuorum ſtatus; prẹlatorum; & actiuorum. Penes ſtatum contemplatiuorum ſuprema Hierarchia eſt: penes ſtatum prẹlatorum media: penes ſtatum actiuorum ecce infima. Prima comprẹhendit Seraphinos, Cherubinos, & Tronos. Altera Dominationes, Virtutes, & Poteſtates. Tertia, Principatus, Archangelos, & Angelos. Singulis hiſce ordinibus ſunt q̃dã munera delegata, quæ in diuinam gloriam cedunt; nam Seraphinorum proprius eſt incredibilis quidam amor, quo inflammati, ſic in Deum rapiuntur, vt cum illo arctiſſimè coniungantur. Cherubinis intelligentia quædam

dam

dã admirabili eſt tributa, qua Deo maximè fruuntur. Troni verò tanquam firmiſſimæ ſedes quędam, & tribunalia ſunt, in quibus Deus inſidens, iudicia ſua ex illis emittit; alterius Hierarchiæ ordines ad vniuerſi bonum ſpectant; nam poteſtates malos ſpiritus puta dęmones arcent, illiſq; vehementer obſiſtunt, ne hominibus iniurias grauiores inferant. Virtutes ardua, & difficilia oĩa præſtant, & quæ naturam excellere videntur, abſoluunt. Dominationes virtutibus imperant, & vt imperata facile conficiant, iuuant, eaſq; optimè dirigunt. Extremæ Hierarchiæ primi Principatus, Prouincijs pręſident; Archangeli, & Angeli hominum cuſtodiam ſunt ſortiti; illi quidem peragentes, quæ in multorũ bonum cedere videntur; & ij, quæ ad homines ſingulos ſpectant; per hos ergo, & alios Angelos diuina mandata perferuntur, & negotia maiora, vel minora, vt homines Deo, eiuſq; voluntati perlibenter obediant. Accedit tandem Hierarchia Eccleſiaſtica, quæ eſt in militanti Eccleſia, in qua varij gradus ponuntur, quorum alter alteri pręſidet, non tamen taliter, ſicut in Angelis: & hęc ſatis.

AN HIERARCHIAE FINITIO BONA. Lectio XXXIX.

CIrca diſtinctionem prędeclaratã duo nobis inueſtiganda occurrunt, quorum ad Hierarchiæ finitionem pertinet primum. Alterum verò ad homines reſpectu ordinum angelorum. Quo ad primum, ſolet quęri. Num Hierarchiæ finitio à Dionyſio data ſit bona. Mihi ſanè videtur, quod pars negatiua

defendi

defendi poſſit; nam, vt norunt periti, pars integralis de toto prędicari minime poteſt, at qui ordo Hierarchiæ pars eſt: igitur, &c. Minor quia ſuſpecta vobis apparet, propterea in hunc modum probatur, in quacunque enim Hierarchia ordines tres ſecundum Dionyſiũ inueniuntur: non igitur rectè dicitur Hierarchia ordo. Prętereà nulla finitio bona debet dari per res diuerſorum generũ: at quæ Hierarchiæ finitionem ingrediuntur, ſunt diuerſorum generum, vt ſcientia, ordo, & actio: itaq; non bene finita videtur fuiſſe Hierarchia. In cõtrarium ſe habet Dionyſius, qui Cap. iiii. Cęleſtis Hierarchiæ ait, eſſe Hierarchiam diuinum ordinem, ſcientiam, & actionem comprehendentem. Pro reſponſione igitur rationum, primo q̃d ſit Hierarchia cõſiderandũ: inſuper, ſup̃ hoc q̃d fundata ſit: deinde rationes diluentur. Pro intelligentia primi, eſt notandum, q̃d oẽs Angeli beati, licet immediatè diuinam eſſentiam videant, in cuius viſione conſiſtit ipſa beatitudo, miſterium tamen gratiæ, & ea, quæ circa nos agere debent, vt in Deum reducamur, non nouerunt, niſi quatenus èis reuelatur: ideo ordinem circa ea miſteria, quæ ſunt ordinata per eos fieri diuinitus circa nos habent; Inſuper ſcientiam; deinde actionem, quæ tria in finitione Hierarchiæ concurrunt, ordo, ſcientia, & actio. Ordo vt nunc nunc dixi: ſcientia, vt quid agendum Angeli intelligant: actio, vt q̃d intellexerunt agendum perficiant. Vnde de his q̃dam immediatè à Deo illuminari dicũtur vt ſup̃mi, alij verò immediatè; medij quidem per ſupremos, & infimi per medios: hęc enim diuinitatis lex eſt (vt ait Dionſius) infima per media ad ſuprema reducere, ex quibus, quid Hierarchia, patet; eſt enim beatorum ſpirituum

rituum ordo in recipiendo diuinas illuminationes ab ipſo, vt reducamur in Deum: ecce q̃d ſit Hierarchia; ſuper quod aũt fundari habeat ſilentio hoc inuoluam, quia ex iam dictis ſuperius hoc notũ, & manifeſtum eſt; nam fundatur ſuper illuminationũ diuinarum receptionem. His ita pręmiſſis, rationes formatę de facili ruent. Ad primam ergo dum dicebatur, q̃d pars non pręd icatur de toto, & c. diſtinguendum eſt de ordine, nam ad duo poteſt referri, vel ad habitudinem diuerſarum perſonarum in eodem offitio, quo modo ordo pars Hierarchię eſt, nec de ipſa videtur pręd icari poſſe: quãdoq; verò reſpicit, ac dicit habitudinem diuerſorum officiorum ad inuicem, & ſic idem eſt, quod ordinatio, ſe habens vt quid ſuperius ad Hierarchiam, de qua pręd icatur: argumentum itaq; aduerſariorum primo modo bonum: at ſecundo modo nullum. Ad ſecundum dicitur argumentum, illud quod non eſt per ſe vnum, ſed ratione ordinis ſolum, notificari, manifeſtariq; poſſe per res diuerſorum generum, vti euenit in Hierarchia. Expoſito igitur in ordine primo quęſito, accedit alterũ de Angelis; nã iure merito quęritur. Vtrum homines ad angelorum ordines aſſumantur nec ne. Mihi equidem apparet q̃d nõ; nam Angeli, & homines in Hierarchia differunt, nec non in ordine: quare ad Angelorum ordinem aſſumi poterunt minimè. Inſuper, plus diſtare dicitur natura hominum à natura angelorum, quam vnius Angeli natura ab alterius natura; ſed Angelus inferioris ordinis, nunquã aſſumitur ad ordinem ſuperioris: igitur nec homines ad angelorum ordinem. In oppoſitum ſe habet illud Matthęi xxii. Erunt ſicut Angeli Dei in cęlis; videtur itaquę, quod ad angelorum ordinem homines poſſint aſſumi. Ad hanc

difficul-

difficultatem determinandam nobiliſſimi Auditores, ſcire debetis: homines ad angelorũ ordines aſſumi, duobus poſſe capi modis: vno modo quãtum ad offitij æqualitatem, alio modo quantum ad pręmij æqualitatem: ſi primo modo, nequaquã ad angelorum ordines aſſumuntur, quibus cõpetit, ac conuenit purgare, illuminare, perficere, cuſtodire, & nunciare: quę officia ſecundum communem legem hominibus, nec ẽt beatorũ animabus cõuenire poſſunt, niſi ex diſpenſatione diuina. Nunc ad argumentum primũ quid dicendum patet, nam currit de ęqualitate officiorum, ſecundum quam Hierarchiæ actus attenduntur: homines ergo ad angelorum ordines quantum ad eorum officium aſſumi non poſſunt; nec quo ad eorum naturam: at quantum ad gratiam, ſiue pręmij ęqualitatem, bene poſſunt homines ad angelorum ordines aſſumi: triplex enim ordo datur, naturæ; ordo officij; & pręmij; primis duobus modis homines nequeunt aſſumi: at tertio modo ſic. Ad ſecundum argumentum conceditur, quod Angelus inferioris ordinis, nunquam ad ordinem ſuperiorẽ eleuetur; neq; quãtum ad officium; neq; quo ad pręmium, & hoc ꝗa in Angelis gradus pręmiorum minimè augeri dicuntur ſecundum gradum pręcedẽtium meritorum: ſecus autem eſt, de merito hominis, vt aliàs ſatis abundè dictum fuit à nobis. Illud verò Matthęi adductum ſuperius, intelligi habet, quo ad pręmium. Hęc intantum.

AN

AN OMNES SPIRITVS, ETC.
Diſtinctio X.
Lectio XL.

INterpretaturus vobis in preſenti, diſtinctionem in ordine decimã, qualiter à ſuperioribus pendeat primo aperiam, deinde ad diuiſionem accedam. Vbi ergo Magiſter ſent. loquutus eſt de Angelis comparatiuè adinuicem: conſequenter nunc de eiſdem pertractare intendit, per comparationem ad Deum: ecce diuerſus reſpectus, & cõparatio diuerſa, vnà cum pendentia. Diuidi modo poteſt preſens diſtinctio decima in nouem puncta. In quorum primo, ponitur concluſio; in ſecundo dubium; in tertio pro reſponſione variæ opiniones adducuntur; in quarto obijcitur in ſpecie, contra opinionem dictam; in quinto, reſpondetur; in ſexto, ꝑ ſecundæ opinionis confirmatione, quędam incidenter tanguntur; in ſeptimo Dionyſii authoritas, qua prima fulciri videbatur opinio, ſoluitur; illata ex prędictis duo octauo loco, inferuntur; nono de Angelis (vt audietis) ſuperioribus quędam opinio ponitur. Concluſio ergo, vt rem aggrediar hęc eſt. Angeli de ſingulis ordinibus ad extra, ad noſtrum miniſterium mittuntur; ad quã probandam ſecundo venit quęrendum loco: Num oẽs Angeli de ſingulis ordinibus ad exteriora nuncianda mittantur. Pro reſponſione tertio variæ hic opiniones ponendæ ſunt loco, quarum prima partẽ tuetur negatiuam, qđ minimè oẽs mittantur; nam ſemper ſuperiores Deo aſſiſtere dicuntur, & hoc authoritatibus Dionyſii, & Danielis confirmatur; quibus apertè dicitur, quod ſuperiora illa agmina,

ab intimis nunquam diſcedunt. Altera opinio tenet, quod oēs mittantur; cuius motiuum, ac fundamentum inde ſumitur; q̃ a legitur Seraphin miſſus ad Eſaiam: ſi ergo de Seraphin. mittuntur, qui ſupremi ſunt ordinis: igitur dicendum, quòd de ſingulis ordinibus mittantur; pręterea: nonne filius Dei, qui Angelis omnibus ſuperior miſſus fuit? deinde, nonne hoc idem videtur confirmare Paulus dùm inquit, quòd oēs ſunt adminiſtratorij ſpiritus, miſſi in miniſterium? hinc quarto obijcit loco Magiſter contra opinionem iſtam dicens. Si oēs mittuntur: cur non dicuntur oēs Angeli, ſiue nuncij, ſed vnus ordo hoc ſolū nomen ſortitur? Ad hoc, quinto loco ita reſpondendum; q̃d illi, qui de ordine inferiori ſunt, ꝓpriè Angeli dicuntur, quia ex eorum officio proprio, ſępius mittuntur: nihilo minus tamen, & alij etiam quandoq; mittuntur; inde angelorum nomen ſuſcipiunt, iuxta illud Pſal. Qui facit Angelos ſuos ſpiritus; nam qui naturaliter ſpiritus ſunt, quãdoq; Angeli, ideſt nuncij fiunt, & ideo pro huius ſecundæ opiniones confirmatione incidentaliter quędam tanguntur, V. g. q̃d nomina iſta, Michael, Gabriel, Raphael, ſunt nomina propria quorundam ſpirituum à ſuperiori ordine miſſorum; licet alij dicant, nomina eſſe officiorum. Vnde quia Raphael interpręt atur medicina Dei, ideo quilibet Angelus, qui ad medendū mittitur, Raphael dicetur. His ſeptimo ſoluenda venit loco, beati Dionyſij authoritas, qua prima videbatur opinio fulciri: dicitur ergo, quòd Angeli ſupremi aſſiſtere dicuntur, quamuis rarò mittantur: qui tamen mitti dicuntur, à Dei pręſentia minimè recedunt, ſed ęquè bene eius contemplationi aſſiſtunt, quod non ſecus illi facere dicuntur, qui quotidie, vel ſaltem

frequenter mittuntur. Poſt hęc cĩa, duo ex prędictis inferuntur illata, quorum primum eſt, quòd Angeli miſſi, diuerſa nomina ſecundum varias officiorum proprietates ſortiuntur. Alterum eſt, ꝙ Angeli miſſi, tempore miſſionis ab intimis diuinæ contemplationis minimè excluduntur. Deinq; nono, & vltimo loco tertia ponitur opinio tenentium Angelos ſuperiores nunquam mitti: vt ſupremi enim ſemper dicuntur aſſiſtere: at infimi tres chori ſemper mittuntur, medij verò aſſiſtere, & mitti dicuntur: inquantum medij inferioribus nunciant, ideſt inferiores illuminant; verum quia vt ſic, ſuperiores medij nunciant, & medij infimis, propterea ſuperiores dicuntur mitti, & ad illũ ſenſum loquutus eſt Apoſtolus dicens, Oẽs miſſos ad miniſtrandum. Ad authoritatẽ verò Eſaiæ Magiſter reſpondendo dicit: Angelum miſſum ad Eſaiam propriè de ordine Seraphin. non fuiſſe: at ſic denominatum eſſe ab effectu, ad quem venerat: venerat enim ad inflammandum cor incendio amoris Dei: & hęc ſatis pro pręſenti.

NVM ANGELI OMNES IN MINISTERIVM MITTANTVR.
Lectio XLI.

Hodierna die ad vberiorem doctrinam eorum, quæ tacta ſunt in litera à Magiſtero ſent. quęſita duo proponam: quorum primum erit. Num Angeli oẽs in miniſterium mitti dicantur; Alterum. Num omnes aſſiſtant. Quo ad primum: inſurgunt quidam ꝑ parte affirmatiua ſic arguentes: ſi non omnes

realiter

realiter mitterentur, ſed inferiores tantùm, cum quilibet habeat inferiorem ſe, excepto vltimo, nullus equidem mitti diceretur, niſi vnus qui vltimus eſt omnium: at hoc abſordum, & inconueniens: igitur, &c. deinde. Diuinæ perſonæ, ſcilicet Filius, & Spiritus ſanctus Angelis nobiliores, mittuntur vt in primo vidimus libro: igitur, & Angeli: quare, &c. In oppoſitum ſe habet beatus Gregorius dùm inquit, quòd ſuperiora agmina ab intimis nunquam recedunt: igitur nō oēs mittuntur. Pro reſponſione determinationeuè propoſitæ difficultatis, dimiſſis varijs circa materiam hanc opinionibus, eſt ſciendum; quòd ſicut diuinæ perſonæ, puta Filius, & Spiritus ſanctus ad creaturam ſanctificādum mittuntur: ſic Angelus mitti dicitur, cum ex imperio diuino aliquid circa nos, vel nunciando, vel reuelando, vel q d aliud huiuſmodi operando facit. Quo preſuppoſito ad argumenta ſoluenda accedo, & ad primum dico: Angelos inferiorum ordinum regulariter mitti, maiores quidem ad maiora, inferiores verò, & minores ad minora; illi verò ſuperiorum ordinum minimè mitti dicuntur, niſi raro, & diſpenſatiuè, vt aliàs determinatum fuit. Ad ſecundum argumentum neganda venit ſimilitudo adducta de diuinis perſonis, & ſuperioribus Angelis; & ratio aſſignatur, ne erubeſcamus; quia quamuis diuinæ perſonę ſint excellentiores, perfectioresq́; Angelis: effectus tamen ſecundum quos mittuntur perſonæ diuinæ, à creatura eſſe nequeunt: at oīa miniſteria regulariter poſſe expleri per oēs Angelos inferiores quinq; ordinum fatendum. Illud verò Gregorij dictum, habet intelligi regulariter loquendo: at diſpenſatiuè oppoſitum euenit quandoque. Explanato primo queſito, ſubſequitur alterū in

ordine ſecundum, vbi quęritur. Num oẽs Angeli aſſiſtere dicãtur. Pro parte affirmatiua extat perpulchra ratio vna, q̃ talis Omnes Angeli, ſunt miniſtrantes, vel aſſiſtentes: at oẽs miniſtrantes ſunt aſſiſtentes: igitur, &c. Minor exemplo ſic declaratur; nam Raphael, qui in miniſterium Thobiæ miſſus fuit, dixit Thobiæ: Ego ſum vnus ex ſeptem, qui aſtamus, &c. Ergo idem de alijs in miniſterium miſſis, erit dicendum: quare, &c. In oppoſitum tamen videtur ſe habere ſacra ſcriptura, quæ diſtinguere videtur inter aſtantes, & miniſtrantes dùm dicit: millia millium aſſiſtebant ei. Pro determinatione igitur quęſiti, quid ſit aſſiſtere Deo velim ſciatis; aut enim eſt Deum pręſentem cernere, aut eſt eius mentem ſcire, quo modo Regi dicuntur aſſiſtere omnes, in quorũ pręſentia eſt Rex, & ſecretarij, ſolum eius mentem ſcientes aſſiſtere dicuntur. Si primo modo ſumatur aſſiſtere, ſic Deo Angeli oẽs dicuntur aſſiſtere; ſi ſecundo modo capiatur aſſiſtere Deo pro mentem illius ſcire: hoc adhuc duobus poterit accipi modis: vno modo generaliter: alio modo ſpecialiter; ſi primo modo, omnes Angeli aſſiſtere dicuntur; & ratio aſſignatur, quia de miſterijs, quæ à Deo reuelantur, nil vnus ſcit, qđ alius neſciat: at ſi magis ſpecialiter aſſiſtere capiatur, ſcilicet ꝓ eo, qđ eſt eius mentẽ ſcire; ſic nec oẽs Angeli, nec beati aſſiſtere dicuntur; ſed ſolũ illi, qui immediatè à Deo illuminãtur; Ad illud verò ſcripturæ dicendũ venit, qđ licet oẽs Angeli aſſiſtant, horum tamen quidã asſiſtunt, & miniſtrant regulariter: alij verò non, ſed tantùm aſſiſtunt: Ex quibus patet, quid ad formatum dici poſſit argumentum; nam vtrunq; teneri poteſt, vt intuenti patet: & hęc pro pręſenti.

QVOD

QVOD VNA QVAEQVE ANIMA, ETC.
Diſtinctio XI.
Lectio XLII.

DIlucidata in ordine diſtinctione decima, huius libri ſecundi; ſequitur vndecima exponenda: circa quã verſaturi, continuationem primò perpendemus; deinde ad diuiſionem feſtinabimus. Quantum ad primum, arbitror vos ſcire, hactenus determinatum fuiſſe, de Angelis comparatiuè ad Deum: nunc verò de eiſdem ſub alio ſcilicet reſpectu, vt potè per comparationem ad homines tractandum. Diſtinctio hęc in octo videtur poſſe vſurpari puncta; in quorũ primo habetur cõcluſio: in altero probatio; in tertio propoſitio; in quarto dubium cum ſolutione; in quinto noua concluſio; in ſexto dubium, una cum diuerſis opinionibus; in ſeptimo ex prędictis vnũ colligitur; in octauo, & vltimo ſubditur opinio quorundam, circa Dei cognitionem, & Angelorum dilectionem. Quo ad primum, concluſio hęc eſt. Ab initio natiuitatis ſuæ, quilibet homo Angelum bonum ad ſui cuſtodiam, & Angelum malum ad ſuum exercitium deputatũ habet. Angelus aũt bonus ad hominis cuſtodiam deputatus, duodecim bona facit: Primo à ſomno peccati excitat. Act. xii. Percuſſoq; latere Petri, excitauit eum. Secundo pigrum, ac negligentem ad bonum operandum incitat: 3. Reg. de Helia. Tertio contrarias arcet poteſtates, quæ ſępe hominem ſuffocarent, cum eſt in peccato, ſi permitterentur: Vnde dicitur Thobiæ viii. quod Raphael ligauit dęmonium, &c. Quarto docet ꝙ facere debeat. Quinto cõſolatur. Lucæ xxii.

Acceſſit Angelus cōfortans eū: Sexto repreſentat eleemoſynas, & orationes noſtras Deo, vt habetur in Thobia: Septimo adiuuat cōtra hoſtes viſibiles: Vnde Elias vidit caſtra Angelorū: Octauo increpat eum, qui diù fuit in peccato mortali, reducens ei ad memoriam peccata ſua, & beneficia Dei: Iudith. 2. Dixit Angelus populo Iſrael, cur hoc feciſtis? Nono occaſiones peccandi remouet, & impedimenta boni: Decimo viam oſtendit. Vnde Raphael Thobiam duxit: Vndecimo ardorem mitigat concupiſcentiarum, ſicut è cōtrario diabolus accedit. Dan. 2. Angelus deſcendit, &c. Duodecimo orat pro nobis. Dan. x. Nemo eſt adiutor meus ad orādum ꝓ nobis, niſi Michael. His ita pręmiſſis, nunc ſecundo venit probanda loco, concluſio beati Hieronymi, & Gregorij authoritatibus, vt eſt videre in textu: Viri etenim iſti ſancti aſſerunt, q̄d quiſque, bonum Angelum ſibi ad cuſtodiam deputatum, & vnum malum ad exercitium habet; & licet oēs boni Angeli, bonū velint noſtrum, atq; ſalutem; ille tamen, qui homini ſpecialiter eſt deputatus, ad bonum prę alijs adhortatur; ſimiliter licet omnes Angeli mali hominē ad malum exerceant, nec non incitent, & prouocent, magis tamen ſuus dicitur exercitator ad malū ipſum inſtigare. His tertio loco proponitur hęc propoſitio, quod vnus Angelus pluribus ſimul, vel ſucceſſiuè, poſſit pręeſſe hominibus. Pręmiſſa propoſitione, dubitatur quarto. Vtrum quilibet homo ſuum habeat proprium Angelum cuſtodem, aut vnus plures cuſtodiat Angelus: Ad quod dicit pōt, quòd ſicut vni homini multorum cuſtodia committitur, vt Epiſcopis, Abbatibus, atq; Prioribus: ita plurium hominum cuſtodia, vel exercitium vni, bonorum, vel malorum committetur,

ſaltem

ſalt ē ſucceſsiuè. Nec ob id negandum, q̄d ſinguli homines actualiter exiſtentes, ſingulares non habeant Angelos pro ſuo exercitio, vel cuſtodia, quia iam hoc eſt dictum. Quinto loco, ponitur hęc concluſio. Angeli boni in ſua beatitudine meritoriè dicuntur proficere, vſq; ad mundi conſumationem: ad q̄d videndum dubitatur ſexto. Vtrum ſcilicet boni Angeli in merito, vel pręmio ꝓficiant: circa hoc, quidam ſunt opinati, q̄d non ſolum in merito proficiant, verum etiam in pręmio, ſcilicet in cognitione, & Dei dilectione, ita q̄d magis, ac magis ipſum cognoſcant, & diligant; q̄d autem in cognitione proficiant, videtur per hoc probari poſſe, quia myſterium incarnationis Chriſti plenè non cognouerunt ante paſſionem, cuius ſententiæ videtur fuiſſe beatus Hieronymus, licet D. Auguſtinus contrarium dicere videatur: quorum Doctorum controuerſia, vt diſcutiatur, ita dicẽdum: Angelos quidẽ maiores ſciuiſſe Chriſti incarnationem, ẽt antequàm fieret, licet tamen non perfectè: at minores eã minimè cognouiſſe, niſi poſtquàm facta: Hinc ſeptimò loco, vnum colligitur dùm dicitur, quòd tàm maiores, quàm minores in cognitione ꝓfecerunt, & ꝓficiunt in diem iudicij. Demũ octauo, ſcilicet loco, ponẽda venit quorundam opinio totum ſe habens in oppoſitum, quòd ſcilicet Angeli, nec in cognitione, nec in Dei dilectione proficiant; ſed ſolum in quarundam rerum exteriorum cognitione, ſicut eſt Chriſti incarnatio, & ſimilia. Magiſter ſent. declinans ad primã opinionem, Iſiodori, & beati Gregorij, authoritates quaſdam ſoluit, quæ vidẽtur ſuadere, Angelos in ſcientia poſt eorum confirmationem minimè profeciſſe, ſed omnia ſcire. Dicit ergo, nec non fatetur omnia quidem ſcire, ſed non

 perfectè,

perfectè, vel omnia ſcire ad eorum beatitudinem pertinentia: & hęc de pollicitis in pręſentia.

VTRVM QVILIBET HOMO AB INITIO NATIVITATIS SVAE, CVSTODEM Angelum habeat, &c. Lectio XLIII.

NE ſilentio inuoluamus ſpectantia ad Magiſtri ſent. dicta, opere prętium erit, tria non magno verborum apparatu rimari, in pręſenti quęſita. Quorum primum. Num quilibet homo à natiuitatis ſuæ principio Angelum ad ſuam cuſtodiam habeat deputatum. Alterum. Num Angeli dicantur in cognitione proficere. Demum. Vtrum vnus Angelus per illuminationem alterius proficiat in cognitione. Circa primum; pro parte negatiua ſic arguitur. A Deo homines cuſtodiuntur: ergo nõ ab Angelis: conſequentia patet, quia vbi cuſtos fortior, ibi ſuperfluit infirmior: cuſtos fortior eſt Deus, infirmior verò Angelus: igitur, &c. Preterea: Angelorum cuſtodia circa homines dicitur eſſe, vt ad ſalutem dirigantur: at ſalutis minimè capaces ſunt, antequam baptizati ſint: non ergo ante baptiſmum ſaltem, Angeli videntur hominum habere cuſtodiam. Pręterea: Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus: at beati ab Angelis non cuſtodiuntur: igitur Angelum cuſtodem Chriſtus minimè habuit; In contrarium extat illud Pſal. Angelis ſuis Deus mandauit de te, &c. Inſuper, illud Hieronymi ſuper Matthęum xviii. Angeli

eorum

eorum in cęlis ſemper vident faciem patris: magna quidem animarum eſt dignitas, vt vnaqueque ab exordio natiuitatis ſuæ, ad ſui cuſtodiam Angelum delegatum, ac deputatum habeat. Pro dilucidatione igitur quęſiti propoſiti, duo pręmittēda occurrunt: Primum eſt, quòd rationabiliter ponitur, ꝑ Angelos bonos, cuſtodiri homines: alterum eſt, quòd Angeli ad hominum cuſtodiam deputantur, à natiuitatis tēpore, vſq; ad mortis horam incluſiuè. Nunc paucis verbis eſt reſpondendum argumētis, & primò ad primum, de cuſtodia duplici, principali ſcilicet, & miniſteriali: argumentum currit primo modo, & nos hic loquimur ſecundo modo. Nec ob id dicendum, quòd vna harum ſuperfluat, nam neutra cuſtodia liberum arbitrium cogit, neq; neceſſitat: quin ad bonum, & ad malum inclinari valeat. Ad ſecundum argumentum debet negari, ꝙ prędicta cuſtodia, electis, & reprobis, bonis, & malis non conueniat, & licet à baptiſmate incipiat homo gratiam regulariter habere, quæ principium eſt merendi ſalutem, ſola tamen natura humana, ante baptiſmum, talis dicitur creata, quæ poteſt ſalutis particeps eſſe; vnde beneficia, quæ homini dantur inquātum chriſtianus eſt, licet à baptiſmi tempore incipiant, ea tamen, quæ ſibi conferuntur, vt beatitudinis capax eſt, ſiue per natiuitatem in vtero, ſiue extra exhiberi videntur, licet differenter, nam in vtero huiuſmodi beneficia cum matre communia recipit, at poſtea naſcendo ex vtero, ea ſibi propria habeat. Ad tertium de Chriſto dici poteſt, quòd quamuis Chriſtus ſecundum portionem rationi ſuperiorem fuit beatus, nec hoc modo cuſtodia indigens angelorum, fuit tamen ſecundum corpus paſſibilis, atq; viator, & ſic Angelū cuſtodem

habuit,

habuit, non tanquàm ſuperiorem, ſed bene vt miniſtrum, & hęc de primo quęſito. Cui nectitur alterum dùm quęritur. Vtrum Angeli dicantur proficere in cognitione per mutuam locutionem; mihi quidem quòd non, videtur eſſe dicendum, omnis enim locutio fieri ſolet per verba, quæ auditui inſeruiunt, vel per nutus, ſiue facta, quæ viſui aptantur: at iſti duo ſenſus nequaquam in Angelis ponuntur: igitur, &c. In oppoſitum ſacra ſcriptura ſe habet, quæ Angelos ſibi mutuo loquẽtes introducit, licet modũ aſſignare velle, perdifficile ſit apud Doctores. Pro dilucidatione itaq; huius difficultatis, pręnotanda quędam ſunt, deinde argumentum diluetur adductum. Primo ergo dico, quòd Angelus loquendo alteri, nihil facit, niſi quòd cauſat cogitationem alicuius obiecti in ſe, quæ cogitatio in loquente cauſata tanquã obiectum, cauſat effectiuè in Angelo audiente notitiam intuitiuam ſuimet cogitationis, vt i copiosè apud Gab: videre eſt. Secundum verò Bonauenturam, Angelus dicitur audire, & videre: quæ duo in Angelo nihil aliud ſonant, niſi intelligere, ideo tunc dicitur videre, cum ex proprio motu intelligit aliquid; & tunc audit, quando per ſpeciei oblationem intelligibilis, ab eo intelligente excitatus, ipſum quod profertur intelligit. Inſuper, notandum ſecundo: duplicẽ dari locutionem, ſcilicet interiorem, & exteriorem: nos hic de prima intendimus, non de ſecunda; Nunc ad argumentum formatum quid dicendum patet, nam currit de locutione, quæ fit ab extra, per voces, per nutus, & facta; non tamen de illa ab intra, reſpectu Angeli dirigentis, & ordinantis ad alterum conceptum ſuum. His quęſitis duobus, nunc tertium addendum: ſolet enim quęri. Vtrum vnus Angelus proficiat

ficiat in cognitione, per alterius illuminationē. Pro parte negatiua ſic arguitur. Lumen forma quędam eſt, ſed Angeli formam nequeunt immediatè inducere aliquam: igitur, &c. Verum quia Dionyſius cap. octauo cęleſtis Hierarchiæ oppoſitum tenet, ideo pro determinatione queſiti, quatuor prǫmittemus; primum Angelorum reſpicit actus, quos dicuntur ſuperiores habere, reſpectu inferiorū; tres enim ſunt: ſcilicet purgare; illuminare; & perficere. Alterum tendit ad quod quid eſt illuminationis; nam illuminatio nil aliud eſt, quàm veritatis manifeſtatio, ſecundum qđ ad intellectum pertinet; teſte Paulo Apoſtolo ad Epheſios iii. quorum aūt ſit illuminatio tertio declaro, nam eorum dicitur ſolum eſſe, quæ à diuina voluntate dependent, quæ cēs Angelos latent, niſi eis reuelentur. Quarto agendum eſſet de modo, quo Angelus vnus alterum illuminat, quē modum aſſignare velle perdifficile eſt: varij enim Doctores varia dicunt: ſat igitur vobis ſit, illud ſcire, quòd illuminare nihil aliud eſt, quàm obiectum manifeſtare. Nunc ad argumentum formatum eſt dicendum, quòd vnus Angelus alterū minimè illuminat creando in ipſo aliquod lumen, ſiue gratiæ, ſiue naturæ, vel gloriæ, quo modo argumentum currit. Non ob id debet negari, quin inferiores Angeli queant in cognitione proficere à ſuperioribus illuminati ex conſequenti: & hęc pro pręſenti.

POST CONSIDERATIONEM DE ANGELIS, ETC.

Diſtinctio XII.

Lectio XLIIII.

ORdine ſecundum perfectius vt norunt docti, ſuperius actum fuit de natura purè ſpirituali, ideſt de Angelis: nunc verò ex conſequenti agendum de natura merè corporali, vt potè de ſenſibilis mundi productione, ſic breui nexum, & intentionem huius diſtinctionis tenetis. Ad diuiſionem modo accedo, diſtinctionemquè pręſentem in ſeptem puncta ſecari poſſe dico. In quorũ primo extat concluſio; in altero probatio; in tertio propoſitio; in quarto pro dilucidatione, ac ꝑ intellectu quarti puncti, duo tanguntur; in quinto habetur propoſitio; in ſexto, probatio; deinde contra prędicta inſtatur in ſeptimo. Quantum ad primum, hęc eſt concluſio. Deus benedictus in principio elementorum quatuor, materiam informem, ideſt indiſtinctã creauit. Ad hanc probandam loco ſecundo Magiſter ſent. pręmittit, diuinã ſapientiam vna cum Angelica natura, in elementis quatuor confuſam, & informem, produxiſſe materiam. Inſuper, in ſex diebus perfectè formauiſſe, & diſtinxiſſe: licet ſanctorum quidam vt beatus Aug. & ſui, ſint opinati, oĩa ſimul in materia ẽt diſtincta, ſecundum formas producta. Alij verò vt beatus Gregorius, & Beda, dixerunt, materiam primo rũdem, nec non informem creatam, è qua poſtea per dierum ſex interualla, res corporales ſecundum proprias eſſe ꝓductas ſpecies. Cui opinioni videtur fauere Magiſter,

ob

ob plurimorum doctorum ſententiam, & ſcripturæ ſacræ authoritatem: at dicetis, libenter ſciremus, num illa informis materia ꝑducta, vno tantùm ſit nomine vocata: Ad hoc paucis dici poteſt, ꝙ non, ſed nomine diuerſo, nã primo terra dicta eſt, vt ibi: In principio creauit Deus Cęlum, & Terram, & exprimitur nomine terræ, nõ propter terreſtrem ſubſtantiam, ſed bene ob ſpecioſitatis priuationem, ſiue carentiam; quandoq; etiam exprimi conſueuit nomine abyſſi, ibi, cum dicitur, Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & hoc propter diſtinctionis defectum, qua diſtinctione ipſa priuata erat. Inſuper, aqua nominari ſolet, vt ibi, cum dicitur, Et ſpiritus domini ferebatur ſuper aquas. Nec id mirum videri debet, nam vt aqua multã habere dicitur fluxibilitatem, ita materia illa diuerſam potentiam ad formas diuerſas recipiendas habet: at iterũ dicetis: cur vno tantùm non eſt nomine vocata talis materia, ſed pluribus? ad hoc dicitur iure meritò id factum fuiſſe, ne crederetur vnius formæ ſolũ receptiua, ſi vnico eſſet nomine vocata. Prętèrea, dicetis: cur, ẽt vſitatis nominibus eſt nominata? reſpondetur, hoc factum fuiſſe ob populi ruditatem, cui Moyſes ſcripſit. Enodatis in hunc modum punctis duobus paucis: tertium accedit hac propoſitione contentùm. Deus elementorũ confuſam materiam in eodem loco, vbi nunc eſt, creandam collocauit. Ad cuius probationem duo dicenda occurrunt: quorum primum eſt, quo modo illa materia informis ſit dicta, cũ tamen omni forma minimè caruerit. Ad quod dici poteſt, non eſſe dictam informem ob omnis formæ carentiam, ſed quia formam indiſtinctam, atq; confuſam habebat, & non diſtinctam, vt poſtea habuit. Alterum notatu dignum eſt,

ad

ad locum pertinens, vt ſciamus, vbi fuerit illa creata materia, & quantum ſpacij occupauerit. Ad hoc dici poteſt, quòd creabatur in illo vbi, in quo nunc mundus exiſtit, & quod cuiuſlibet elementi ſpacium occupabat; extendebatur ēt ſecundum aliquos vltra firmamenti locum, quatenus materia illa, in parte inferiori ſpiſſior, & denſior; in parte uerò ſuperiori rarior, atq; ſubtilior. Vnde de parte illa rariori, aquas ſupra firmamentū exiſtentes, eſſe factas quidam dicebant; & hęc de quatuor punctis. In quinto ponitur hęc propoſitio. Deus poſt mundi creationem, atq; in ſex diebus perfectam, nec non completam diſtinctionem, die ſeptimo ab eius propagatione ceſſauit. Ad quam detegendam, Magiſter in ſexto ita procedit puncto, ſupponendo, quòd rerum perfecta productio, atq; formatio ſit expedita in dierū numero ſenario, ita quòd nihil poſtmodum fuerit productum; quod in primis creaturis, aliquo modo non contineretur, & ideo illa de cauſa ſeptimo dicitur Deus quieuiſſe die: propterea quòd nouas creaturas producere ceſſauit. At contra hoc ſeptimo loco authoritate Saluatoris noſtri dicentis: Patrem ſuum, & ſe vſq; modo operari, uos inſurgere video: nō igitur dicitur ſeptimo die quieuiſſe Deus. Deinde, ſi Deus ſeptimo ab oī opere quieuiſſet die, tunc amplius de nouo in rerum natura nil certè produceretur: at hoc eſt falſum: ergo ſeptimo Deus nō quieuit die. An hoc verum, audite: multa enim generabilia ſunt, nondum tamen genita, ſed ſolū in potentia: non ergo oīa diuina virtute creatiua, ſeptimo die producta. Ad hanc dirimendā difficultatē velim uos ſcire: Deum ad rerum productionem quatuor modis operari. Primo naturaliter in verbo, oīa diſponendo: inſuper, materiam

informem

informẽ producendo: tertio materiam ſex diebus confuſam ſecundũ ſpecies diſtinguendo: quarto ex ſeminibus, rebus inditis creata, ne pereant reformando. His pręmiſsis, ſiue prępoſitis, ad formam dico: ſecundum tres illos primos modos operandi, die ſeptimo Deum quieuiſſe: at quo ad quartũ minimè, quia ſemper operatur, & de illo intelligi debet dictum Chriſti, ſuperius allegatum: & hęc de tota diſtinctione ſufficiant.

NVM INFORMIS CREATA FVERIT MATERIA.
Lectio XLV.

M*Vlta tetigit Magiſter ſent. in prędeclarata diſtinctione, quæ maximam quibuſdam difficultatem parere videntur: ad quam tollendam, tria examinabimus quęſita: quorum primum erit, de creatione materiæ: alterum de identitate eiuſdem, reſpectu oĩum corporum: tertium de poſſibili vt audietis. Quęritur ergo primo. An informis creata ſit materia, Mihi ſanè videtur, quòd non: habet enim ſcriptura, In principio creauit Deus cęlum, & terram, habuit ergo ex tunc materia, formam cęleſtem, & elementarem: quare informis dici non debet, quod ſit creata. Inſuper, materia in illo eſſe, in quo primo fuit producta, vel erat in loco circunſcriptiuè, vel non: primum oẽs tanquam verum admittunt Doctores, circunſcriptiuè materiam in concauo cęli Empirei ponentes; alterum ergo negandum, & ita materia minimè informis, quia, quæ in vbi circunſcriptiuè habent*

eſſe,

eſſe, formata dicuntur: igitur, &c. In oppoſitum ſe habet in textu Magiſter, propterea ad hanc terminandam veritatem, velim uos ſcire: materiam duobus intelligi poſſe modis creatã eſſe informem: vno modo per carentiam cuiuſcunq; formæ: alio modo per carentiam formæ completiuæ, & diſtinctiuæ: quo ſuppoſito ad argumẽta formata duo, dico: intelligenda fore, de materia informi ſecundo modo, nõ primo modo: ideo ad argumentum primũ eſt dicendum, quòd licet per cęlum intelligatur tantùm Empireum, & per terrã materia prima: ob id dici non debet, quòd magis tunc temporis eſſet ſub forma terræ, quàm ſub forma aliorum, cum careret omnibus formis diſtinctis, ſed quia terra plus dicitur conditionem materiæ participare, cum ſit ſubiectiua maximè. Alterum argumentum cõceditur, loquendo de forma incompleta, de vltima uerò minimè, & ita paucis, quid de materia creata, num informis, vel formata tenendum ſit, habetis. Nunc inquirendum venit. Vtrum omnium corporum inferiorum ſcilicet, & ſuperiorum, corruptibilium, & incorruptibilium eadem materia ſit. Declinantes quidam ad partem affirmatiuam, ſic ratiocinantur primo. Materia totius naturæ fundamentum dicitur eſſe: ergo eadem hic, & ibi: conſequentia patet, quia hęc compoſita ex materia, & forma, & ſuperiora corpora illa: quare per commentatorem, in oĩbus ex hoc, & in hoc cõpoſitis, cum indiſtinctum ſit fundamentum, quod eo materia: eadẽ ergo horum, & ſuperiorum ponenda. Pręterea: quorum qđ quid eſt, idem dicitur eſſe, in ipſis debet poni eadem materia: at hęc inferiora, & illa ſuperiora ſic ſe habent: quare in illis eadẽ materia cum his inferioribus dicẽda. Minor patet, quia in corruptibilibus

materia

materia illa dicitur ex qua aliquid fit, cũ inſit, authore Ariſtotile libro primo Auſcultationis phyſicæ, ita in ſuperioribus; eadẽ ergo ratio, atq; finitio materiæ reſpectu horum inferiorum, & ſuperiorum; Ex alio latere, corruptibile, & incorruptibile quia differũt plus quam genere, quo ergo modo erit poſſibile eandem his, & illis materiam aſſignare? Inſuper, in his annexam habet materia priuationem, in ſuperioribus verò minimè: non igitur debet dici eadẽ. Circa negotium hoc, triplicem inuenio dari opinionem: prima eſt ponẽtium aliam, & aliam corruptibilium incorruptibiliumq; materiam. Altera opinio dicentium, quòd ſit eadem materia. Tertia, & vltima, quòd nec eadem, neq; alia; fundamentum primæ opinionis eſt, quia cęli materia eſt actuata, non ſub priuatione poſita, vt generabilium, & corrupt. materia. Fundamentũ ſecundæ opinionis, dicitur eſſe non repugnantia, nam licet generabilia per materiam corruptibilia ſint, & cęlum incorruptibile, nullum tamen videtur ſequi incommodum, ſi materia cęli, & corruptibilium ponatur eadem. Fundamentum opinionis tertiæ dicitur eſſe tale, quia in cęlo non ponitur materia, & per conſequens nec eadem, nec alia cum materia rerũ generabilium, & corruptibilium, nec id dictum diſſonum apparet, quia cęlum eſt natura ſimplex. Pro determinatione huius difficultatis, oĩbus quæ dicuntur ab alijs omiſſis, velim ſciatis: materiam vnam omnium corporum eſſe, tripliciter intelligi poſſe: vno modo penès communem rationem, ſecundum quam ſibi conuenit formæ ſubijci ſubſtantiali. Alio modo ſecundum ſpecialem rationem, ſecundum quam ſibi cõuenit ſubijci formæ ſubſtantiali, ac etiam quãtitati: tertio modo ſecundum ſpeciem ſpecialiſſimam,

ſecundùm quã cõuenit ſibi ſubijci formæ ſubſtantiali, quantitati, & contrarietati, ac priuationi. Primo modo vna eſt oĩum creaturarum. Secundo vna eſt materia oĩum corporum, & hoc ad differentiam eorum, quæ diximus in primo modo, ſecundum quem vna dicebatur materia oĩum creaturarũ, tàm ſpiritualium, quàm corporalium. Tertio modo vna eſt materia omnium generabilium, & corruptibilium. His ita pręmiſſis, modo cõcluſio ponenda; deinde argumenta ſoluenda. Cõcluſio ſit talis. Vna eſt materia corporum cęleſtium, & inferiorum, ſecundum rationem communem, atque ſpecialem ſuperius dictam, licet non ſecundum rationem ſpecialiſſimã. Patet hoc, quia vbi eſt forma vnius rationis, ibi eſt materia ẽt vnius rationis; ſed corporeitatis forma dicitur eſſe eiuſdem rationis in corporibus cęleſtibus, & inferioribus: igitur, &c. Nunc ad argumẽta diluenda accedo, & vna reſponſione ſatisfacio: cõfitendo in cęlo reperiri materiam cum his inferioribus eandem ſub illo ſenſu à me in tertio notando dicto; & ad argumenta in oppoſitũ quid tenendum ex dictis patet; his tertio loco addenda venit quęſtio tertia: ſolet enim quęri. Num Deus materiam primam abſq; omni forma producere potuerit, vel productam conſeruare. Mihi ſanè videtur, qđ ſic; nam Deus poteſt facere accidens ſine ſubiecto, vt patet in altaris ſacramẽto: ergo potuit producere materiam abſq; quacunque forma; quoniam minus dependet materia à forma, quam accidens à ſubiecto: at Deus primum poteſt: igitur, & ſecundum. Prętereà: quicquid Deus poteſt mediantibus cauſis ſecundis, nonne id totum poterit ſine ipſis? at Deus ineſſe materiam conſeruat mediante forma, tanquam cauſa ſecunda: igitur, &c.

Circa

Circa queſtionem hanc, duplicē inuenio opinionem, prima partem ſuſtinet affirmatiuā, quòd Deus potuerit facere, nec non materiam cōſeruare abſq; quacunq; forma, & hoc virtute diuina, qua prius à ſuo videtur poſſe abſolui poſteriori. Altera opinio declinat ad negationem, & hoc ex parte repugnantiæ, nam videtur repugnare ipſi materiæ (vt pars compoſiti) quòd ſine forma inueniatur. His præmiſſis, Ad argumenta venio, & ad primum dico, de poſsibili ex parte Dei, eſſe hoc concedendum, licet quidam alij ſimilitudinem ſubterfugere videantur, de materia reſpectu formæ, & de accidente reſpectu ſubiecti; nam ſecundum iſtos dicitur, plus pendere materia à forma ſecundum actualem exiſtentiam, quàm accidens à ſubiecto, q̄ a materia eſt in potentia, accidens verò actus: quare nulla videtur ſimilitudo. Ad ſecundum argumentum dicitur, quòd in cauſis efficientibus hoc ſit verum, ſcilicet Deum poſſe facere ſine his, quicquid facit mediantibus ipſis: negant tamen hoc quidam de cauſis medijs formalibus, eò quia non poſsit facere album ſine albedine, nec animal abſq; corpore, vt loquamur de cauſis materialibus: huius autem cauſa eſt, quia materia, & forma principia rebus intrinſeca ſunt: quare ab his excludi non poteſt.

QVAE FVERIT PRIMA DISTINCTIONIS OPERATIO.

Diſtinctio XIII.
Lectio XLVI.

NE à mea videar conſuetudine recedere velle (Nobiliſsimi Auditores) capitis mei corona: circa decimam tertiam di-

ſtinctionem verſaturus, primo ob oculos continuationem pręſentis cum ſuperioribus ponam veſtros. Deinde ad diuiſionem accedam. Vbi ergo verba fecit Magiſter ſent. de creationis opere, qđ ante oēm diem dicitur factum fuiſſe: cõſequenter nunc pertractandum erit, de diſtinctionis opere, quod factum fuit prima die, ideſt de lucis productione: circa quam materiam, ſex vobis ex voto Magiſtri ſent. propono: concluſionem, cum probatione primò. Tres quęſtiones ſecundò; concluſionem tertiò; pro probatione quęſitum quartò; cõcluſionem quintò; ad quã probandam dubitatur ſextò; Quo ad primum, concluſio hęc eſt. Deus prima diem lucem fecit, diſtinguendo tempus in diem, & noctem: ad quam probandam Magiſter ipſe proponit, quod primum, à quo rerum oĩum principium incepit lux fuit, & congruè quidem, propterea quod, lux cęterea manifeſtare habet. Circa quod tres excitantur quęſtiones vt eſt videre in ſecto ſecundo: quarum prima ſic ſe habet. Num lux illa prima die producta, corporalis, vel ſpiritualis fuerit: qđ quęſitum q̄a duplicem retinet partem, icircò ꝓ ſolutione dicendum: vtroq; accipi modo poſſe, nam ſi pro luce ſpirituali accipiatur, tunc formationem Angelicæ naturæ, per gratiam gratum facientem dicemus ſignificare; quæ vt ſupra eſt dictum, quodammodo ſub nomine cęli, producta hiue creata fuit. Si verò pro luce corporali; tunc ſupponet pro nubecula quadam lucida, de pręiacenti materia à Deo creata. Quęritur ſecundo, vbi lux illa fuerit facta: ad qđ dici poteſt, quod ibi, vbi iam ſol cietur: immo lux illa ſolis vicem in tribus primis diebus tenens, motu ſuos diem, noctemq; producebat: nec ab aquis impediri poterat, ne luceret, propter aquarum

raritatem tunc. Vnde, & tunc quando per olei imiſſionem, aqua rarificatur, quodammodo illuſtrari dicitur. Hinc nautæ in maris profundo ſe immergentes, cõſueuerunt ex ore ſuo oleum ad centrũ, ſeu maris profundum vt aquæ clariores fiant, mittere. His duobus quęſitis apponitur tertium, dum quęritur. Cur quarto ſol factus eſt die, cum ſufficeret lux illa, prima die producta, ad diem faciendum? difficultate ꝓpoſita, nunc his verbis diluenda, quòd lux illa tantum ſuperiores illuminabat partes, non tamen ita clarè ſicut ſol, propterea congruum fuit ſolem fieri ad lucis clarioris diffuſionem, & hęc de partibus duabus de ſex propoſitis. Accedit tertia, hac propoſitione contenta. Deus non vocis temporali ſono, ſed verbo, ſic ab æterno dixit oĩa efficiendo. Pro huius probatione quęritur quarto: qualiter à Deo ſit dictũ, fiat lux: An hoc temporali ſono prolatum, vel aliquo modo alio. hic D. Aug. dicit, quòd non temporaliter, quia dato, quòd ſic: tunc mutabiliter Deus loquutus fuiſſet, nec ẽt ſono vocis corporaliter, cum Deus inſtrumentis naturalibus, q̃bus ſonus talis cauſari dicitur, ipſe careat: in verbo ergo ſibi coęterno, ideſt in ipſo filio dixit: fiat lux. Ideſt verbum intemporaliter genuit, in quo erat diſpoſitum ab ęterno, vt fieret lux in tempore, vti iam in eo factũ eſt. Poſt hęc, quinto, proponitur talis propoſitio loco. Quamuis Deus ſecundum ſcripturam ſacram operatus ſit per filium, non tamen vt per miniſtrum, ſed per illum, quẽ genuit ſibi coęqualem oĩum opificem: ad quam cognoſcendam veritatem quęritur ſexto loco. Quo modo pater dicatur operari per filium, vel in filio. Dimittentes erroneum ſenſum, & ad catholicũ declinantes intellectum, dicimus: duplicem habere poſſe ſenſum

premiſſam propoſitionem. Primus eſt, quod quando operari dicitur per filium, ſeu etiam per ſpiritum ſanctum, tunc ſignificatur inſeparabilis operatio, ſiue actio perſonarum cum authoritate. Inde prouenit, quòd pater per filium operari dicatur, & non è contra. Alter ſenſus eſt, quòd pater operetur per filium, quia genuit opificem filium: & hęc de tota diſtinctione.

DE LVCE.
Lectio XLVII.

DE luce fauente Dei gratia, hòdierna die intendo loqui duobus modis, videlicet in generali, & in ſpeciali. Si primo modo, quatuor cõſideranda erunt: ſcilicet naturæ conditio: differentiæ ratio: diſtinctio inhęrentiæ, & perfectio ſuæ excellentiæ. Quantum ad primum, de luce: conditio naturæ, vel eſſentiæ ſcilicet, quid ſit videndum; nam inuenio circa lucem tres opiniones: quidam enim dixerunt, quòd lux eſt corpus; quidam aũt quòd eſt intentio; quidam alij, quod eſt accidens, vel qualitas actiua corporis lucidi, vt potè ſolis. Qui lucem ponebant eſſe corpus, videbantur niti Beati Aug. authoritate in lib. de libero arbi. dicẽtis, quòd lux in corporibus locum obtinet primum; ſed hoc penitus eſſe falſum doceo dupliciter: propter ſitum, & motum: quantum ad ſitum primò, quia corpora duo in eodem forent ſimul loco, quod eſt falſum: at lumen ſimul dicitur eſſe cum aere: igitur lumen ſiue lux nõ eſt corpus; altera ratio in ordine ſecunda à motu eſt deſumpta, nam nullus corporis motus in inſtanti eſſe poteſt: at illuminatio

fit

fit in inſtanti, quia in eodem inſtanti, quo ſol eſt in puncto orientis, illuminatur totum hemiſpherium noſtrum; ergo, &c. Ratio aũt quare dicatur eſſe in inſtanti hęc eſt, quia in ſubiecto, & in ſe ipſo lumen, vel lux contrarium minimè habet. Ad authoritatem verò Beati Aug. dicentis, quòd lux in corporibus primũ obtinet locum, reſpondeo, & dico, quòd Aug. accipiebat lucẽ pro corpore lucido, ideſt pro corpore ſolis, quod ſuper oĩa corpora nobilius dicitur; vel pro corpore ignis, quod inter oĩa elementa nobilius, quia actualius. Secunda opinio accedit dicentium, lucem non habere eſſe firmum, & ratum in natura, ſed tantum intentionem eſſe, & dare eſſe ſpirituale coloribus in medio. Pro cuius opinionis probatione extant rationes duæ, quarum prima eſt, q̃d nihil alteri dare poteſt, quod non babet: at lumen in aere dicitur dare ſpeciei coloris eſſe intentionale, nam ſpecies coloris per aerem ad pupillam delata in aere, minimè habet eſſe naturale, ſed ſpirituale, quod patet; q a per eandem aeris partẽ, ſpecies albedinis, & nigredinis deferuntur: ergo, & ipſum lumen in medio eſt quędã intentio. Altera ratio ad idem talis eſt. Senſibile reale ſupra ſenſum poſitum, vel ſupra ſenſitiuam potentiam, non facit ſenſum, quia non ſentitur, & ita ſenſum deſtruere dicitur, ſed lumen, vel lux in aere contingens, vel poſitum ſupra pupillam ſentitur: ergo lumen in aere eſt quędam intentio non habens eſſe naturale, ſed ſpirituale. Sed hęc opinio falſa videtur; quod enim habet eſſe intentionale tantum ad illius eſſe intentionis effectus aliquis realis minimè ſequi videtur, niſi ſecundum animæ operationem, vt patet in videndo, & audiendo: at per illuminationem videmus ſenſibiliter naturales, & reales tranſmuta-

tiones fieri per caliditatem ex radijs ſolis conſequentem, propterea eſſe non poteſt, quòd lumen, vel illuminatio habeat eſſe intentionis tantùm; Ad primum verò argumentum quando dicebatur, nihil dat alteri, quod non habet; reſpondeo tribus modis: primo ſic, qđ non ſemper oportet, quod quis quid alteri det eo modo quo habet, V. g. ſol dat calorem formaliter iſtis inferioribus inhęrendo, nec tamen iſto modo ſol formaliter dicitur calorem habere, ſed virtualiter tantum; ſimiliter lumen in diaphano habet eſſe intentionis: hoc aũt eſſe virtualiter, vel formaliter dicitur. Secũdo reſpondeo, & dico, quod nil dat alteri, quòd non habet principaliter in ſe: nihilominus inſtrumentaliter, & virtute principalis agentis ſic, verbi gratia. Sicut ſerra, vel dolabra dat eſſe domui virtute principalis agentis, & tamen huiuſmodi inſtrumentum non habet eſſe domus, ſed agens principale ſic, licet nõ eodem modo, ſed intentionaliter, & ſpirituale eſſe domus. A ſimili luminoſum corpus dicitur habere eſſe reale, quale dat lumen. Tertio modo reſpondeo, & dico, qđ tria iſta, color ſcilicet; lumen; aer, vel aqua generant ſimilitudinem ſuam in medio, ſed differenter; quia color dat eſſe intentionale per modum efficientis; lumen verò per modum formalis; aer aũt, vel aqua per modum materialis. Ad illud argumentum, de ſenſibili poſito ſupra ſenſum, &c. tribus modis reſpondeo, & primo dico, ſecundum philoſophum in ſecũdo de anima, quod ſenſibile poſitum, &c. non ſemper ſentitur, & ratio eſt, quia oportet eſſe medium inter ſentiens, & ſenſibile: lumen aũt non requirit medium, ſed medij rationem habet: quare, &c. Dicitur ſecundò, qđ philoſophi verbum habeat intelligi, de ſenſibili terminato, quod

pupillam

pupillā obumbrat, non aūt, de peruio, V. g. ſi quis immediatè aqua pupillam tangit, nō impeditur eius viſio: tale aūt peruium, lumen eſt. Tertiò reſpondetur ſecundum philoſophum, quod coloratum viſui ſuppoſitum, nō videtur, quia lumen quod eſt in diaphano dat eſſe formale colori, & ſine eo non eſt actu viſibilis color: at quia lumen exiſtens in diaphano eſt id, quod facit potentia viſibile, actu viſibile, ideo ſuppoſitum viſui videtur, quia eſt id, quod per ſe eſt viſibile, ſicut ꝑ ſpeciem intentionalem cognoſco aliquid reale, ſed ſpeciem ꝑ ſe ipſam. Verior ideo opinio tertia apparet Philoſophi, cui aſſentio, qđ lux non eſt corpus, nec forma ſubſtantialis alicuius corporis, nec intentio, vt ex pręmiſſis dictis patet; ſed eſt accidens, vel forma accidentalis, habens eſſe ratum, & firmum in natura; & hoc primo Damaſceni authoritate lib. ii. patet, ibi enim dicitur, quod lux eſt quędam qualitas accidentalis ſolis. Secundò idem à ſimili detegitur; vt enim calor qualitas actiua, formam ignis conſequens dicitur eſſe: ita lux erit qualitas conſequens formam ſolis ſubſtantialem, vel cuiuſcunq; alterius corporis à ſe lucentis. Tertiò idem confirmatur diſtinctione; cum enim lux ſit accidens: duplex aūt, vt patet dicitur eſſe accidens, ſcilicet per ſe, & accidens per accidens; dico quod lux eſt accidens per ſe corporis, per ſe lucidi, & vocatur accidens ꝑ accidens corporis illuminati, & ſicut calor eſt per ſe accidens ignis, & accidens per accidens corporis calefacti: ita lux eſt qualitas ꝑ ſe actiua, ſiue accidens per ſe ipſius ſolis, & in alijs eſt ſecundum quod magis cum ſole communicant; qui totius luminis fons eſt: vbi notandum, quòd lux in eo, quod dicitur accidens per ſe corporis lucidi, eſt in ſecunda qualitatis ſpecie: in

eo verò

eo verò quòd eſt accidens corporis illuminati per accidens, debet locari in tertia ſpecie qualitatis: & hęc ſatis.

DE LVCE, LVMINE, RADIO, ATQVE SPLENDORE.

Lectio XLVIII.

INſuper circa lùcem in generali ratio differentiæ cõſideranda venit, differunt etenim iſta quatuor: lux: lumen: radius; & ſplendor. Cuius ratio aſſignatur, quia lux dicitur ſecundum quod eſt in aliquo corpore lucido in actu, vt in ſole à quo alia illuminantur. Lumen aũt dicitur, ſecundum quod eſt receptum in corpore diaphano illuminato. Radius aũt ſecundum directam lineam ad lucidum corpus, & ideo vbicunq; eſt radius, ibi lumen eſt: at non conuertitur; contingit enim lumen eſſe in domo ex ſolis reflexione radiorum, quamuis non ex directa oppoſitione, propter aliquod corpus interiacens. Splendor aũt eſt ex reflexione radij ad aliquod corpus terſum, & politum, vt ad aquam, vel ad argentũ, vel ad quid aliud huiuſmodi. Preterea: circa lucem cõſideranda venit diſtinctio inhęrentiæ; lux enim ſiue lumen, vt dicit Dionyſius in iiii. Cap. de diuin. nom. in diuerſis recipitur corporibus diuerſimodè ſecũdum ipſorum capacitatem. Vnde aliqua tribus illuminantur modis, quędam enim in ſuperficie tantũ, vt corpora opaca; quędam alia in profundo, vt diaphana, quæ lucem habent, non tamen retinent, quia imperfectè lumen recipiunt. Vnde oportet, quòd lumen in eis ceſſet abſente illuminãte. Tertio ſunt aliqua, quæ

perfectius

perfectius lumen recipiunt, & lumen retinent, vt carbunculus, & huiuſmodi. Quartò circa lucem conſideranda venit perfectio excellentiæ; nam inter oĩa ſenſibilia lux certè eſt nobiliſſima, & hoc oſtendunt quatuor quæ producit, ſcilicet actio; alteratio; generatio; & eſſe ſpiritualis collatio. Quantum ad primum, virtute lucis fit à ſuperioribus actio. Vnde Auicena dicit, quod nulla actio eſt à corporibus ſuperioribus, niſi mediante luce, ſicut ẽt ignis agit mediante calore. Secundò ex hoc ſequitur ex luce alteratio; nam alteratio cõis, quæ eſt in inferioribus perfici habet per virtutem luminis, ſiue ſit alteratio ſecundum eſſe naturale, ſiue ſecundum ſenſum. Tertiò ſequitur ex luce generatio, cuius eſt ratio; quia ex eo, quòd lux alterat, ſequitur, quòd lux oĩbus corporibus generationem conferat. Quartò ſequitur ex hoc ſpiritualis coloris quo ad eſſe collatio, ſcilicet, quòd lux coloribus eſſe ſpirituale conferi. Vnde & ipſum lumen virtutem ſpiritualem habet; & inde eſt, quòd ẽt ſecundum Aug. lumen dicatur medium in omni ſenſu, ſed in viſu primo, & immediatè, quia qualitates viſibiles cęteris ſunt priores, pro vt ſecundum eſſe formale ſunt inuentæ in corporibus inferioribus, ſecũdum qđ conueniunt cũ corpore cęleſti; vt habetur lib. ii. de anima, & de generatione apud Ariſtotilem. Completo ſermone de luce in generali, nunc de luce in ſpeciali dicendum: circa quod quatuor conſideranda occurrunt: lucis productio primò; approbatio ſecundò; diſtinctio tertiò; expreſſio, vel nominatio quartò. Quantum ad primum: Dixit Deus. Fiat lux, & facta eſt lux. In quo verbo tria cõſideratione digna tanguntur, ſcilicet æterna Dei diſpoſitio; rei productio; & producti conditio. Primum ibi, Dixit Deus. i.

voluit.

voluit. Vnde Baſilius, vocem Dei intelligimus uoluntatem Dei, quòd verbum ſcilicet, Dixit Deus, tribus accipi poſſe modis videtur, vel perſonaliter; vel eſſentialiter; vel actualiter. Si primo modo, ecce ſenſus: Dixit Deus, ſcilicet pater: Fiat lux. Ideſt Deus pater genuit verbũ, in quo, & per quẽ oĩa diſpoſuit. Vnde Pſal. oĩa in ſapientia feciſti; cum itaq; audimus hoc, quòd Deus dixit, Fiat lux: intelligimus oĩa in verbo eſſe, vt fierent. Secundo modo Deus accipitur eſſentialiter, & ſic eſt ſenſus: Dixit Deus, ideſt ab ęterno diſpoſuit, vt lux fieret in tempore. Tertio modo tenetur virtualiter; & ſic eſt ſenſus: Dixit Deus, &c. Ideſt fecit vt in productione actuali creaturæ eius celerrima cognoſceretur virtus. Secundò rei tangitur productio, ibi, Fiat lux. Quod verbũ tribus exponitur modis: primo fiat lux, ideſt nubes lucida, quæ in principio fuit creata: ſecundum Aug. lux iſta ſol fuit. Secundò exponitur: fiat lux, ideſt natura Angelica, Dei viſione illuſtrata. Tertio modo exponitur ſic. Fiat lux, ideſt Dei ſapientia ſcilicet Chriſtus, de quo Ioannes. Ego ſum lux mundi, &c. Inſuper, tangitur tertiò producti cõditio, ibi, & facta eſt lux, ſcilicet ſolis; prima die facta. Primò ratione communitatis; lux enim inter omnes corporis qualitates communior, & vtilior extat. Secundò, quia in agendo nobilior: tertiò quia in manifeſtando vtilior: quartò quia in conſtituendo neceſſaria. Prima ergo die, quia dies ſine luce non poterat eſſe: & hic ſuperſedeo.

DE

DE DIE, ET NOCTE, ETC. Lectio XLIX.

DE tribus hodierna die ſum loquuturus vobis: primò de Diei ſignificatis; ſecundò noctis; tertiò, & vltimò de natura ſolis producti. Quo ad primum, ſolet dies diuerſimode accipi, vel pro ipſa luce, quæ in illo triduo tenebras illuminabat; vel pro ipſa aeris illuminatione; vel pro viginti horarum, quatuor ſpatio. Sub alijs verbis notatur Dies à Iacobo de Valentia Pſal. i. temporaliter primoò; & ſic Dies nil aliud eſt, quã ſolis preſentia ſuper terram; ſecundò ſumitur moraliter; & ſic proſperitas vocatur Dies; tertiò allegoricè; ſic noua lex dicta eſt Dies. Primo modo loquebatur Magiſter ſent. non alijs modis. Nunc de noctis ſignificatis quid dicturus ſim, audite: nam nox quandoquè ſolet capi temporaliter, & tunc nil aliud eſt, quam ſolis abſentia: ſecundo moraliter, & ſic aduerſitas nox dicitur: tertiò allegoricè, quo modo lex vetus nox nuncupatur per comparationem ad legem nouam gratiæ. Secundum verò Bruliſer. Solet quadrupliciter nox capi, vno modo pro ipſis dæmonibus, vt vult Aug. ſuper Genes. ſecundo modo pro peccato, vt dicitur à noceo noces, quia peccatum plus omnibus nocet; tertio modo accipitur nox pro abſentia illuminationis ſuper hemiſphærium noſtrum, & hoc modo dupliciter capitur: vno modo pro ſolis abſentia, alio modo pro abſentia luminis cauſati à lucida nube, quæ prima die facta fuit, quo modo Magiſter loquebatur in textu. Quarto capitur modo nox pro tribulatione, vel aduerſitate, Vnde Pſal. & in lege eius meditabitur die, ac

nocte. Solet inſuper, nox ſumi pro errore conſcientiæ: creatura quoq; oĩs videtur nox dici poſſe, quia eſt vanitati ſubiecta, vt eſt legere apud D. Paulum Rom. octauo. Solus ergo creator lux eſt. His tertio addenda erunt loco quędã de ſole, qui vt ſolare corpus, de illa luce, de qua ſuperius formatum dicitur fuiſſe, vel eam ſibi inſeparabiliter coniunctam habere, & eſt vnus de planetis decies maior terra, & ſecundũ Ptolomeum eſt clx. vicibus maior terra: calidus, & luminoſus; eclipſim patitur; communis eſt oĩbus; nube celatur; ſolus per ſe lucet; quod nulli ſyderi magis competit; vnde & nomen accepit; Stellas illuminat, & tamen eas per ſuam pręſentiam apparentia ſui luminis priuat. Medius eſt planetarum, ægris odioſus oculis, ſed amabilis puris. Tempora diſtinguit; locis immundis non inquinatur; gelida reſoluit; flores aperit; fructus maturat; diaphana corpora penetrat; non quieſuit; viſum retundit; vapores eleuat; hęmiſphęria viciſſim perluſtrat; appropinquãs nobis ęſtatem facit; recedens verò hyemem efficit; oculus mundi eſt. In quolibet ſigno moratur 30. diebus, & 10. horis; curſum per annum facit proprio motu; ſed diem perficit primi mobilis motu. Benedictus itaq; ſit ſemper Deus, qui diem, noctem, & ſolem ita produxit, dùm dixit, Fiat lux, & facta eſt lux. In ſequenti ad alia, & altiora, & ſubtiliora feſtinabimus: hęc interim vobis pauca ſufficiant.

NVM

NVM LVMEN CORPVS SIT, ETC.
Lectio L.

NE *breuitatis gratia ſuper ſedere videar his, quæ circa prędeclaratā diſtinctionem occurrunt, ordine duo proponā, & primo de lumine quid ſentiendum ſit, an corpus inquiram; deinde; Num illius eſſe in medio ſit reale, vel intẽtionale. Circa primum, prę ter ea, quæ dicta ſunt à nobis ſuperius, quibuſdam vijs uidetur poſſe probari, lumen eſt corpus, nam dixit Deus Fiat lux, & facta eſt lux: at ibi cēs per lucē intelligunt ſolē, ſed ſol eſt corpus: igitur, & lumen erit corpus. In oppoſitum ſe habent iſti grauiſſimi Viri, vt Philoſophus ſecundo de anima; & Auicena ſexto naturalium; inſuper, Damaſcenus; nam Philoſophus uocat lucem actum lucidi, ſecundum quòd lucidum; & inde lux qualitas actiua corporis luminoſi, ſicut calor, igni uocatur. Pro reſponſione arbitror, non multum inſudandum eſſe, nam queſtio iſta magnam non habet difficultatem, à Doctoribus nihilominus exquiſitè pertractatur propter errores antiquorū, de lumine varia dicentium; nam quidam opinabantur lumen eſſe defluxum corporū ſubtilium à ſole; quidam alij volebant lucem in ſole formam ſubſtantialem eſſe, & lumen in aere accidens. Quid aūt de his tenendum ſit opinionibus, ex dictis ſuperioribus patet: iccirco ad argumentum formatum paucis reſpondeo, & dico: aliud eſſe loqui, de lumine vt quod, & aliud de lumine vt quo: primo modo conceditur ratio: at ſecundo modo negatur. Explanato primo queſito: alterum in ordine ſecundum accedit, vbi queritur. Num lumen in*

medio

medio reale, vel intentionale habeat eſſe. Mihi uidetur, q̄d habeat eſſe intentionale; quia attingens immediatè pupillam, à viſu percipitur: ergo. Prçterea: alteri puta colori dat eſſe intentionale in medio: ergo, &c. Tertio ſic inſtatur, non remanet in abſentia luminaris: igitur habet eſſe intentionale, & non reale in medio. In contrarium ſe habet illud, quod vulgo dici ſolet, V.g. quòd nulla forma intentionalis uidetur ſuum denominare ſubiectum in quo eſt: at lumen denominat medium: quare, &c. Pro determinatione eſt ſciendum: eſſe intentionale duobus accipi poſſe modis: primo prout diſtinguitur contra eſſe reale, quo modo ſecundo intellecta, eſſe intentionale habere dicuntur, quia per ſolam operationem intellectus, vt genera, & ſpecies producuntur: ſub quo ſenſu eſſe intentionale, ſi ſumatur, lumen, nequaquā in medio tale habet eſſe. Alio modo aliquid intentionale eſſe largè loquēdo dicitur, quatenus eſſe debile habere nominatur; & hoc tripliciter capitur; vno modo ꝓ habente eſſe ſucceſſiuum, & non permanens, ut motus, & tempus ſecundum numerum: alio modo ſumitur pro eſſe debili; quatenus aliqua ad ſui exiſtentiam exigunt, ſiue requirunt ſuæ cauſæ naturalis proximæ prçſentiam: tertio modo dicitur aliquid habere eſſe debile, non ſolum per comparationem ad cauſam proximam naturalem, ſed quia deficit à propria perfectione propriæ ſpeciei: & ita lumen, & ſpecies in medio habent eſſe debile, q̄d aliquo etiam modo dici poteſt intentionale. Nunc Ad argumenta formata accedo, & Ad primū dico: antecedens nullum eſſe; nam licet ſenſibilis qualitas ſenſui immediatè ſupponatur, non ob id eſſe intentionale cauſare dicitur: quare ratio non concludit. Ad ſecundum negatur

prima

prima propoſitio, nam colori intentionale dat eſſe minimè lumen. Ad tertium dicitur, quòd in ſubiecto remanere ad abſentiam cauſæ producentis, non eſt de ratione qualilatis realis, nec exiſtere videtur, pręſentiam cauſæ facere aliquid intentionale eſſe: & hęc de pollicitis ſatis.

DE OPERE SECVNDAE DIEI.
Diſtinctio XIIII.
Lectio LI.

ARbitror Nobiliſs. Auditores, ſatis abunde, admodumq; ſcitè, hactenus de lucis productione dictum fuiſſe, quæ prima die producta à cauſarum oı̄um prima, vt potè à Deo benedicto. Conſequenter nunc agendum de ſubſequentium dierum operibus, ſcilicet de corporis firmamenti productione; de aquarum ſuper cęleſtium congregatione, tandem de ſolis, & lunæ, & ſtellarum aliarum collocatione. His ita pręmiſſis: pręſentem, & hodiernam diſtinctionem in ordine xiiii. expoſiturus, quinq; vobis aperiam. Primò concluſionem cum probatione; queſtionem ex dictis originem trahentem ſecundò; propoſitionem cum eius dilucidatione tertiò; dubium quartò; poſtremò, & vltimò poſitionē cum probatione. Quo ad primum, ſit hęc concluſio. Deus ſummus opifex, die ſecunda firmamentum, ideſt cęlum ſydereum, in medio ſupercęleſtium, & ſubcęleſtium aquarum fecit. Quod cęlum ſecundum Bedam ſydereum dicitur, ſiue ſtellatum, ſupra ſe, & infra ſe, aquas habens, nec id mirum vobis videri debet, virtute diuina eſſe

factum; & maximè, cum aquas videamus vaporabiliter in cęlum eleuari. Vnde ſuper firmamentum glaciei, ſolidatę aquę ſuſpenduntur, ne labantur, & hęc de primo ſegmento. In ſubſequenti ſcilicet ſecundo, proponitur breui talis queſtio. Vtrum cęlum ſtet, vel moueatur; ſi moueri dixerimus: ergo minimè firmamentum: ſi ſimiliter ſemper ſtaret, tunc tẽporis sydera fixa in eo nõ motui ſubijcerentur, quod eſt falſum. Pro determinatione difficultatis propoſitæ velim uos hoc vnum potiſſimum ſcire; videlicet natura omnes orbes, excepto empyreo, moueri; nam hoc ſolum quietum eſt. Quo prẹſuppoſito: Ad argumentum reſpondeo, & quia tenendum, doceo: cęlum ergo sydereum, ſiue firmamentũ licet moueatur, adhuc firmamentum nuncupatur ob ſui ſtabilitatem, firmitatemuè in ſubſtãtia; & ita difficultas eſt nulla. Nunc pro tertia parte noſtri ſermonis, concluſio ponenda talis. Tertia die Deus per aquarũ ſupercęleſtium adunationem aerem illuminauit, ac ſerenauit, & terram ad arborum, & herbarum productionem fęcundauit. Hanc vt veritatem eſſe cognoſcatis, ſupponendum illud erit, quod Magiſter ſent. ipſe ſupponit, quod ſcilicet, opus tertiæ Diei ſit aquarum congregatio, quæ ſub cęlo ſunt in locum vnum, ex qua deinde congregatione, terra, & aer clariora diuina virtute apparuere. Vnde in eodem die herbæ virorem, & ligna fructum fecere. At video vos hac in parte ingenio ſplendentes, quarto loco, ex prẹdictu iure merito in hunc modum dubitare; vbi nam ſint congregatæ aquæ, quæ totum, vſq; ad cęlum, ſpacium texerunt. Ad quod de facili põt dici; talem poſſibilem fieri congregationem fuiſſe; tum, quia aquæ conceauitates ſubintrauerunt terræ, tum ẽt, quia, quæ prius rariores

erant

erant aquæ, terrã per nebulæ modum tangentes, inſpiſſatæ fuerunt, & in vnum congregatæ dicuntur locum, licet in multis habeant eſſe locis) & hoc propter earũ adinuicem contiguitatem; quoniam oĩa flumina, nec non & maria omnia in mari magno, & profundo ad minus occultis meatibus iunguntur. Explanatis hucuſq; quatuor punctis, ad quintum tandem accedo, & hanc propoſitionẽ do vobis dono. Deus quarta die, ſole, & luna, & ſtellis firmamentum ornauit, vt horarum, & temporum ſigna forent, nam prima producta lux die fuit, quæ vniuerſa illuſtrat. Secunda verò die, firmamentum. Tertia die, diſtinctio facta fuit ſuperioris partis mundi, videlicet natura elementalis. Vnde tres ſequentes dies ad eorũ ornatum, quæ in tribus primis diebus ſunt diſtincta, ſpectare videntur, quoniam quarta dies ad cęli ornatum, ideſt firmamenti ſpectat: quinta verò ad aeris, & aquæ ornamentũ: ſexta ad terræ ornamentum. Cęlum autem ante alia, quarta dicitur ornatum die, eo quia dignius oĩbus eſt elementis: cui ſunt impoſita ad ornamentũ ſol, & luna, & ſydera ad inferioris partis mundi illuminationem; & ad animalium etiam, ſeu hominum vtilitatem; noctis, & diei decorem tandem, nec ob id ſubterfugiendum, in ſigna, & tempora non fuiſſe producta: in ſigna quidem, propterea quod aeris qualitatem, vel aereæ qualitatis viciſſitudinem. V. g. vt ſerenitatem, aut tempeſtatem ſignificant: in tempora pręterea, quia temporis partes diſtinguunt, vt putè veris, æſtatis, autumni, & hyemis, quæ anni ſunt tẽpora quatuor: vel dicatis eſſe producta in ſigna, & tẽpora, ideſt ad horarũ, & tẽporũ diſtinctionẽ, quia ante motũ ipſorum, nullis indicijs temporis ordo notificabatur: & hęc ſatis.

AN AQVAE SINT SVPER CAELOS. Lectio LII.

QVoniam in prędeclarata diſtinctione xiiii. de aquis, & de cęli motu mentio facta fuit, propterea iuxta iſthęc, duo quęſita proponam: alterũ quorum erit. Vtrum ſuper cęlos ſint aliquæ ponendæ aquæ. Inſuper, Num cęli motus naturalis nuncupandus. Circa primum, pro parte negatiua ſic arguam, A nullo ponitur ignis, vel aer ſuper cęlos: igitur neq; aqua; conſequentia patet, quia, & aer, & ignis ſupereminent aquæ. Antecedens deinde clarum, quoniam natura omne graue tendit deorſum: quare aquæ nequaquam ſuper cęlos locandæ. Inſuper, locus ſuper cęlos aquarum ſphera minimè dicitur eſſe: igitur neque ibi ſunt aquæ ponendæ. In contrarium ſe habet D. Aug. ſuper Genes. ii. ad literram: ergo ibi aquæ ponendæ. Pro reſponſione velim vos ſcire, circa quęſitum hoc varias inueniri opiniones: quędam enim aquas ſuper cęlos dari concedunt, cum hoc contradictionem implicet minimè, nullamuè ex parte Dei impoſſibilitatem videatur dicere. Alij verò aliter ſentiunt. Nos ad partem veriorem declinantes, tria pręambula pręmittemus. Primũ eſt, quod cęlum nomine extenſo aliquando vocatur aer, iuxta illud Pſal. Volucres cęli, &c. Vnde Damaſcenus vnũ eſſe cęlum aereum dicebat. Alterum eſt, quod cęlum ꝓpriè dicitur corpus ſublime luminoſum actu, vel potentia, & incorruptibile. Tertium aũt reſpicit huiuſmodi; qđ triplex dicitur eſſe; Primũ eſt ſimpliciter lucidum, & nominatur Empyreum: aliud uerò ſimpliciter diaphanũ, ſiue perſpicuum, aut

tranſparens; & dicitur cęlum aqueum: aliud eſt ſydereum, continens ſphęras ſeptem planetarum; & iſtud ab oı̄bus uocatur firmamentum. Nomen aquæ ſimiliter trifariam ſumitur: vno modo pro materia informi; cum dicitur Genes. i. Spiritus domini ſuper aquas. Secundò pro omni corpore diaphano, ſiue tranſparenti, cum dicitur: Fiat firmamẽtum in medio aquarum. Tertiò, & vltimo pro elemento aqueo, cum dicitur, Cõgregentur aquæ, quæ ſub cęlo ſunt in locum vnum. His ita pręmiſſis, quid dicendum ſit ad argumenta, audite: nam primum ex falſa imaginatione procedit: ſuper cęlos enim, & ignem, & aquam inueniri dicimus, licet horum nullum propriè, ſed metaphoricè dicatur. Vnde ſphęra nona dicitur cęlum aqueum, & cęlum Empyreum igneum; quia ſimpliciter lucidum. Ad rationem ſecundam de facili reſpondetur, qđ locus ſurſum elementaris aquæ, non ſit propria ſphęra, quia talis grauis eſt: at non ſic aqua illa cæleſtis, quæ cęlum aqueum nuncupatur; ſunt ergo aquæ eo modo, quo diximus ſuper cęlos, ſi non propriè, metaphoricè ſaltem; & hęc de primo quæſito. Cui nectitur alterũ in ordine dùm quæritur. Vtrum cęli motus naturalis dicendus: Mihi certè, quod ſic, apparet; nam ſecundo cęli Ariſtotiles hoc fatetur: igitur eſt naturalis. Inſuper, corpus naturale eſt: igitur motus illius naturalis. Tertiò natura eſt principium motus, &c. Per Ariſtotilem phyſic. ſecundo: at cęlum naturam habet: ergo cęli motus naturalis. At video vos, in oppoſitum ita argumentari dicentes: motus naturalis non eſt, niſi corporis extra locum ſuum exiſtentis: atqui cęlum minimè extra locum ſuum eſt: quare, &c. Pro determinatione huius quæſiti, velim vos ſcire: cęli motum,

nec à natura, nec ab anima eſſe, vt dicit ſubſtantiam viuentē materiæ vnitam, in ratione formæ informantis; ſed ab intelligentia aſſiſtente, quo preſuppoſito Ad argumenta accedo, & Ad primum dico, cęli motum naturalem eſſe, prout naturale diſtinguitur cōtra violentum; Ad ſecundum dico, eſſe naturalem motum, quatenus diſtinguitur cōtra voluntarium coniunctū. Ad tertium cōcedo, eſſe cęli motū naturalem, non à principio intrinſeco, ſed à propria properſione, quā ad talem dicitur habere motum. Et dùm ab extrinſeco cietur ſi pręter inclinationem moueretur naturalem, tunc non naturalis, ſed violentus motus eſſet. Hęc in tantum ſint dicta, pro vtilitate noſtra, & Dei gloria.

AN STELLAE MOVEANTVR, ETC.
Lectio LIII.

D*VO alia in pręſentiarum quæſita maxima conſideratione digna rimaturus, duo faciam; nam primo inquiram; num ſtellis inſit alius motus à ſuæ ſphęræ motu. Deinde, num cęlum figuræ ſit ſphęricæ. Quo ad primum, mihi videtur eſſe dicendum, quòd ſtellæ proprium nequaquam habeant motum; veluti enim ingenerabile cęlum, & incorruptibile eſt, ita & indiuiſibile: at ſi proprio cierentur motu ſtellæ, cęlum diuidi videretur; & ita in cęlo ſuum minimè ſeruarent ſitum: at hoc negandum: ergo, & primum. Inſuper, ſi ſtellæ mouerentur, motu cęli mouerentur, cuius cęli motus circularis cum ſit, & ſtellarum quoque: at hoc non poteſt dici: igitur neq; primum debet concedi.*

Minor

Minor vt ſuſpecta pauſis ſic enodanda venit verbis; illud enim, quod circulariter mouetur, locum minimè mutat, ſtellæ verò, ſi proprium motum haberent, ex toto locum mutarent, hoc non: ergo neq; primum. In oppoſitum Ptolomeus, & oĩs alij Aſtrologi ſe habent, propterea ad hanc terminandam queſtionem altiùs exordiendum eſſe autumo. Perpendamus ergo, vnde ſtella dicatur, nam vt adnotant periti, à ſtando dicitur, eo quia ſtare ſtellæ videantur; ſunt aũt ſingulares ſtellæ non admixtæ alijs, ſydera verò ſiue aſtra ſunt illa, quæ ad aliquod ſignum complurium ſtellarum compoſita eſſe dicuntur, vt Aries: Taurus, &c. capitur etiam quandoque ſtella pro Angelo. Vnde Apocalyp. 12. dicitur, Quòd draco magnus, ideſt Lucifer traxit ſecum tertiam ſtellarum partem, ideſt angelorum, ſub quo ſenſu, hic non loquimur. Subtiliſſimus Doctor Scotus lib. ii. diſtinctione xiiii. incidens in ſermonem de ſtellis dicebat, in hęc actionem inferiora habere: in elementa: in mixta: inanimata, & animata irrationabilia; in elemẽta dupliciter actionem ſtellæ habent, & quò ad alterationem, & quò ad generationem: accedẽte enim ſole, & alijs ſtellis calidis, ad Zenith alicuius regionis, elementa ſuperiora, ignis, & aer augentur, & inferiora, ſcilicet terra, & aqua minuuntur, & in ſuperiora conuertuntur, è conuerſo uerò recedente ſole, & accedentibus ſtellis effectiuè frigidis, vt ſunt Saturnus, & Mercurius, accidit elementorũ aquæ, & terræ generatio. Habent deinde ſtellæ actionem ſuper mixta, nam mixta imperfecta, vt impreſſiones quedã, generantur ab illis: illarum enim impreſſionum materia, qui vapor eſt, non eleuatur ad locum generationis illarum niſi per calorem incorporatum, vel uir-

tute alicuius ſtellæ, &c. Tertiò in mixta actionẽ habent perfecta, inanimata, vt ſunt metalla, quæ in quibuſdã regionibus generantur ex conſtellatione reſpectum habente ad illam regionem, & non ad aliam; nam terra minimè actiua eſt huius diuerſitatis. Quartò habent actionem ſuper animata alterando, ſcilicet corpora mixta ad conuenientem qualitatem, vel diſconuenientem animæ, perficienti tale corpus, & ita poſſunt agere ad generationem, & corruptionem, & ita ſimiliter in ſenſitiuis, quibus in voluntatem humanam, indirectè tamen, non directè: inclinatiuè, ſed non effectiuè, nec cogendo, actionem habere dicentur. His additur hęc ſtellarũ conſideratio, quędam enim ſunt in octaua ſphæra, & fixæ vocantur: aliæ verò in ſphęris inferioribus, & planetæ dicuntur; de primis apertè dicendum, quòd ſolum octauæ ſphęræ moueantur motu: ſufficit enim vnus motus, iccirco ſine neceſſitate plures non ſunt ponendi motus in propoſito. De planetis aũt erit dicendum, quòd moueantur ſecundum excentricos, & epiciclos. De excentricis apparet, quòd ſtella, quæ mouetur ſolum motu ſphęræ, non põt quandoq; magis, quandoq; minus ad terram appropinquare, quia oẽs ſphęræ ſunt concentricæ: at planetæ, quandoq; ad terram magis vno tempore, quam alio appropinquant, vt experientia aſtrologica docet; hinc ſunt coacti Aſtrologi ponere motum planetarum in circulis excentricis, quorum pars vna maximè remouetur à terra, & aux dicitur, ſiue eleuatio: altera verò maximè accedit ad terrã, & vocatur oppoſitum augis. De Epiciclis ſimiliter patet; quia ſi planetæ ſolum motu ſphęrarum mouerentur, cum ſphęræ planetarũ ab oriente in occidentem moueantur; tunc ſi planeta aliqua nocte

foret

foret ex directione alicuius ſtellæ fixæ, ſequẽti nocte deberet ipſam antecedere verſus orientem: at oppoſitum videmus in multis planetis, & contrarium: pręter igitur ſphęrarum motum oportebit in eis ponere motum retrogradationis, quod fieri habet in Epiciclis, in quibus planeta eſt retrogradus ſtationarius, vel directus: dicat maledictus Aueroes quicquid velit negando Epiciclos; nam malo cum Aſtrologis hac in parte errare, quàm ad Auerois votum declinare. His ita pręmiſſis, Ad argumenta accedo, & ad primum dico, negando cęlum diuidi debere: non enim hoc expedit, vt ratio probare videbatur, ſi ponamus ꝓprium motum in excentricis, & Epiciclis, habentes eorum bonam imaginationem. Ad argumentũ ſecundum dicitur, quòd cęli motus circularis quidem eſt, ita & planetarum motus circularis erit, ratione excentrici, & Epicicli. Stellæ ergo in firmamento poſitæ cum illo, ſemper mouẽtur; figura ſphęricæ; quantitate magnæ; apparentia paruæ; qualitate lucidę; radiorum diffuſiuæ, rerum inferiorum generatiuæ; à ſole illuminationis receptiuæ, tenebrarum expulſiuæ, quando nox obſcurior, tanto plus ſui manifeſtatiuæ, in pręſentia ſolis, ſui occultatiuæ; tempeſtatis, & ſerenitatis concitatiuæ; viarum nauigantium directiuæ, &c. Iam primo enodato quęſito, alterũ ſubſequitur, vbi quęritur; num cęlum ſphęriuę ſit figuræ. Mihi videtur, quòd potius quadratæ debeat poni figuræ, & ratio aſſignatur, quia talis figura quadrata magis videtur firmitati congruere: at quia cęlum firmiſſimum eſt: igitur, &c. In oppoſitum ſe habet in ſecundo cęli Ariſtotiles; quapropter pro cognitione veritatis eſt ſciendum, de cęli figura uarias fuiſſe opiniones; nam quidã opinabantur cęlum figuræ

ſemici-

ſemicircularis; & hoc, quia nobis dimidia apparet ſphęra. Quidã alij quadradæ figuræ cęlum ponebant vt in primo patuit argumento: at mihi prima ꝓbari minimè poteſt opinio, & ratio aſſignatur, quia tunc temporis, cęlum de oriente ad occidentem minimè moueretur, iterum in eundem redeundo orientẽ. Sic ergo figuræ ſphericæ, quæ omnium minima eſt, ſed capaciſſima figurarum, ad multa incommoda euitanda. Nunc Ad argumenta reſpondentes pro intellectu primi affertur diſtinctio firmitatis, duplex enim eſt, naturæ vna, ſtatus altera. Argumentum aduerſarij currit de firmitate ſtatus, cui magis figura quadrata congruit. At non loquendo de firmitate naturæ, quæ cęlo competit, cui ex conſequẽti magis ſphęrica figura; vel dicatis, aduerſarij rationem locum habere maximè in grauibus, ad quorum ſtatum, quadrata figura idonea: at cęlum cũ firmitatem maximè habere dicatur, non ab illa figura quam habet, ſed à natura ipſa; propterea, quia maximæ firmitatis, figuræ debet poni circularis: & hęc ſatis.

DE OPERE QVINTAE DIEI.
Diſtinctio XV.
Lectio LIIII.

E*X quo, vna cum Magiſtro ſent. huiuſq; verba fecimus de firmamẽti ornatu. Nunc in præſenti ad aeris, & aquæ ornatum noſtra dirigenda venit oratio; habita in primis totius diſtinctionis diuiſione in ſecta ſeptem. In quorum primo, habetur cum probatione cõcluſio. In ſubſequenti ſecundo, propoſitio; in*

in tertio, queſtiones duæ; in quarto notandum vnum; in quinto duæ circa rerum creationem opiniones narrantur; in ſexto, quid ſeptima fecerit Deus die, declaratur; dubium ſeptimo, cum ſolutione patet à Magiſtro propoſitum. Nunc ad primi ſegmenti expoſitionem accedo, & hanc vobis concluſionem propono. Deus benedictus, quinta die aerem, & aquam volatilibus, & natatilibus ab ipſo productis adornauit; opus enim diei quintæ ornamentum duorum elementorũ dicitur fuiſſe, ſcilicet aeris, & aquæ. Vnde Deus in aerem volatilia eleuauit, piſcibus aquas ad ornatum relinquens. Poſt diem quintam, ſequitur ſextæ diei opus; ad quod videndũ, in ſecundo ſegmento, hęc propoſitio ponitur. Deus ſexta die iumentis, reptilibus, & terræ beſtijs de terra formatis, ſiue productis, terram decorauit. Ad cuius euidentiam, non multum Magiſter inſudat: at tantùm terram hiſce iam nominatis animalibus, & alijs conſimilibus ornatam inſinuat. Hinc ad duas tertio, fit tranſitus queſtiones loco, queritur etenim primo. Num nociua animalia, aut venenoſa, tunc temporis producta fuerint à Deo: ad quod dici poteſt, animalia illa producta fuiſſe innoxia; licet poſtea de homine peccante, ſtatim ſint facta nociua; tũ vt vitia punirentur per ea; tùm etiam, vt virtus maximè probaretur. Altera queſtio ſolet proponi, de imperfectis, minutiſuè animalibus ex putredine naſcentibus: an huiuſmodi, tunc fuerint producta ab opifice Deo? ad quam difficultatem diluendam, paucis ſic dicendam arbitror. Huiuſmodi, quæ ex putrefactione animalia naſcuntur, cum cęteris animalibus materialiter fuiſſe producta. Ex his notandum videtur quarto pendere loco; nam animalium oĩum nobiliſſimus homo,

ad

ad imaginem, & Dei ſimilitudinem productus, fuit nouiſſimus, tanquam oĩum dominator futurus; Et hęc de punctis quatuor. Ad quintum venio, & duas circa rerum creationem ſolennes opiniones propono. Quarum prima, per ſex dierum interualla, omnia eſſe formata fatetur, & per Spiritum ſanctum diſtincta. Alia verò tenet, ſimul oĩa condita, & eſſe diſtincta. Quibus premiſſis, ſeptima die, quid fecerit Deus, declaratur in ſexta ſede; nam ſi fidem adhibemus Magiſtro: dicitur quieuiſſe, nec non ſuum opus compleuiſſe: non enim vlteriùs nouam condidit creaturam, quæ in ſe materialiter, vel in ſuo ſimili nõ fuerit; licet tamen res productas benedixit, atq; ſanctificauit. Hinc ſeptimo dubitandum venit loco, cum Deus dicatur conſumaſſe opus per requiem die ſeptimo, cum tamen ipſum die compleuerit ſexto. Ad hanc tollendam, dirimendamq; difficultatem, opinor ita dicendũ, & ſexto ſcilicet, & ſeptimo opus ſuum Deus compleuiſſe die. Sexto quidem; quoniam tunc oĩa perfecit. Septimo autem, quia vltimum opus ſanctificationem ſcilicet adhibuit. Perficiendo ergo die ſexto, & ſeptimo ſanctificando opus, per requiem dicitur compleuiſſe ſuum, ipſe Deus: Et hęc de tota diſtinctione.

DE REPTILI, ETC.
Lectio LV.

IN *proximo pręterito noſtro ſermone mentio facta fuit de multis, ſcilicet, de reptili, de volatili, aquatili, de aqua, & de homine; quæ oĩa producta à Deo fuere; ad quorum exactam,*

comple-

completamq; cognitionem habendam, hodierna die, ſingula perpendam; Et primò, quid reptile ſit, & quot ſumatur modis. Illud ergo reptile voco, quicquid repit; & quadrupliciter capitur: vno modo, quod ſe trahit, vi oris, ſicut uermes. Alio modo, q̄d ſe trahit vi coſtarum, vt ſerpentes. Tertio modo, quod ſe trahit, vi penularum, vt piſces. Quarto modo, dicitur reptile largè, quod in mouēdo ſe, magnam partem corporis terræ applicat, quamuis pedes habeat, ſicut lacertæ, &c. & ſic, ſecundum diuerſas acceptiones, reptile pertinere poteſt ad diuerſa ornandum elementa. Eſt ergo reptile animal, cuius corpus non multum eleuatur à terra per motus inſtrumenta, ſed repit vi coſtarum, vt ſerpentes, vel vi annulorū, vt annuloſa, vel vi oris, vt quidam vermis, vel vi penularum, vt piſces. Vnde Amb. lib. hexam. ſcimus reptilia dici genera ſerpentum, eo quòd ſuper terram repant, ſed multo magis omne q̄d notat, reptandi habet, vel ſpeciem, vel naturam. De volatilibus verò cęli nil dicam, nam licet diuerſarum ſint naturarum, oīa tamen ad aeris producta ſunt ornatum. Aquatilia autem diuerſa, in aquis vitam degentia à Deo ſic condita, pro aquæ ornatu. Cuius aquæ nomen in ſacra ſcriptura uariè ſignificat. Primo Spiritum ſanctum Ioan. decimo ſeptimo: Qui credit in me (ſicut dicit ſcriptura) flumina de uentre eius fluent aquæ viuæ: hoc aūt dixit de Spiritu ſancto; &c. Secundo, diuinorum ſignificat ſcientiam. Eccles. 15. aqua ſapientiæ potabit illum dominus. Tertio, tribulationes. Vnde Pſal. ſaluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ, vſq; ad animā meam. Quarto, pro populo, Apoc. 17. aquæ multæ, populi multi, & gentes. Quinto, aqua iuſtos ſignificat. Pſal. 28. vos domini

domini ſuper aquas Deus maieſtatis intonuit. Sexto, angelorum chorum. Pſal. aquæ, quæ ſuper cęlos ſunt, laudent nomen domini. Septimo, ſecundum Aug. lib. 9. ſuper Genes. dicitur ſignificare totā materiam confuſam elementorum corporalem. Vnde in prima rerum productione ſecundum Gabrielem, ſumi uidetur pro informi rerum materia. Aliquando ēt ſolet accipi prò materia tranſparenti, ſiue perſpicua, & luminis retentiua; vt cum dicitur, fiat firmamentum in medio aquarum, &c. Aliquando pro baptiſmate. Vnde dominus ad ſamaritanam mulierē loquitur dicens, Omnis, qui biberit ex aqua iſta, ſitiet iterum, qui autem biberit ex aqua quam ei dabo, non ſitiet in æternum, ecce baptiſma ſalutaris aquæ ſignificatur. Prçterea: accipi ſolet aqua ꝓ elemento aquæ, vt ibi: Congregentur aquæ in vnum. His oībus ſignificatis tribus adhuc alia tria accedunt, nam aqua triplex eſt, ſecundum Bruleſ. Quędā artificialis eſt, & fit ignis actione decoquentis, & reſoluentis ex miniſterio artificis applicantis actiua paſſiuis, & paſſiua actiuis. Alia dicitur aqua naturalis, & eſt aqua elementaris pura, tàm per mixtionem, quàm per iuxta poſitionē. Tertia dicitur aqua vſualis pura per immixtionem; licet non ſit pura per iuxta poſitionem. His deniq; hominis ſignificata accedunt, nam quandoq; ſumitur homo pro ſubſiſtente in natura rationali, & inconcreto. Quandoq; pro natura intellectuali. Quandoq; pro interiori, & quandoq; pro exteriori. Primo modo ſpiritualis eſt, dum ſe ad bona æterna ꝓpter ſe conuertitur: ſecundo modo dicitur animalis, quia, more animalium, vertat ſe ad iſthęc ſenſibilia terrena, & non ęterna. Adhuc primo modo, nouus vocatur homo, & ſecundo modo, vetus, pro-

pter

pter peccatum veteris: & hęc de his, quæ videbantur pertinere ad clariorem notitiam dictorum Magiſtri in ſuperiori parte.

NVM CIRCA INFERIORA HAEC, CAVſALITATEM ALIQVAM CORPORA habeant ſuperiora? Lectio LVI.

CIrca prędeclaratam diſtinctionem decimam quintam in huius libri ſecundi tria poſſe quęſita excitari, oculis proprijs cerno. Quorum primum ſic ſe habet. Vtrum corpora cęleſtia cauſalitatem aliquam circa hęc inferiora habere dicantur. Inſuper. Num cęlū ſupra liberi arbitrij actus habeat cauſalitatem. Tandem. Num cęlum per motum agat. Quantum ad primum; Ad partem negatiuā declinando, ſic argumentor: agens (& eſt famoſiſſima propoſitio) pręſtantius patiente, & viuens nobilius, excellentiuſque non viuente eſt: at cęlum minimè viuit; nullam igitur ſaltem circa viuentia poterit cauſalitatem habere. Deinde, Damaſceni authoritate ſic ratiocinor, probando corpora ſuperiora nec ad horum inferiorum generationem, nec corruptionem concurrere, nam inquit ipſe. Dicimus corpora ſuperiora non eſſe cauſam Gen. igitur, &c. Ex alio latere in oppoſitum videtur (vt habetis in phyſicis) ſe Ariſtotiles habere, dum ait, quod ſol, & homo generant hominem; corpora ergo illa ſuprema, circa hęc cauſalitatem habent. Quo proſuppoſito; Ad argumenta accedo, & ad primū dico: cęlum quidem vita pręſenti, ac tranſmutabili nequa-

quam

quam viuere, at nobiliori vita ſic: cietur enim à viuente ſubſtantia; ideo eius virtute poterit aliquod viuens producere; nam ita cęlum productum à Deo fuiſſe oẽs fatentur: quare, &c. Ad illud verò Damaſceni, leue reſpondere mihi videtur; nam Vir iſte à corporibus ſuperioribus cauſalitatem primam negabat, & hoc cõtra perperam opinantes, planetas Deos eſſe: nõ tamen inſtrumentariam cauſam, nec omnimodum. Completo his paucis iam primo quęſito; alterum accedit, dum quęritur. Vtrum cęlum circa liberi arbitrij actus cauſalitatẽ habeat. Hic Aſtrologi videntur partem affirmatiuam tueri, nam ſępe ſecundum aſtrorum motum, bellorum euentus pręedicunt, qui ad actus humanos ſpectant: igitur aliquam circa ipſos videtur habere cauſalitatem. Vlterius, quicquid eſt cauſa prioris, eſt etiam cauſa poſterioris: at ipſum cęlum animæ, quantum ad eſſe, cauſa eſt, quia ſol, & homo, &c. Igitur ratio bona. In oppoſitum ſe habet illud, quod dici ſolet, nos laudari, vel vituperari ex his, quæ inſunt nobis, ideſt ex actionibus liberæ noſtræ voluntatis, non autem ex cęli actionibus: quare, &c. Pro determinatione huius quęſiti, eſt ſciendum, aliquid ſuper actum, vel alterius motum cauſalitatem habere, bifariam accipi poſſe, vel cauſando, vel impediendo. Si cauſando, adhuc trifariam, vel naturam conferendo, ad quam motus ſequitur; vel in natura ſuppoſita imprimendo; vt patet, de ſurſum proijciente lapidem; vel generando; vt patet, de generante graue, cuius motus cauſat dando ei grauitatem, ad quam ſequitur motus. Hinc perpulchra ſolet excitari quęſtio, à quo nam grauia, & leuia moueantur: ego paucis, viaq; reſſolutiua procedendo, ſic dicam: grauia, & leuia per ſe à

gene-

rante moueri: per accidens verò à remouente prohibens: à ſe ipſis actiuè nequaquam, at paſſiuè tantum, & dum dicitur, talia à ſe ipſis moueri; reſpondeo: hoc non poſſe intelligi tanquam à formis ſubſtantialibus vt puta leuitate, & grauitate; niſi vt à principio actiuo inſtrumentali: at formali, & ſubſtantiali minimè. Quid ſi non eſſet generans ſubſiſtens? ad hoc dico, quod adhuc mouerentur à virtute in re ipſa impreſſa ab aggenerante, in leui leuitatem, & in graui grauitatem, ſicuti perpulchrè apud Ariſtotilem eſt legere, maximè libro ſecundo de Gen: rurſus lib: ſecundo de phyſico auditu; & octauo, textu 33. Preterea: cum hec obiter ſint à nobis dicta; ſupereſt conſiderare, quot modis cauſalitatem contingat habere ſuper actum alterius; impediendo ipſum. Mihi ſanè videtur, hoc Bifariam accipi poſſe: vno modo directè, V. g. aquã in ignem impediendo, ne comburat, &c. Alio modo, quaſi indirectè obiectum retrahendo: vnde ſic lignum elongans ab igne, dicitur à ligni combuſtione lignum impedire hoc ſecundo modo. His ita poſitis, dicendum venit, celum cauſalitatem ſupra liberi arbitrij actus, primo modo non habere, naturam ſcilicet dando, ad quam actus ſequitur, nec imprimendo in potentia liberi arbitrij actum ipſum, vel motum; bonum etenim, vel malum, quod ab extrinſeco nobis ineſt, rationem culpæ, vel meriti habère non poteſt; ſed ſolũ penæ, vel premij. Celum igitur in noſtram uoluntatem agere, indirectè dicetur, impediendo, vel remouendo liberi arbitrij obiectum, & hoc, circa nos alterationem cauſando. Nunc Ad argumentum de Aſtrologis dico: illorum de futuris euentibus particularibus ad liberum arbitrium attinentibus, iudicium non eſſe certum; quia, vt

experientia docet, in multis deficit. Ad ſecundum dicitur: cęlum nequaquam eſſe cauſam animæ, quo ad eſſe, quod habet in corpore, niſi velitis dicere diſpoſitiuè; eſſe enim ipſius animæ à Deo eſt, qui creat infundendo, & infundit creando. Explanatis hactenus duabus quęſtionibus, ſupereſt tertia dum quęritur. Num per motum agat cęlum. Declinantes ad conſtructiuã partem, ſic primo arguemus. Vt terminus ad terminum, ita actio ad actionem, atqui terminus motus localis, cauſatiuus dicitur termini generationis, & alterationis: igitur, &c. Inſtatur prętereà: generatio, & alteratio localis motus cauſa exiſtunt: at localis motus alteratione perfectior eſt, & generatione, quia non eſt, niſi perfectorum: igitur debet magis dici cauſa eorum, quam è contrario. Demum authoritate Philoſphi ſecundo cęli, & mundi habetur, q̃d localis motus habet ignire ligna, & lapides, & huiuſmodi alia: at talis motus localis ſecundũ prius, & poſterius, principium eſt actionis: quare intentũ principale clarũ. Pro intelligentia huius quęſtionis, velim ſciatis, ꝙ motus, & actio differunt: motus enim quęcunq; ſucceſſiua mutatio, ſiue ad locũ, ſiue ad formã eſt: at actio ſolũ ſecundũ formã mutatio dicitur; dum itaq; quęritur. Vtrũ cęlum per motũ agat, habet intelligi, de actione propriè dicta, per quam cęlum producit aliquam formam ſubſtantialem, ſiue accidentalem in iſtis inferioribus; quo ſuppoſito dicendum eſt, quòd illud per q̃d aliquid agere dicitur, bifariam ſumitur: vno modo formaliter, ita vt ſit ratio formalis in agente, per quam agat, ut calor in igne: alio modo habet intelligi agere per aliquid, quod non ſit ſibi ratio agendi modo iam dicto. Nunc Ad argumenta dico, & primo ad primum; quod locus

non

non eſt terminus localis motus, nam motui preexiſtit; preterea: dato, quod locus terminus eſſet, attamen diceretur ei accidere, qđ ſit generationis cauſa, nec hoc haberet, vt locus, ſed per aliquam qualitatem generans dici poſſet. Ad argumētum ſecundum reſpondetur, quod licet motus localis, ſubiectū magis requirat perfectum, quam generatio, vel alteratio; ipſe tamen motus minus quam generatio, & alteratio eſt perfectus; q̃a ut agens perfectius dicitur, quod minus in ſua actione ſupponit, & plus producit; ſic generatio, & alteratio ſunt perfectiores, quam motus localis, quia plus ponunt, & minus ſupponunt. Ad tertium argumentum pōt dici, quod localis motus per ſe, non dicitur habere ignire aliquid, ſed bene in aliquibus motis ſequitur ignitio, ad eorū motum; inquantū calor virtualiter exiſtens in eis, uehemētis quadā partium cōpreſſione vigoratur, & augumētum ſuſcipit, Et hęc pro pręſenti ſatis.

DE HOMINIS CREATIONE.
Diſtinctio XVI.
Lectio LVII.

INterpretaturus ad laudem Dei omnipotentis, diſtinctionem in ordine huius libri ſecūdi xvi. quo modo à ſuperioribus pendeat primo dicam; inſuper, ad diuiſionem accedam. Ex quo ergo de creatura purè ſpirituali, ſcilicet, de Angelis, nec non de creatura merè corporali actū fuit ſuperius; ſequitur nunc Theoria de creatura ex duplici natura conflata, vt putè de homine corpore, & anima ornato. Acturus itaq; Magiſter ſent. de hominis produ-

ctione, in communi ſex pollicetur. Concluſionem primò; dubium ſecundò; alteram concluſionem tertiò; opiniones diuerſas pro probatione quartò; nouam concluſionem quintò; probationem ſexto; Quo ad primum, hęc ponitur concluſio. Deus Pater cũ dicit: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, loquebatur filio, & Spiritui ſancto, & nõ ſpiritibus quibuſcunq; creatis. Hanc volens probare cõcluſionem Magiſter, ſecundo dubitat loco, vt intuenti patet, qualis ſcilicet, & quo modo ſit factus homo: difficultate propoſita, difficile reſpondere minimè erit; nam per verbum domini ad imaginem, & ſimilitudinem Dei eſt ꝓductus; ſecundum illud Genes.1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Quibus in verbis, vt perbellè aliàs diximus oſtenditur eſſentiæ diuinæ vnitas, & perſonarum Trinitas, & ſunt verba Patris ad Filium, & Spiritum ſanctum, non ad Angelos, vt quidam ſomniarunt: Dei enim, & angelorum minimè vna, & eadem imago eſt; ſed bene ſimilitudo, vt colligitur ex ſegmento ſecundo. Poſt quod ſequitur tertiò hęc concluſio. Homo ſecundum animam factus eſt ad imaginem, non ſimiliciter vnius diuinæ perſonæ, ſed totius Trinitatis, ad cuius probationem duæ ſunt recitandæ opiniones, quarto loco. Quarum prima circa intellectum verborum prędictorũ Geneſis, dicit: per imaginem ſolum filium intelligendum eſſe, non hominem, nã homo Dei non dicitur imago, ſed ad imaginem Dei productus, ſiue factus. Verum quia huic opinioni, aduerſari videtur illud Apoſtoli dicentis, quòd vir ſit imago Dei, & gloria Dei: propterea ex animi ſententia Magiſtri reprobatur, vt in textu habetur. Altera eſt opinio, quæ tenet,

quod

quòd Dei filius ſit propriè imago, & Spiritus ſanctus ſimilitudo, & quòd homo ſit factus ad imaginem filij, & ſimilitudinem Spiritus ſancti. Quæ opinio, cum minimè ſanctorum authoritatibus ſit fulcita, ideò dimittenda, & quæ circa hoc dicantur à Magiſtro, breui conſideranda: vir enim iſte, hominem ad imaginem cenſet eſſe factum, non cuiuſcunque ſingularis perſonæ diuinæ, ſed totius Trinitatis; & hoc ſecundum naturalia, ideſt ſecundum animam, quantum ſcilicet ad ſuperaddita animæ, cuiuſmodi ſunt virtutes, vt puta innocentia, & iuſtitia, in mente rationali naturaliter, quæ exiſtunt; & hęc de punctis quatuor. In quinto noua ſub his ponitur concluſio verbis. Homo qui ad imaginem Dei eſt creatus, Dei filio adęquari non poteſt; & ratio aſſignatur, quia filius in diuinis, ſolum eſt imago patris ratione ęternæ natiuitatis. Inſuper ꝓ maiori dilucidatione concluſionis pręmiſſæ, quid dicat Magiſter, quęſo audite, nam, vt ſexto eſt videre loco, Filius Dei, & homo imago quidem ſunt: at filius ſolum imago, nõ ad imaginem, quia non creatus, ſed bene natus æqualis patri, & in nullo diſſimilis; homo verò, & imago, & ad imaginem dicitur, quia creatus, non genitus, nec æqualis, ſed quadam ſimilitudine accedens; quod teſtimonio D. Aug. lib. ſeptimo de Trin. confirmatur: nulla ergo imago creata eſt ſine magna diſſimilitudine imaginis increatæ repręſentatiua; & hoc propter realem differentiam, quæ inter imagines illas conſideratur. Inſuper, homo ad imaginem Dei creatus, filio in diuinis adęquari poſſe minimè videtur; nec id mirum, maxima enim diſtantia inter Dei filium, & hominem inuenitur, vt ex dictis libri primi, atq; pręſentibus de facili colligitur. Hęc intantum.

DE IMAGINE, ET SIMILITVDINE.
Lectio LVIII.

VErba facturus de imagine primò, pro uberiori doctrina eorum, quæ à Magiſtro in pręcedenti ſermone ſunt declarata, hac via, hac methodo, hoc ordine procedam; edocendo quo modo imago quęlibet ſit ſimilitudo, ſed non è cõuerſo; quoniam imago addit eſſe expreſſum ab alio, vt ex B. Thoma parte prima colligitur, quęſtione xxxv. art. i. Et differt imago à ſimilitudine, ſecundum eundem, trifariam; quia imago ſpectat ad formam, ſcilicet ſpecialem; ſimilitudo verò ad naturam. Inſuper imago ad veritatis cognitionem pertinet, quæ principium eſt naturam intellectualem demonſtrans: at ſimilitudo ad virtutis amorem. Vlterius, imago pertinet ad potentias, ſcilicet memoriam, intelligentiam, & uoluntatẽ; ſimilitudo verò ad habitus conſequentes, innocentiam, & iuſtitiam. Sed hic notandum eſt, qđ differt à ſtatua imago, quia imago ꝓpriè ſuperficiem tantũ eius rei refert, cuius eſt imago. Vnde pictores imagines colorum faciunt diuerſitate, & lineamentis quibuſdam ſimilitudinem reddentes. Statua verò illa eſt, quæ non modo ſuperficiem, ſed ſolidum corpus, atque perfectum reddit: ſtatuarij enim rerum effigies lignis, vel marmoribus, uel ebore, uel metallis exprimentes, quorum ars ſtatuaria vocatur. Eſt aũt duplex imago vt S. Doctor Bonauentura ſcribit; artificialis ſcilicet, & naturalis: & cum homo nõ repręſentet per formam artificis, ſed per ſuam formam naturalem, & potentias ei naturaliter inditas, ideo homo non debet dici imago artificialis, ſed naturalis.

naturalis. Rurſus cũ imago, ſecundũ eũdem Doctorem, expreſſam ſimilitudinem dicat, hinc homo Dei dicitur imago, vt puta ꝓpter ſimilitudinem expreſſam. Vnde imago, iuxta ſententiam Gabr. dicitur quaſi imitago, ideſt imitationem ago, & vt in creaturis reperitur, tripliciter accipitur. Vno modo pro ſubſtantia ab artifice formata ad ſimilitudinem alterius ſecũdum aliqua accidentia eiuſdem ſpeciei cum accidentibus eius, ad cuius imitationẽ formatur, ducens in notitiam rememoratiuam eius magis diſtinctam, qua repreſentatur, ut diſtinctum ab alijs talia accidentia nõ habentibus. Vel ſic: eſt ſubſtantia formata ab artifice ad ſimilitudinem alterius ſecundum accidentia aliqua conformia, & eiuſdem ſpeciei cum accidentibus diſſimilibus repręſentans. Vnde imago Cęſaris propriè dicitur, inquantũ Cęſarem repræſentat, & non inquantũ pictura eſt: patet ergo, quòd imago, non eſt primò ſimilitudo totius, ſed eſt primò ſimilitudo accidentium. Accipitur ſecundo imago pro tali formato, ſiue fiat ad imitationem alterius, ſiue non; quo modo duo homines multum ſimiles, dicuntur alterius imago. Tertio modo accipitur imago pro omni vniuocè ꝓducto ab alio, quod ſecundum rationem ſuæ productionis vt ſimile producitur, quo modo filius imago dicitur patris, & ſic notificatur imago (vt ſcribit Gab.) eſt ſimilitudo Dei in creaturis reperta, nata ducere in cognitionẽ propriorum diſtinguentium perſonas, & vnitatis eſſentiæ cũ quadam ſui imitatione. Et licet rationalis creatura impropriè Trinitatis imago dicatur, eo quia nihil reperiatur in creatura eiuſdem ſpeciei cum Deo, tamen in qualibet rationali creatura, & ſolum tali, dicitur inueniri imago Dei; & hoc quia in tali ſit inuenire

Trinitatem, per quam ipſa duci poteſt in notitiam recordatiuam, ſcilicet mentem, notitiam, & amorem, in quibus ratio imaginis cõſiſtit, vt in partibus, & eo ipſo mens imago Dei eſt, quò capax eius eſt, vt dixit Aug. xiiii. de Trin. Præterea: rationalis creatura imago Dei videtur poſſe dici, propter ſimilitudinem accidentium ſimilium cum Deo: ſicut iuſtum, ſapiens, intellectiuum: ſed illæ proprietates, ſunt in Deo verè, & conſubſtantialiter, & eminentius, quàm in rationali creatura, in qua ſunt accidentia: quare ſola rationalis creatura imago Dei dicitur, quamuis non ita perfectæ, ſicut ſi eſſent vtrobiq; accidentia, tàm in Deo, quàm in creatura. Conſiſtit aũt ratio imaginis radicaliter, & originaliter in animæ ſubſtantia, ſed perfectè, & completiuè in ſubſtantia animæ, & duobus actibus ab ea ꝓductis, ſcilicet actu volendi, & intelligendi. Secundum verò Aliacen. imago dupliciter capi dicitur, vno modo prout ſupponit pro animæ ſubſtantia, quæ eſt memoria, intelligentia, & voluntas, ſub quo ſenſu homo non perdidit imaginem Dei, licet per peccatum bene operandi efficaciam, ex illis, quæ ipſe, impedimentis, incurrit. Solet alio accipi modo imago, vt eſt nomen quaſi collectiuum ſupponens pro ſubſtantia animæ, & actibus cognitionis, & dilectionis Dei, quos perdidit homo pro ſtatu naturæ lapſæ, & ſic intelligitur Aug. cum dicit, creata fuit in homine imago Dei, quam non ſeruauit. Homo ergo ad imaginem Dei creatus primò, & ſimilitudinem, quæ duobus, vt rectè adnotat Bonauentura ſanctus, attenditur modis: vno modo ſecundum vnius rationis proprietatem, ſiue naturæ participationem: alio modo ſecundum vnius formæ comparationem. Prima vocatur proportionis

ſimilitudo,

ſimilitudo, altera verò ſimilitudo proportionalitatis, de qua hic non eſt ſermo, ſed ibi dum loquitur de ſacramento: vt eius ſimilitudinem gerat, &c. In ſequenti ad alia accedam. Hęc interim ſatis.

NVM IN SOLIS CREATVRIS INTELLECTVALIBVS IMAGO VIGEAT.

Lectio LIX.

AD vberiorem doctrinam eorum, quæ ab ipſo Magiſtro ſent. in ſuperiori ſunt tacta diſtinctione, duo quęſita excitari poſſe video. Quorum primum erit. Vtrum in ſolis reſplendeat intellectalibus creaturis imago. Inſuper. Num in homine, & in Angelo ęqualiter ſit imago. Circa primum: pro parte negatiua ſic ratiocinari audeo. Si imago Dei in creaturis ponenda, hoc pro tanto eſſet, vel, vt eſſentiam diuinam imitantur ſub ratione naturæ, vel ſub ratione ideæ; primum non videtur dici poſſe, quia ſecundum Hylarium imago dicitur eſſe ſpecies indifferens: at quo ad eſſe naturale, quęlibet natura ab eſſentia diuina differt, plus quã ſpecies: ergo vt imitantur ipſam ſub ratione ideæ: at irrationalis creatura equè perfectè ideam imitatur, ſecundum quam rationalis creatura producitur; ſit vtraq; igitur creaturæ æqualiter imago cõconcedenda, & non ſolũ in rationali intellectuali. Ex alio latere, in oppoſitum ſe habet D. Aug. decimo quarto de Trin: dicens, quòd anima eſt ad imaginem Dei, quia eius capax eſt; loquendo tamen de capacitate per cognitionem, & amorem; ſed hęc in creaturis irrationalibus minimè inuenitur: quare, &c. Pro intellectu huius

quęſiti,

queſiti, duo nobis prænotanda occurrunt, & primo, qualiter imago Dei inueniri queat in creaturis: alterum eſt, in quibus creaturis. Circa primum, velim ſciatis: imaginem dicere perfectam repræſentationem eius, cuius imago eſt, vt filius in diuinis, qui pulcherrima, & imago perfectiſſima dicitur reſpectu patris, cũ naturam eandem eſſentialiter eiuſdem repræſentet: alio conſideratur modo imago, non in eadem natura, neq; repræſentans eſſentiam, V. g. dum dicitur, quod Iulij imago, vel Pauli aliquid ſculptum repræſentat in lapide, vel pictum in pariete. Quantum ad ſecundum põt dici: duobus in creaturis imaginem reperiri modis, vel quo ad eſſentialia, vel quo ad perſonalia. Primo modo, ſolum in creaturis conceditur rationalibus, ſiue intellectualibus, at non ſecundo modo. His ita præmiſſis, nunc ad argumentum ita reſpondendum, quod creatura imago Dei eſt, inquantũ diuinam repræſentat eſſentiam, quo ad eſſe naturæ, ſecundum illud, quod intelligitur in Deo quaſi ſpecificum: hoc autem non fit ob id participando naturam eandem ſecundum ſpeciem, de qua imagine argumentum procedit, ſed participando aliam naturam naturæ diuinæ repræſentatiuam; Hæc de dubio primo; poſt qđ alterum ſubſequitur, dum quæritur. Vtrum æqualiter imago Dei in homine, & Angelo reperiatur; aut in vno perfectiori modo, quàm in altero. Quòd in vtroq; æqualiter ſe habeat, declinando ad partem affirmatiuam, doceo per Aug. decimo quarto de Trin. dicentem, quòd mens ad imaginem Dei eſt, quia capax eius eſt, particepsq; eius eſſe poteſt: at humanæ mentis capacitas, & angelicæ, æqualis dicitur eſſe: ergo. In oppoſitum ſe habet illud Gregorij dicentis, quanto in Angelo ſimplicior eſt natura,

tanto

tanto magis in illo Dei imago inſinuatur impreſſa. Ad quęſtionem igitur hanc dilucidandam, & terminandam, illud in noſtram reuocandum erit memoriam, quod ſi loquamur de imagine, quo ad eſſentialia, procul dubio in homine, & Angelo ęqualiter non inuenietur, ſed perfectius in Angelo, quàm in homine, quia perfectioris: quo ſuppoſito, mihi difficile argumento allato reſpondere non erit, nam pro comperto habeo, quòd humanæ, & Angelicæ mentis non eſt eadem capacitas per naturam, at per gratiam ſic: vnde ſecundum naturam, vt aliàs tactum fuit, perfectius Deus ab Angelo, quam à nobis concipi dicitur: quare quantum ad eſſentialia in Angelo imaginis ratio perfectior eſt eius natura; at quo ad perſonalia nequaquam, quia hęc attenditur, quantum ad ſimilitudinis proportionem, quæ in homine, & Angelo ęqualis, & eadem. Ad argumentum verò in oppoſitum, dicitur currere de imagine, quo ad eſſentialia; tunc perfectius in Angelo, quàm in homine, imaginis ratio collocatur: & hęc ſatis.

DE CREATIONE ANIMAE, ETC.
Diſtinctio XVII.
Lectio LX.

EX quo de hominum in generali locuti ſumus productione vna cum Magiſtro ſent. ſuperius: nunc cum eodem de viri productione in ſpeciali agemus, & maximè de animæ productione, quæ ipſum viuificauit. Diuidatur ergo hęc diſtinctio in puncta ſeptem. In concluſionem primo. In quęſtionem ſecundo.

In

In quaſdam opiniones tertio. In nouam concluſionem quarto. In dubium quinto. In tres opiniones ſexto. In propoſitionem cum dilucidatione ſeptimo. Quantū ad primum, concluſio talis eſt: Bonus Deus Adæ animam, non de diuina ſubſtantia, nec de materia aliqua creauit; ſed ipſam ex nihilo creando eidem inſpirauit: ad quã probandam docet Magiſter ſent. animæ hominis creationem exprimi in Genes: vbi dicitur: Inſpirauit in faciem eius ſpiraculũ vitæ. Quam quidem inſpirauit, & fecit, non faucibus corporeis, nec de ſua ſubſtantia ipſam à ſe efflauit Deus, vt perperam quidam maledicti hęretici ſunt opinati: at bene dicitur inſpiraſſe; quando animam ad modum flatus de nihilo ſpiritualiter creauit; Quibus ex verbis ſecundo excitari poteſt loco queſtio talis. Vtrum ſcilicet in corpore, vel extra corpus, ſit anima producta: ad quam è medio queſtionem tollendam, tertio duæ narrantur opiniones loco: quarũ prima fuit dicentium: in corpore animam creatã eſſe; altera verò dicentium extra corpus ꝓductam. Hic Magiſter de anima primi hominis in ſpecie determinat nihil; at de alijs animabus proculdubio tenendum eſſe dicit, quòd in corpore creentur, vt vt ſit de illa; & hęc de tribus punctis. In quarto noua ponitur, quæ talis eſt, concluſio. Deus, qui in virili ętate Adam creauit, eundem ab extra in paradiſum collocauit. Ad quã probandam, declarandamuè concluſionem, quinto ipſe Magiſter dubitat loco: Vtrũ ſcilicet primus parens in virili ſit productus ętate. Ad quod dicendum, ꝓ parte affirmatiua, quòd ſic; non tamen cauſarum inferiorum virtute, ſed diuina ſic. Nec id vobis mirum videri debet; nam poſſibilia dicuntur eſſe ſecundum cauſas ſuperiores, quæ minimè fieri di-

cuntur poſſe ſecundum cauſas inferiores; & ſic Moyſi virga in draconem diuina vertebatur virtute; nec huiuſmodi contra naturam fieri dicendum, niſi nobis tantummodo, quibus naturæ curſus aliter non innotuit; formatum itaq; in virili ętate primum hominem Deus in paradiſum poſuit, vel quia ibi non manſurus, vel vt cognoſceret, non eſſe naturæ eius, vt in illo loco eſſet, ſed gratiæ diuinæ. Circa quod negotium tres videntur fuiſſe opiniones, quas in ſexto audietis puncto: Prima ergo libere dicit paradiſum, locum eſſe corporalem pręcisè: altera tenet eſſe locum ſpiritualem: tertia quæ Magiſtri videtur auribus conſona eſſe, ponit vtrunque; affirmans, quòd ſpiritualiter gerat typum pręſentis eccleſiæ, uel futuræ. His ſeptimo, & loco vltimo, propoſitio talis addenda venit. De fructu ligni ſcientiæ boni, & mali, non à natura, ſed ab euentu futuro ſic dicti, in paradiſo guſtando Adam peccauit. Pro intellectu cuius ſcire debetis; diuerſa ibi ſcilicet in paradiſo ligna fuiſſe: vnum vitæ lignum dicebatur, virtutem hanc diuinitus ſibi à Deo collatam habens; vt de tali comedentes, ideſt de fructu ſuo, ab infirmitate, & morte poſſet conſeruare. Aliud autem ſcientiæ boni, & mali lignum dicebatur, non hoc habens à natura, nec ab aliqua virtute ſibi à Deo data, & indita, ſed ab euentu, quia poſt eius guſtum, homo experientia differentiam inter obedientiæ bonum, & malum inobedientiæ cognouit: eſus tamen illius ligni de ſe minimè illicitus fuit, ſed homini interdictus, ad oſtendendum quantum malum inobedientia ſit, etiam ſi fiat in his, quæ de ſe licita ſunt: & hęc pro pręſentis ſatis.

DE

DE PARADISO, ETC.

Lectio LXI.

MIhi equidem vitio, quid poſſet aſcribi, ſi verba Magiſtri non perpenderem: quare hodierna die, rimaturus ſum in ordine quatuor. Paradiſi ſignificata diuerſa primo; Inſuper, quid ſit inſpirare; tertio quędam conſideratione digna de anima rationali; quarto ligni conſiderationes. Quo ad primum. Paradiſus gręca dictio eſt, & latinè ſignificat pomarium. Vnde poma illa paradiſea, à ſitu vocantur, qđ ferè in omnibus pomarijs inſerantur, odore, ſaporeq; inſignia; & triplex dicitur eſſe; ſcilicet terreſtris, cęleſtis, & ſpiritualis, ideſt Dei viſio. Ab alijs pro quarta ſignificatione ſolet addi pręmium, ita vt paradiſus quãdoq; ſignificet pręmium; iuxta illud Saluatoris dictum latroni, Hodie mecũ eris in paradiſo. Paradiſus uerò terreſtris locus corporeus eſt, in oriente, vt in nobiliſſimo loco; & interpretatur hortus. Eſtquè locus humanæ habitationi conueniens, quoniam temperatum aerem habet, & tenuiſſimũ, plantaſq; floridas ſem p, vt dicit D. Thomas parte prima. Eſt ẽt locus deliciarũ, & amęnitatis, & quantum ad beatos cęlum eſt empyreum; quantum verò ad viatores locus dicitur amęnus in partibus orientis cõſtitutus; hębraicè Edon vocatur, qđ in lingua noſtra delicię interpretatur, qđ vtrunq; iunctũ hortum facit deliciarũ; non ibi frigus, non ęſtus, ſed perpetua aeris temperies, è cuius medio fons prorumpens totum nemus irrigat; de quo Beda: Gab. & Paulus Corteſius permulta dicunt: at quia locus iſte ſecundum iſtos viros, nobis occultus, & ignotus, quia

canonica

canonica ſcriptura ſitum eius non certificat, iccirco illud tantùm dicam, Adam expulſum fuiſſe ab illo deliciarum paradiſo poſt peccatum. Datur ẽt paradiſus ſpiritualis, qui ſumitur pro ſtatu animæ triumphantis, ac militantis Eccleſiæ, qui paradiſus ſtatũ, vel quietem, & amęnitatem deliciarum ſpiritualium dicit, & duplex eſſe põt, ſecũdum duplicem Eccleſiæ ſtatum, ſcilicet triumphantis, & militantis. Cęleſtis verò paradiſus ſolet capi tertio pro Dei viſione vt tetigimus; vel pro beatitudine regni cęleſtis, quæ non eſt ſine viſione, vel pro pręmio. Magiſter ſent. in diſtinctione pręcedenti loqui videbatur de paradiſo corporali ſi recolitis, in quo Adam poſitus. Et hęc de primo puncto. In altero quid ſit inſpirare videndum; nec id mirum, quia dicebat Magiſter in textu: Deum inſpiraſſe in Adam ſpiraculum vitæ: Inſpirare ergo, vel inſufflare nil aliud eſt, quàm ſpiritum facere, & eum corpori vnire. Vnde dicitur, formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ; ita cuiuſlibet hominis animam creat Deus, vt in faciem Adæ inſpiraculum vitæ. Aliquando ẽt inſpirare dicitur immittere, à quo inſpiratio, qui modus diuinarum vocationũ eſt, quando nos vocat dominus dicens. Venite ad me, &c. Sub quo ſenſu hic cum Magiſtro minimè loquimur, ſed ſub primo. Nunc tertio quędam dicenda occurrunt loco, de anima rationali inſpirata à Deo; quæ cum ſit potentia, & principium multarum operationũ, & actuum in homine, hinc diuerſa ſortitur vocabula: quandoq; enim dicitur intellectus, vt potentiam ad intelligendum deſignat; quandoq; voluntas, quantum ad actum producendum volendi; quandoque anima dùm vegetat; dicitur ẽt ſpiritus, dùm

contem-

contemplatur; ſenſus dũ ſentit; animus dùm prudenter ſapit; mens dùm intelligit; ratio dùm diſcernit; memoria dũ recordatur; voluntas dùm conſentit, quæ oĩa nequtiquam differunt in ſubſtantia, nam vna ſunt ſubſtantia, licet proprietates diuerſæ ſint. Inſuper, ſecũdum ſui ſubſtantiam ſolet anima dici ſpiritus, reſpectu ſcilicet corporis, quatenus verò animat, dici debet anima; & hęc de ſegmentis tribus. In quarto ligni ſignificata detegenda occurrunt, nam multiplex lignum dici ſolet, lignum ſcilicet ſcientiæ boni, & mali; lignum quandoq; grauiora peccata dicuntur; eo quia lignum tardius conſumetur, quã ſtipula, denotans venialia minus grauia. Deniq; lignum dicitur vitæ, q̃d communiter oẽs Doctores tenent, habuiſſe virtutem perpetuò conſeruandi vitam hominis in ſtatu innocentiæ. Scotus verò videtur aliter dicere, q̃d fructus ligni vitæ, licet habuerit virtutem prolongandi vitam, nõ tamen in perpetuo conſeruandi, & hoc ratione probat; vis enim ligni vitæ, conſeruatiua hominis, minimè fuiſſe dici debet, à ligni natura ſpecifica, ſed ex Dei dono in ſpeciali ad ſalutem hominis corporalis: at homine lapſo in peccatum ſubtracta, & immutata fuit vis ipſa ligno vitæ, vt irreuocabiliter ſtaret Dei ſententia: quacunq; hora comederitis, morte moriemini. Vnde Iacob. de Valentia dicere ſolebat, illud vitæ lignum in paradiſo plantatum, duo primis conferre parentibus, nam primo uitam perpetuã pręſtabat, ſine aliqua in pręſenti miſeria, pręſeruans ab omni infirmitate, & triſtitia: inſuper conferebat immortalitatem, quia poterant non mori. Pręterea poſt longam durationem tranſlati fuiſſent in vitam meliorem, id eſt in cęlum ęternum, vbi æternaliter fruerentur Deo viſo, & amato;

&

& licet varia, & genera diuerſa lignorum eſſent in paradiſo terreſtri; inter alia tamen duo erãt ſpecialiſſima. Vnum vitæ lignum, aliud ſcientiæ boni, & mali; & fuerunt in medio paradiſi, & vnũ iuxta alterum, vt ex uno amoris acciperet affectum, & ex alio timoris Dei. Fuerunt ergo ibi triplicia ligna, ſcilicet in nutrimentũ; in documentũ, & ad viuendum in perpetuum. Per lignum quoq; vitæ poteſt intelligi Chriſtus; item quilibet homo iuſtus, qui bonos facit fructus ſuorum operum; deniq; lignum vitæ crux Dominica ſolet dici, eo quia redemptionis fructum dederit nobis: & hęc de quatuor pollicitis. In ſequenti ad alia accedemus.

DE ANIMA RATIONALI. Lectio LXII.

A*Ntequàm accedam ad queſtiones excitandas circa prę- declaratam diſtinctionem de rationali anima quatuor perpendam. Creationis tempus primò; quo modo ſit in corpore ſecundò; inſuper perfectionis huius gradum; originem eiuſdem quartò. Quò ad primum, duo fuerunt errores circa tempus creationis animæ rationalis. Primus fuit Platonis ponẽtis animas, & Angelos ab æterno; quod dictum fuit contra fidem, nihil enim æternum, preter Deum. Dicamus itaq; nos, quòd anima rationalis ſimul creatur, & infundatur, non ante corpus, ſed cum corpore ſimul: eius etenim natura eſt vniri corpori; ſimul ergo cum corpore, & in corpore creata, & non ab ęterno, vt perperam dixit ille Plato. Quo autem modo in corpore ſit anima ipſa, nunc ſecundo*

M ſpecu-

ſpeculandum uenit loco. Cum itaq; duobus uideatur id poſſe cōcipi modis, vno modo, quò ad eius eſſentiam, alio modo, quò ad eius operationes: ſi primo modo, tunc tota in toto, & in qualibet eius parte corporis eſſe dicetur: at ſi ſecundo cōcipiatur modo, videlicet quātum ad ſuas potentias diuerſas, tunc dicendum erit, nō eſſe neceſſe, quòd inueniatur tota, &c. ſed ſolum in illa parte proportionata ad talis potentiæ operationem. V.g. ſi conſideretur anima, quò ad potentiam intellectiuam, & volitiuam, nequaquā dicetur tota in toto, &c. Intelligere enim, & velle actus alicuius organi corporalis minimè ſunt, quia tales pōt exercere operationes abſq; corporis communitate. Si verò conſideretur anima, quantum ad potentiæ modum intellectiuæ, prout intelligere eſt cum phantaſmate, tunc ei pars determinata, ſiue locus aſſignandus, & erit media cellula capitis, quæ dicitur rationalis, ſic nō in toto corpore, ſed in parte determinata tantùm ponetur. Si verò, quò ad motiuam potentiam, tunc in corde eſſe dicetur, p quod anima ipſa totum mouet corpus, & hoc, quia primò motus vitalis in corde eſt, qđ à ſigno declarari poteſt; nam in ſomno calor reducitur ad cor, & in vigilia fit caloris vitalis exparſio p totū corpus, vt experientia docet, & hoc totum à corde: igitur, &c. Inſuper, anima ſi conſideretur, quò ad potentiam ſenſitiuā, tota in toto minimè dicetur eſſe, ſed bene in quibuſdam corporis partibus. V.g. viſiua potentia in oculo, auditiua in aure, & ſic de ſingulis; eſt ergo tota in toto ſecundum eſſentiam, in alijsq; corporis partibus diuerſis ſecundum potentias; vel in corde, vt iam dixi; vel in cerebro principaliter; Et hęc ſatis de puncto ſecundo. Nunc vertatur oratio noſtra ad perfectionis ipſius

animæ

animæ gradum tertio loco; vt enim benè noſtis, gradus perfectionis animæ rationalis ſunt quatuor. Primus eſt, quòd corpori coniuncta perfectior ſit, quàm à corpore ſeparata; & huius ratio aſſignatur, quia pars ſemper perfectior dicitur exiſtens in toto, quàm ſeparata ab illo. Ecce anima rationalis compoſiti naturalis pars: quare perfectior in corpore, quàm ſeparata dicetur, quò ad eſſe naturale, & operari pro hoc ſtatu. Si verò anima, vt corpori vnita eſt corruptibili, vel vt ab ipſo ſeparata, conſideretur, tunc proculdubio nobilioris, ac perfectioris ſtatus erit ſeparata, quàm vnita; & ne ſine ratione loquentes erubeſcamus, hanc aſſignamus rationẽ dicentes, quia tunc temporis aſpectum erectum ad ſuperiores ſubſtantias habet: ut uerò unita, ſiue coniuncta, dicitur aſpectũ curuum, ſiue inclinatum ſolum habere ad ſenſum. Inſuper, anima ſi conſideretur, ut unita corpori incorruptibili, & glorioſo, tunc erit perfectior unita, quàm ſeparata ab ipſo, & hoc, quia coniuncti operatio perfectior eſt, quàm partis: ſecundò ex parte appetitus, & deſiderij, nã ut ſeparata ſemper uniri, atq; coniungi appetit: perfectior ergo, ut corpori unita eſt incorruptibili. Poſtremò collata anima ad corpus corruptibile, & incorruptibile, q̃s negabit maioris eſſe perfectionis, dùm eſt unita incorruptibili, quàm corruptibili? nonne tunc habet liberiùs eſſe, quàm dùm corruptibili eſt unita? tunc nonne clariùs intelligi, quàm dùm eſt corpori tranſmutabili vnita? certè ſic, nam nunc intelligit per ſpecies acquiſitas per ſenſus, tunc p̃ ſpecies influxas: perfectior ergo, ut eſt corpori glorioſo vnita, quàm ſeparata; & corpori tranſmutabili, quàm ab illo ſeparata; ſub illo tamen ſenſu iam declarato. Enucleatis hactenus tri-

bus ſegmentis, in ordine accedit quartum, vbi eſt ſermo de huius origine, nõ enim generatur, vt dixit ille Cremonenſis Appollinaris, & malè credidit, nam ex alia non eſt anima generata, nec ex aliqua materia, vt quidam ſunt opinati, ſed eſt à Deo ex nihilo pro creata, intellectualis, immortalis, non materialis, ſed ſpiritualis; nõ ab Angelis, ſed à Deo: formauit enim Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitę: Et hęc ſatis pro pręſenti lectione.

NVM ANIMA RATIONALIS CORPORI VNIATVR, VT FORMA, ETC.
Lectio LXIII.

T*Ria conſueuerunt Theologi ſacri circa prędeclarata in ſuperiori diſtinctione excitare quęſita. Quorum primum ſic ſe habet. An intellectiua anima corpori unitatur, vt forma; Inſuper, Num ante corpus fuerit ꝓducta; denique, vtrum Paradiſus terreſtris locus conueniens humanæ habitationi fuerit. Quantum ad primum, primo aſpectu videtur eſſe dicẽdum, quòd non, & ratio aſſignatur; illud enim, quod alicui ſecundum ſe ineſt, ſemper ineſſe dicitur: atqui forma eſt ſecundum ſe vniri materiæ: igitur ſemper ei conueniet, quàm diù eſt; ſed anima corpori vnita non ſemper remanet, quia teſte Philoſopho ſeparatur à corpore, vt perpetuum à corruptibili: ergo. In oppoſitum ſe habet illud Philoſophi ſecundo de anima dicentis: Animam eam eſſe, qua viuimus, ſentimus, atq; moueamur. Igitur, &c. Circa quęſtionem hanc ex-*

tant

tant diuerſæ opiniones, quas ego ſi recenſere vellem, potius tempus, quàm oratio mihi deficeret. His itaque omiſſis, ad argumentum formatum accedo, & ſic reſpondeo maiorẽ gloſando, quæ intelligi debet de eo, quod inſit alicui in primo modo dicendi per ſe, vt animal, quod ſemper homini ineſt: at illud, qđ ineſt in ſecundo modo dicendi per ſe, non ſemper ineſſe dicitur, quia impediri põt; quo modo animæ uniri materiæ competit: quare licet actu anima dicatur ſeparari, ob id nõ debet negari, quin ut forma uniatur corpori, & hęc de primo quęſito; cui additur alterũ, dùm quęritur. Num ante corpus primi hominis anima fuerit ꝓducta. Quibuſdam pars affirmatiua videtur ſuſtinenda tali ratione; dici etenim ſolet, qđ finis principio proportionatur: at anima in fine poſt corpus remanet: igitur, quod ante corpus creetur dici debet; ſed dicetis: proprius actus nonne in ꝓpria debet eſſe materia? ſi ſic: igitur anima in corpore, & non ante corpus habet produci; nam corporis actus ipſa eſt: quare, &c. Hoc ſuppoſito, dicant alij quicquid velint: Ad argumentum de facili ita reſpondendum, quòd finis proportionatur principio per ſe: at per accidens non oportet, & ita animam poſt corpus remanere defectu mortis, qui nõ potuit eſſe in principio creationis, per accidens continget. His duabus quęſtionibus nectitur in ordine tertia, dùm quęritur: num Paradiſus humanæ habitationi locus conueniens fuerit: pro parte negatiua ſic arguitur. Naturæ temperatiſſimæ locus debet correſpondere tẽperatiſſimus, ſed humana complexio in ſtatu innocentiæ erat temperatiſſima, & Paradiſus intemperatiſſimus ob caloris exceſſum, cum ſub ęquinoctiali ponatur: ergo, &c. Pro determinatione huius difficultatis,

 ſuppo-

quęſiti, duo nobis prenotanda occurrunt, & primo, qualiter imago Dei inueniri queat in creaturis: alterum eſt, in quibus creaturis. Circa primum, velim ſciatis: imaginem dicere perfectam reprę-ſentationem eius, cuius imago eſt, vt filius in diuinis, qui pulcherrima, & imago perfectiſſima dicitur reſpectu patris, cũ naturam eandem eſſentialiter eiuſdem repręſentet: alio conſideratur modo imago, non in eadem natura, neq; repręſentans eſſentiam, V. g. dum dicitur, quod Iulij imago, vel Pauli aliquid ſculptum reprę-ſentat in lapide, vel pictum in pariete. Quantùm ad ſecundum põt dici: duobus in creaturis imaginem reperiri modis, vel quo ad eſ-ſentialia, vel quo ad perſonalia. Primò modo, ſolum in creaturis conceditur rationalibus, ſiue intellectualibus, at non ſecundo modo. His ita pręmiſſis, nunc ad argumentum ita reſpondendum, quod creatura imago Dei eſt, inquantũ diuinam repręſentat eſſentiam, quo ad eſſe naturæ, ſecundum illud, quod intelligitur in Deo quaſi ſpecificum: hoc autem non fit ob id participando naturam eandem ſecundum ſpeciem, de qua imagine argumentum procedit, ſed participando aliam naturam naturæ diuinæ repręſentatiuam; Hęc de dubio primo; poſt qđ alterum ſubſequitur, dum quęritur. Vtrum ęqualiter imago Dei in homine, & Angelo repęriatur; aut in vno perfectiori modo, quàm in altero. Quòd in vtroq; ęqualiter ſe habeat, declinando ad partem affirmatiuam, doceo per Aug. decimo quarto de Trin. dicentem, quòd mens ad imaginem Dei eſt, quia capax eius eſt, particepſq; eius eſſe poteſt: at humanæ mentis capacitas, & angelicæ, ęqualis dicitur eſſe: ergo. In oppoſitum ſe habet illud Gregorij dicentis, quanto in Angelo ſimplicior eſt natura,

tanto

tanto magis in illo Dei imago inſinuatur impreſſa. Ad quæſtionem igitur hanc dilucidandam, & terminandam, illud in noſtram reuocandum erit memoriam, quod ſi loquamur de imagine, quo ad eſſentialia, procul dubio in homine, & Angelo ęqualiter non inuenietur, ſed perfectius in Angelo, quàm in homine, quia perfectioris: quo ſuppoſito, mihi difficile argumento allato reſpondere non erit, nam pro comperto habeo, quòd humanæ, & Angelicæ mentis non eſt eadem capacitas per naturam, at per gratiam ſic: vnde ſecundum naturam, vt aliàs tactum fuit, perfectius Deus ab Angelo, quam à nobis concipi dicitur: quare quantum ad eſſentialia in Angelo imaginis ratio perfectior eſt eius natura; at quo ad perſonalia nequaquam, quia hęc attenditur, quantum ad ſimilitudinis proportionem, quæ in homine, & Angelo ęqualis, & eadem. Ad argumentum verò in oppoſitum, dicitur currere de imagine, quo ad eſſentialia; tunc perfectius in Angelo, quàm in homine, imaginis ratio collocatur: & hęc ſatis.

DE CREATIONE ANIMAE, ETC.
Diſtinctio XVII.
Lectio LX.

EX quo de hominum in generali locuti ſumus productione vna cum Magiſtro ſent. ſuperius: nunc cum eodem de viri productione in ſpeciali agemus, & maximè de animæ productione, quæ ipſum viuificauit. Diuidatur ergo hęc diſtinctio in puncta ſeptem. In concluſionem primo. In quęſtionem ſecundo.

In

In quaſdam opiniones tertio. In nouam concluſionem quarto. In dubium quinto. In tres opiniones ſexto. In propoſitionem cum dilucidatione ſeptimo. Quantũ ad primum, concluſio talis eſt: Bonus Deus Adæ animam, non de diuina ſubſtantia, nec de materia aliqua creauit; ſed ipſam ex nihilo creando eidem inſpirauit: ad quã probandam docet Magiſter ſent. animæ hominis creationem exprimi in Genes: vbi dicitur: Inſpirauit in faciem eius ſpiraculũ vitæ. Quam quidem inſpirauit, & fecit, non faucibus corporeis, nec de ſua ſubſtantia ipſam à ſe efflauit Deus, vt perperam quidam maledicti hęretici ſunt opinati: at bene dicitur inſpiraſſe, quando animam ad modum flatus de nihilo ſpiritualiter creauit; Quibus ex verbis ſecundo excitari poteſt loco quęſtio talis. Vtrum ſcilicet in corpore, vel extra corpus, ſit anima producta: ad quam è medio quęſtionem tollendam, tertio duæ narrantur opiniones loco: quarũ prima fuit dicentium: in corpore animam creatã eſſe; altera verò dicentium extra corpus ꝓductam. Hic Magiſter de anima primi hominis in ſpecie determinat nihil; at de alijs animabus proculdubio tenendum eſſe dicit, quòd in corpore creentur, vt vt ſit de illa; & hęc de tribus punctis. In quarto noua ponitur, quæ talis eſt, concluſio. Deus, qui in virili ętate Adam creauit, eundem ab extra in paradiſum collocauit. Ad quã probandam, declarandamuè concluſionem, quinto ipſe Magiſter dubitat loco: Vtrũ ſcilicet primus parens in virili ſit productus ętate. Ad quod dicendum, ꝓ parte affirmatiua, quòd ſic; non tamen cauſarum inferiorum virtute, ſed diuina ſic. Nec id vobis mirum videri debet; nam poſſibilia dicuntur eſſe ſecundum cauſas ſuperiores, quæ minimè fieri dicuntur

cuntur

cuntur poſſe ſecundum cauſas inferiores; & ſic Moyſi virga in draconem diuina vertebatur virtute; nec huiuſmodi contra naturam fieri dicendum, niſi nobis tantummodo, quibus naturæ curſus aliter non innotuit; formatum itaq; in virili ętate primum hominem Deus in paradiſum poſuit, vel quia ibi non manſurus, vel vt cognoſceret, non eſſe naturæ eius, vt in illo loco eſſet, ſed gratiæ diuinæ. Circa quod negotium tres videntur fuiſſe opiniones, quas in ſexto audietis puncto: Prima ergo liberè dicit paradiſum, locum eſſe corporalem pręcisè: altera tenet eſſe locum ſpiritualem: tertia quæ Magiſtri videtur auribus conſona eſſe, ponit vtrunque; affirmans, quòd ſpiritualiter gerat typum pręſentis eccleſiæ, uel futuræ. His ſeptimo, & loco vltimo, propoſitio talis addenda venit. De fructu ligni ſcientiæ boni, & mali, non à natura, ſed ab euentu futuro ſic dicti, in paradiſo guſtando Adam peccauit. Pro intellectu cuius ſcire debetis; diuerſa ibi ſcilicet in paradiſo ligna fuiſſe: vnum vitæ lignum dicebatur, virtutem hanc diuinitus ſibi à Deo collatam habens; vt de tali comedentes, ideſt de fructu ſuo, ab infirmitate, & morte poſſet conſeruare. Aliud autem ſcientiæ boni, & mali lignum dicebatur, non hoc habens à natura, nec ab aliqua virtute ſibi à Deo data, & indita, ſed ab euentu, quia poſt eius guſtum, homo experientia differentiam inter obedientiæ bonum, & malum inobedientiæ cognouit: eſus tamen illius ligni de ſe minimè illicitus fuit, ſed homini interdictus, ad oſtendendum quantum malum inobedientia ſit, etiam ſi fiat in his, quæ de ſe licita ſunt: & hęc pro pręſentis ſatis.

DE PARADISO, ETC.
Lectio LXI.

Mihi equidem vitio, quid poſſet aſcribi, ſi verba Magiſtri non perpenderem: quare hodierna die, rimaturus ſum in ordine quatuor. Paradiſi ſignificata diuerſa primo; Inſuper, quid ſit inſpirare; tertio quędam conſideratione digna de anima rationali; quarto ligni conſiderationes. Quo ad primum. Paradiſus gręca dictio eſt, & latinè ſignificat pomarium. Vnde poma illa paradiſea, à ſitu vocantur, qđ ferè in omnibus pomarijs inſerantur, odore, ſaporeq; inſignia; & triplex dicitur eſſe; ſcilicet terreſtris, cęleſtis, & ſpiritualis, ideſt Dei viſio. Ab alijs pro quarta ſignificatione ſolet addi pręmium, ita vt paradiſus quãdoq; ſignificet pręmium; iuxta illud Saluatoris dictum latroni, Hodie mecũ eris in paradiſo. Paradiſus verò terreſtris locus corporeus eſt, in oriente, vt in nobiliſſimo loco; & interprętatur hortus. Eſtquè locus humanæ habitationi conueniens, quoniam temperatum aerem habet, & tenuiſſimũ, plantaſq; floridas ſemp, vt dicit D. Thomas parte prima. Eſt ẽt locus deliciarũ, & amęnitatis, & quantum ad beatos cęlum eſt empyreum; quantum verò ad viatores locus dicitur amęnus in partibus orientis cõſtitutus; hębraicè Edon vocatur, qđ in lingua noſtra delicię interprętatur, qđ vtrunq; iunctũ hortum facit deliciarũ; non ibi frigus, non ęſtus, ſed perpetua aeris temperies, è cuius medio fons prorumpens totum nemus irrigat; de quo Beda: Gab. & Paulus Corteſius permulta dicunt: at quia locus iſte ſecundum iſtos viros, nobis occultus, & ignotus, quia

canonica ſcriptura ſitum eius non certificat, iccirco illud tantùm dicam, Adam expulſum fuiſſe ab illo deliciarum paradiſo poſt peccatum. Datur ēt paradiſus ſpiritualis, qui ſumitur pro ſtatu animæ triumphantis, ac militantis Eccleſiæ, qui paradiſus ſtatū, vel quietem, & amęnitatem deliciarum ſpiritualium dicit, & duplex eſſe pōt, ſecūdum duplicem Eccleſiæ ſtatum, ſcilicet triumphantis, & militantis. Cęleſtis verò paradiſus ſolet capi tertio pro Dei viſione vt tetigimus; vel pro beatitudine regni cęleſtis, quæ non eſt ſine viſione, vel pro prēmio. Magiſter ſent. in diſtinctione pręcedenti loqui videbatur de paradiſo corporali ſi recolitis, in quo Adam poſitus. Et hęc de primo puncto. In altero quid ſit inſpirare videndum; nec id mirum, quia dicebat Magiſter in textu: Deum inſpiraſſe in Adam ſpiraculum vitæ: Inſpirare ergo, vel inſufflare nil aliud eſt, quàm ſpiritum facere, & eum corpori vnire. Vnde dicitur, formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ; ita cuiuſlibet hominis animam creat Deus, vt in faciem Adæ inſpiraculum vitæ. Aliquando ēt inſpirare dicitur immittere, à quo inſpiratio, qui modus diuinarum vocationū eſt, quando nos vocat dominus dicens. Venite ad me, &c. Sub quo ſenſu hic cum Magiſtro minimè loquimur, ſed ſub primo. Nunc tertio quędam dicenda occurrunt loco, de anima rationali inſpirata à Deo; quæ cum ſit potentia, & principium multarum operationū, & actuum in homine, hinc diuerſa ſortitur vocabula: quandoq; enim dicitur intellectus, vt potentiam ad intelligendum deſignat; quandoq; voluntas, quantum ad actum producendum volendi; quandoque anima dùm vegetat; dicitur ēt ſpiritus, dùm contem-

contemplatur; ſenſus dũ ſentit; animus dùm prudenter ſapit; mens dùm intelligit; ratio dùm diſcernit; memoria dũ recordatur; voluntas dùm conſentit, quæ oĩa nequtiquam differunt in ſubſtantia, nam vna ſunt ſubſtantia, licet proprietates diuerſæ ſint. Inſuper, ſecũdum ſui ſubſtantiam ſolet anima dici ſpiritus, reſpectu ſcilicet corporis, quatenus verò animat, dici debet anima; & hęc de ſegmentis tribus. In quarto ligni ſignificata detegenda occurrunt, nam multiplex lignum dici ſolet, lignum ſcilicet ſcientiæ boni, & mali; lignum quandoq; grauiora peccata dicuntur; eo quia lignum tardius conſumetur, quã ſtipula, denotans venialia minus grauia. Deniq; lignum dicitur vitæ, qđ communiter oẽs Doctores tenent, habuiſſe virtutem perpetuò conſeruandi vitam hominis in ſtatu innocentiæ. Scotus verò videtur aliter dicere, qđ fructus ligni vitæ, licet habuerit virtutem prolongandi vitam, nõ tamen in perpetuu conſeruandi, & hoc ratione probat; vis enim ligni vitæ, conſeruatiua hominis, minimè fuiſſe dici debet, à ligni natura ſpecifica, ſed ex Dei dono in ſpeciali ad ſalutem hominis corporalis: at homine lapſo in peccatum ſubtracta, & immutata fuit vis ipſa ligno vitæ, vt irreuocabiliter ſtaret Dei ſententia: quacunq; hora comederitis, morte moriemini. Vnde Iacob. de Valentia dicere ſolebat, illud vitæ lignum in paradiſo plantatum, duo primis conferre parentibus, nam primo uitam perpetuã pręſtabat, ſine aliqua in pręſenti miſeria, pręſeruans ab omni infirmitate, & triſtitia: inſuper conferebat immortalitatem, quia poterant non mori. Pręterea poſt longam durationem tranſlati fuiſſent in vitam meliorem, id eſt in cęlum ęternum, vbi æternaliter fruerentur Deo viſo, & amato;

&

& licet varia, & genera diuerſa lignorum eſſent in paradiſo terreſtri; inter alia tamen duo erã' ſpecialiſſima. Vnum vitæ lignum, aliud ſcientiæ boni, & mali; & fuerunt in medio paradiſi, & vnũ iuxta alterum, vt ex uno amoris acciperet affectum, & ex alio timoris Dei. Fuerunt ergo ibi triplicia ligna, ſcilicet in nutrimentũ; in documentũ, & ad viuendum in perpetuum. Per lignum quoq; vitæ poteſt intelligi Chriſtus; item quilibet homo iuſtus, qui bonos facit fructus ſuorum operum; deniq; lignum vitæ crux Dominica ſolet dici, eo quia redemptionis fructum dederit nobis: & hęc de quatuor pollicitis. In ſequenti ad alia accedemus.

DE ANIMA RATIONALI.
Lectio LXII.

ANtequàm accedam ad quęſtiones excitandas circa prędeclaratam diſtinctionem de rationali anima quatuor perpendam. Creationis tempus primò; quo modo ſit in corpore ſecundò; inſuper perfectionis huius gradum; originem eiuſdem quartò. Quò ad primum, duo fuerunt errores circa tempus creationis animæ rationalis. Primus fuit Platonis ponẽtis animas, & Angelos ab æterno; quod dictum fuit contra fidem, nihil enim æternum, pręter Deum. Dicamus itaq; nos, quòd anima rationalis ſimul creatur, & infundatur, non ante corpus, ſed cum corpore ſimul: eius etenim natura eſt vniri corpori; ſimul ergo cum corpore, & in corpore creata, & non ab ęterno, vt perperam dixit ille Plato. Quo autem modo in corpore ſit anima ipſa, nunc ſecundo

ſpeculandum uenit loco. Cum itaq; duobus uideatur id poſſe cõcipi modis, vno modo, quò ad eius eſſentiam, alio modo, quò ad eius operationes: ſi primo modo, tunc tota in toto, & in qualibet eius parte corporis eſſe dicetur: at ſi ſecundo cõcipiatur modo, videlicet quãtum ad ſuas potentias diuerſas, tunc dicendum erit, nõ eſſe neceſſe, quòd inueniatur tota, &c. ſed ſolum in illa parte proportionata ad talis potentiæ operationem. V.g. ſi conſideretur anima, quò ad potentiam intellectiuam, & volitiuam, nequaquã dicetur tota in toto, &c. Intelligere enim, & velle actus alicuius organi corporalis minimè ſunt, quia tales põt exercere operationes abſq; corporis communitate. Si verò conſideretur anima, quantum ad potentiæ modum intellectiuæ, prout intelligere eſt cum phantaſmate, tunc ei pars determinata, ſiue locus aſſignandus, & erit media cellula capitis, quæ dicitur rationalis, ſic nõ in toto corpore, ſed in parte determinata tantùm ponetur. Si verò, quò ad motiuam potentiam, tunc in corde eſſe dicetur, p quod anima ipſa totum mouet corpus, & hoc, quia primò motus vitalis in corde eſt, qđ à ſigno declarari poteſt; nam in ſomno calor reducitur ad cor, & in vigilia fit caloris vitalis exparſio p totũ corpus, vt experientia docet, & hoc totum à corde: igitur, &c. Inſuper, anima ſi conſideretur, quò ad potentiam ſenſitiuã, tota in toto minimè dicetur eſſe, ſed bene in quibuſdam corporis partibus. V.g. viſiua potentia in oculo, auditiua in aure, & ſic de ſingulis; eſt ergo tota in toto ſecundum eſſentiam, in alijsq; corporis partibus diuerſis ſecundum potentias; vel in corde, vt iam dixi; vel in cerebro principaliter; Et hęc ſatis de puncto ſecundo. Nunc vertatur oratio noſtra ad perfectionis ipſius

animæ

animæ gradum tertio loco; vt enim benè noſtis, gradus perfectionis animæ rationalis ſunt quatuor. Primus eſt, quòd corpori coniuncta perfectior ſit, quàm à corpore ſeparata; & huius ratio aſſignatur, quia pars ſemper perfectior dicitur exiſtens in toto, quàm ſeparata ab illo. Ecce anima rationalis compoſiti naturalis pars: quare perfectior in corpore, quàm ſeparata dicetur, quò ad eſſe naturale, & operari pro hoc ſtatu. Si verò anima, vt corpori vnita eſt corruptibili, vel vt ab ipſo ſeparata, conſideretur, tunc proculdubio nobilioris, ac perfectioris ſtatus erit ſeparata, quàm vnita; & ne ſine ratione loquentes erubeſcamus, hanc aſſignamus rationẽ dicentes, quia tunc temporis aſpectum erectum ad ſuperiores ſubſtantias habet: ut uerò unita, ſiue coniuncta, dicitur aſpectũ curuum, ſiue inclinatum ſolum habere ad ſenſum. Inſuper, anima ſi conſideretur, ut unita corpori incorruptibili, & glorioſo, tunc erit perfectior unita, quàm ſeparata ab ipſo, & hoc, quia coniuncti operatio perfectior eſt, quàm partis: ſecundò ex parte appetitus, & deſiderij, nã ut ſeparata ſemper uniri, atq; coniungi appetit: perfectior ergo, ut corpori unita eſt incorruptibili. Poſtremò collata anima ad corpus corruptibile, & incorruptibile, q̃s negabit maioris eſſe perfectionis, dùm eſt unita incorruptibili, quàm corruptibili? nonne tunc habet liberiùs eſſe, quàm dùm corruptibili eſt unita? tunc nonne clariùs intelligi, quàm dùm eſt corpori tranſmutabili vnita? certè ſic, nam nunc intelligit per ſpecies acquiſitas per ſenſus, tunc p̃ ſpecies influxas: perfectior ergo, ut eſt corpori glorioſo vnita, quàm ſeparata; & corpori tranſmutabili, quàm ab illo ſeparata; ſub illo tamen ſenſu iam declarato. Enucleatis hactenus tri-

bus ſegmentis, in ordine accedit quartum, vbi eſt ſermo de huius origine, nõ enim generatur, vt dixit ille Cremonenſis Appollinaris, & malè credidit, nam ex alia non eſt anima generata, nec ex aliqua materia, vt quidam ſunt opinati, ſed eſt à Deo ex nihilo pro creata, intellectualis, immortalis, non materialis, ſed ſpiritualis; nõ ab Angelis, ſed à Deo: formauit enim Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitę: Et hęc ſatis pro prȩſenti lectione.

NVM ANIMA RATIONALIS CORPORI VNIATVR, VT FORMA, ETC.
Lectio LXIII.

T*Ria conſueuerunt Theologi ſacri circa prędeclarata in ſuperiori diſtinctione excitare quęſita. Quorum primum ſic ſe habet. An intellectiua anima corpori unitatur, vt forma; Inſuper, Num ante corpus fuerit ꝓducta; denique, vtrum Paradiſus terreſtris locus conueniens humanæ habitationi fuerit. Quantum ad primum, primo aſpectu videtur eſſe dicẽdum, quòd non, & ratio aſſignatur; illud enim, quod alicui ſecundum ſe ineſt, ſemper ineſſe dicitur: atqui formæ eſt ſecundum ſe vniri materiæ: igitur ſemper ei conueniet, quàm diù eſt; ſed anima corpori vnita non ſemper remanet, quia teſte Philoſopho ſeparatur à corpore, vt perpetuum à corruptibili: ergo. In oppoſitum ſe habet illud Philoſophi ſecundo de anima dicentis: Animam eam eſſe, qua viuimus, ſentimus, atq; mouemur. Igitur, &c. Circa quęſtionem hanc extant*

tant diuerſæ opiniones, quas ego ſi recenſere vellem, potius tempus, quàm oratio mihi deficeret. His itaque omiſſis, ad argumentum formatum accedo, & ſic reſpondeo maiorẽ gloſando, quæ intelligi debet de eo, quod inſit alicui in primo modo dicendi per ſe, vt animal, quod ſemper homini ineſt: at illud, qđ ineſt in ſecundo modo dicendi per ſe, non ſemper ineſſe dicitur, quia impediri pōt; quo modo animæ uniri materiæ competit: quare licet actu anima dicatur ſeparari, ob id nõ debet negari, quin ut forma uniatur corpori, & hęc de primo quęſito; cui additur alterũ, dùm quęritur. Num ante corpus primi hominis anĩma fuerit ꝓducta. Quibuſdam pars affirmatiua videtur ſuſtinenda tali ratione; dici etenim ſolet, qđ finis principio proportionatur: at anima in fine poſt corpus remanet: igitur, quod ante corpus creetur dici debet; ſed dicetis: proprius actus nonne in ꝓpria debet eſſe materia? ſi ſic: igitur anima in corpore, & non ante corpus habet produci; nam corporis actus ipſa eſt: quare, &c. Hoc ſuppoſito, dicant alij quicquid velint: Ad argumentum de facili ita reſpondendum, quòd finis proportionatur principio per ſe: at per accidens non oportet, & ita animam poſt corpus remanere defectu mortis, qui nõ potuit eſſe in principio creationis, per accidens continget. His duabus quęſtionibus nectitur in ordine tertia, dùm quęritur: num Paradiſus humanæ habitationi locus conueniens fuerit: pro parte negatiua ſic arguitur. Naturæ temperatiſſimæ locus debet correſpondere tẽperatiſſimus, ſed humana complexio in ſtatu innocentiæ erat temperatiſſima, & Paradiſus intemperatiſſimus ob caloris exceſſum, cum ſub ęquinoctiali ponatur: ergo, &c. Pro determinatione huius difficultatis,

ſupponendum eſt, paradiſum locum eſſe humanæ habitationi conuenientem, ſi non ex natura climatis abſolutè, ſaltem ex loci ſitu, & altitudine. Quo ſtante ad argumentum formatum in oppoſitum ita erit dicendum; quòd licet ſub equinoctiali, quantum eſt ex climatis natura, caloris exceſſus ſit, nihilominus ꝑ ꝑ ſitus conditionẽ, ibi tẽperamentũ ponitur, vt iam eſt dictũ: Et hęc ꝑ pręſenti ſatis.

DE FORMATIONE MVLIERIS.
Diſtinctio XVIII.
Lectio LXIIII.

HActenus locuti ſumus vna cum Magiſtro ſent. de primi hominis productione, num verò agendum erit de mulieris formatione, vbi in ordine ſex contemplabimur ſecta. Concluſionem primò; quęſtiones quatuor ſecundò; nouam concluſionem tertiò; quęſitum vnum quartò; reſponſum quintò; tandem propoſitionem ſextò. Quò ad primum, ſit hęc concluſio. Deus de coſta Adæ dormientis in paradiſo, abſq; alicuius materiæ alterius additione formauit corpus Euæ: nam plantato paradiſo, & Adam in eo poſito, & animalibus ante eum ductis, & nominibus proprijs eorum per eum aſſignatis, immiſit Deus ſoporem in Adam. Ipſo quoq; dormiente, vnam de coſtis eius tollens, eam formauit in mulierem: circa quam materiam ſolent excitari quæſtiones quatuor, vt in ſecundo eſt uidere ſegmento: quarum prima ſic ſe habet. Cur Deus ſimul fęminam, & virum nõ creauit, ſicut Angelos ſimul produxit? ad quod vt reſpondeamus, duplicem cau-

ſam

ſam aſſignabimus: vna enim eſt, vt diaboli ſuperbia cõfunderetur: altera eſt, vt ſimilitudo Dei in homine magis manifeſtaretur. Nã vt Deus rebus omnibus vnum creationis eſt principium, ita vnus homo vnum eſt generationis principium omnibus hominibus; qđ minimè fieri potuiſſet: ſi ſimul eos creaſſet. Secunda queſtio eſt; quare ſpecialiter de coſta Adæ, & non de alia corporis parte ſit facta? Reſpondetur adhoc, ne Domina, ſi de capite, nec ancilla, ſi de pedibus producta fuiſſet, alijs videretur: de coſta ergo, vt viro ſocia ipſa producta, & ut talis à uiro cognoſcenda. Inſuper, ſolet dubitari tertiò: cur potius de latere dormientis, quàm vigilantis ſumebatur coſta, ad mulieris formationem? hic tres rationes aſſignandæ vidẽtur, ut dubium è medio tollatur. Prima in ordine talis dicitur fuiſſe, ne ſcilicet uir dolorem in coſtæ ſubtractione ſentiret; altera ratio à Dei potentia deſumitur, ut ſcilicet in hoc Dei potentia cognoſceretur. Latus enim dormientis hominis aperuit; ipſumq; à ſoporis quiete non excitauit. Tertia ratio, vt ſacramentorum de latere Chriſti in cruce dormientis profluxio figuraretur. Quarta difficultas ſub his ſolet proponi verbis. An ſcilicet de ſola coſta, ſine additione alterius ſegmẽti, mulier fuerit formata. Certè vt in textu Magiſtri eſt legere, ad ipſam aliqua alia materia addita, ſiue appoſita minimè fuit, at tantum virtute diuina coſta illa ad totius mulieris formationẽ multiplicata fuit; ſicut de panibus quinque factum fuit multiplicatis, ad multorum ſaturitatem hominum, & licet angelorum miniſterio, vt tacitæ occurramus dubitationi, mulieris formatio ſit facta, ob id minimè cenſcendi ſunt creatores; & hęc de ſegmentis duobus. In tertio ponitur hęc concluſio. Cor-

poris Euæ de corporis coſta Adæ organizatio ex aliqua minimè fuit ſeminali ratione in principijs à rebus inditis, ſiue creatis. Ad quam probandam, quarto ſcilicet loco quęſitum tale proponitur. Vtrum in illa coſta ad mulieris productionẽ ratio ſeminalis eſſet: ad quod ut reſpondeamus, deſcrimen inter cauſas primordiales, & inter rationes ſeminales ponendum. Nam cauſæ primordiales in Deo ab ęterno fuere; Rationes verò ſeminales ex tẽpore creaturis ſunt inditæ. Nec ſe habẽt reſpectu oĩum, ſicut cauſæ primordiales, ſed reſpectu quorundã tantum, attamen rationes ſeminales quodã modo cauſæ primordiales dici queunt, cum rebus in ſui prima conditione inditæ ſint, tùm quia ſunt quaſi principalia rerum ex ipſis producendarum principia, ſunt etenim quędam, quæ naturaliter ex conſeminalibus rationibus producuntur: alia verò, quæ ſupernaturaliter fiunt, quorum cauſæ tantùm in Deo ſunt. Ex quibus reſponſum quinto loco concludendum venit: dicitur ergo, quòd mulieris formatio de coſta Adæ naturaliter non, ſed ſupernaturaliter ſit facta, & ex conſequenti illa coſta, ratio ſeminalis ad mulieris productionẽ, minimè fuit. His ſexto addenda uenit loco talis propoſitio. Deus Euæ animam nequaquam, de Adæ anima, ſed ex nihilo eam infundendo condidit. Ad quam probandam, hic opiniones quorundam apponendæ erunt: quidam enim poſuerunt, viri animam propagatam, quod penitus falſum eſt, anima etenim rationalis ingenerabilis, incorruptibiliſq; eſt, ſolum per actum diuinæ virtutis creatiuum producibilis, partes aliquas non habens quantitatiuas, in quas lacerari poſſit: qđ tamen foret neceſſarium, ſi una ab alia propagata anima eſſet. Alij ſunt opinati, eam ab initio cum

cęteris

cęteris animabus ſore creatam: at ſecundum fidei catholicam ſententiam, ipſa ſicut omnes animæ rationales creando infundebatur, & infundendo creabatur. Vnde beatus Hieronymus excõmunicauit omnes animas ex traduce dicentes. Et hęc pauca pro pręſenti diſtinctione ſufficiant.

NVM DE COSTA VIRI, EVAE CORPVS SIT FACTVM.

Lectio LXV.

CIrca prędeclaratam diſtinctionem, multa dicenda occurrunt: quorum breuitatis cauſa, in pręſenti meo ſermone, vnum tantùm examinandum proponam; & in ſequenti ad alia accedam. Solet ergo dubitari; Num Euæ corpus de Adæ coſta ſit formatum: mihi ſanè videtur eſſe dicendum, quòd non; nam in Adã nihil fuit ſuperfluum: igitur ex illius coſta Euæ corpus non ꝑductũ. Conſequentia patet; quia ſi de coſta, tunc Adam imperfectus remanſiſſet, quod velle dicere inconueniens admodũ eſt: ergo, &c. Inſuper, ſi corpus Euæ de coſta Adę fuit formatũ, vel hoc factum per additionem alterius materiæ, vel ſine: ſi primum, potius dici deberet Euæ corpus factum ex illa alia materia, quã de coſta, nec videtur poſſe dici ſecundũ: quia coſta illa multo minor erat quàm Euæ corpus: Deinde: Deus corpus mixtum ſine materia facere non poteſt: igitur pari ratione tantũ minimè potuit facere corpus ſine tanta materia: quare, &c. In oppoſitũ ſe habet illud; quòd dici ſolet: indiuiſibile additum diuiſibili, maius non

facere:

facere: at materia de ſe indiuiſibili: quare additio materiæ ad materam quid maius facere non videtur; & ita per additionem materiæ ad coſtam nō potuit Euæ maius formari corpus. Pro reſponſione ſciendum eſt circa queſtionem hanc, tres inueniri opiniones: prima eſt dicentium, non ſolum virtute diuina, verum ēt virtute naturæ de paruo magnū fieri poſſe abſq; rarefactione, & materiæ additione; quia in naturalibus uidetur dari minimum, vt minima caro. Hęc opinio mihi nullius momenti eſſe videtur, immo nulla, quia licet in naturalibus detur minimum ſeparatum, & per ſe exiſtens; hoc tamen de minimo coniuncto toti, nō debet admitti, quoniam nō datur. Altera opinio tenet, quòd nec naturæ virtute, neq; diuina, magnum de paruo fieri queat: quam opinionem ſubterfugio, & nego: non enim eſt neceſſe quòd in multiplicatione quantitatem ſolam attingente requiratur rarefactio, vt ſupponebat hęc opinio. Alij tenent Deum, magnum de paruo facere poſſe, ſine additione materiæ, ac rarefactione, quòd natura finita minimè pōt. Aſſumptum iam patet, ex ſuppoſita potentia naturali obedientiali rei ad Deum. His in hunc modum diſpoſitis, nunc ad rationes diluendas accedo, & ad primam dico: illam coſtam fuiſſe ſuperfluam, & non reſpectu diuerſorum: erat etenim ſuperflua ſecundum rationem indiuidui: at non ſecundum rationem ſpeciei. Ad argumentum ſecundum de facili poteſt dici, quòd ex illa ſola coſta per diuinam virtutem fieri potuit totum Eue corpus; licet quidem alij dicant hoc factum fuiſſe per materiæ additionem, vel tunc, vel priùs creatæ. Ad tertium, & vltimū reſpondetur, qđ magnū nō eſt, niſi ex magna materia, nec paruū, niſi ex parua, & vniuer-

ſaliter

ſaliter tantum ex tanta: hoc tamen nõ eſt in materia ſecũdum ſe, ſed ratione quantitatis, hinc dicitur tanta eſſe materia, ſub quanta exiſtit quantitate. Et hęc de propoſitis ſatis in pręſenti lectione.

AN EVAE CORPVS FACTVM SIT, SECVNDVM RATIONEM SEMINALEM.

Lectio LXVI.

QVoniam in explanatione textus Magiſtri facta fuit mẽtio de rationibus ſeminalibus; iccirco in pręſenti perutile erit inquirere. Num Euæ corpus factum ſit, ſecundum rationem ſeminalem; & non de Adæ coſta. D. Aug. vi. ſuper Genes. ad partem uidetur affirmatiuã declinare, nam quando oĩa creata ſunt ſimul, tunc corpora Adæ, & Euæ facta fuerũt, ſecundum potentiam tanquam ſeminaliter mundo inditam: at hęc ratio ſeminalis dicitur; Euę ergo corpus factum dici debet ſecundum rationem ſeminalem, & non de Adę coſta. Ex alio latere totum oppoſitum uidetur eſſe dicendum, quòd enim fit per rationem ſeminalem, de aliquo naturaliter fit: at Euæ corpus, nequaquam fieri naturaliter potuit de Adę coſta: igitur, &c. Ad hanc cognoſcendam veritatem, altius exordiendum fore autumo; quid ergo ſit ſemen, & eius ſignificata primò tangam; Inſuper, quid ſit ratio ſeminalis; Tertio ponam concluſiones quaſdam lectionem pręteritam, & pręſentem complectentes; Quarto inſtantiæ adductę occurram. Quò ad primum. Semen ſecundum Guil. & Scotum dicitur eſſe corpus quoddam, cuius forma à natura intenditur pro-

pter

pter alterum, vt ex illo aliquid ſimile agenti generetur; vel dicatis cum Gabr. cum Scoto concordante; quòd ſemen ſit corpus imperfectum, à generante productum, non propter ſe, ſed tanquam via aſcendendi ad vlteriores formas perfectas. Hic tamen animaduertendum eſt, q̃d agentium quędam producunt effectum immediatè, ſiue ſibi ſimilem, ſiue alterius rationis, vt in producente ęquiuoco, vt ignis ignem, & ſol ranam. Alia producunt effectum mediante propagatione. V. g. vt equus equum generans; nã talis immediatè alterius equi formam minimè producit, ſed de ſe ꝓducit effectum medium, ſcilicet ſemen, mediante quo, equi forma producitur; eſt ergo ſemen, non intentũ à natura propter ſe, ſed bene propter aliud perfectius: hinc Aug. iii. de Trin. Cap. viii. ait, Omnium quippè rerum, quæ corporaliter, viſibiliterq; naſcuntur, occulta quędam ſemina in iſtis corporeis mundi huius elementis latent, & ſemen ſuperfluum eſt nutrimenti tertiæ digeſtionis, cuius ſignificata hęc: quandoq; enim ſumitur ꝓ ſuperfluitate tertiæ digeſtionis; aliquãdo ẽt pro verbo Dei, q̃d gratia viuificat, & ſemen creſcere facit, quod ſolus dominus tribuit. Capi quoq; ſolet ſemen pro actu liberi arbitrij, vt ſcribit Gabr. hoc aũt Deus Angelis ſemen concreauit, quia eis liberum arbitrium dedit, per q̃d poterant ſe conuertere ad Deum, & ſic Dei recipere gratiam; nos hic de ſemine primo modo capto loquimur, non alijs duobus modis; inde ratio ſeminalis prouenit, de qua nunc ſecũdo agendũ eſt loco. Ait ergo primo, ſanctus Bonauentura, volens nobis, q̃d quid eſt rationis ſeminalis aperire, quod ratio ſeminalis nihil aliud eſt, quam potentia actiua materiæ indita, q̃ eſt eſſentia formæ, cum ex ea fiat forma mediante naturę

opera-

operatione, quæ non producit aliquid ex nihilo. Scotus verò dicit, quòd ratio ſeminalis eſt aliqua forma ſeminis, inquantum ſemen eſt; & illud, vel eſt forma ſubſtantialis ſeminis, vel qualitas neceſſario conſequens formam ſubſtantialem ſeminis, ſicut forma tritici in tritico, vel qualitas conſequens formam eius, nec ſemen, nec ratio ſeminis, ſunt coæua naturæ, quia ſemen fit ex nutrimento, in quo ſemine dicitur eſſe ratio ſeminalis, vt in ſubiecto; nec ſemper ſemen in ſeminante eſt, cum fiat de ſuperfluo alimenti. Hęc Scotus. Ratio deinde ſeminalis ſecūdum Gabr. dicitur eſſe qualitas aliqua in ſemine, diſponens ꝓ introductione formæ perfectioris. Inſuper, ait, quòd nec ſemen, nec ratio ſeminalis fuit in coſta Adę, reſpectu formandi corporis Euę, quia coſta Adę immediatè conuerſa eſt à Deò in corpus mulieris miraculosè ſine acquiſitione formarū mediarū; ibi ergo, nec ſemen, nec ratio ſeminalis, nec qualitas aliqua in coſta concurrens actiuè ad corruptionem coſtę, & formationem corporis mulieris. Nullum ergo ſine ratione de prędictis ponendū erit in tali formatione, & licet vniformitas inueniatur in ſemine, & in materia, ex qua fieri ſolet genitum, cū in principio hęc vniforma appareant, ob id non eſt dubitandum de diuerſitate organorum in animali; quia hoc in caſu ad virtutem diuinam recurrendū erit. His ita pręmiſſis, conſideranda erit differentia inter rationem primordialem; obedientialem; naturalem; & ſeminalem. Ratio enim primordialis dicitur eſſe idealis ratio in mente primi. Ratio verò obedientialis, dicitur potētia paſſiua creaturæ, reſpectu Dei. Ratio deinde naturalis, potentia eſt actiua, vel paſſiua, ſecundum quam aliquid fit naturaliter. Ratio tandem ſeminalis rationem

contrahit

contrahit naturalem; omnis enim ratio ſeminalis naturalis eſt, ſed non è contra; immo illa ſola, quæ eſt in ſemine. Nunc tres ponendæ ſunt concluſiones. Prima eſt: conuenienter facta eſt mulier de viro ad viri dignitatem ſeruandam, vt ſcilicet principium totius ſuæ ſpeciei. Secunda concluſio: conuenienter facta fuit de viri coſta mulier ad deſignandam amicabilem, & ſocialem communicationē inter virum, & mulierem. Tertia concluſio: Euę corpus, non eſt factum de Adæ coſta ſecundum rationem ſeminalem, vt ex iam dictis manifeſtum eſt: propterea ad rationem formatam dicitur, intelligendam eſſe de potentia obedientiali tantùm, quæ propriè dici minimè poteſt ratio ſeminalis. Et hęc ſatis.

NVM IN MATERIA RATIONES ALIQVAE SEMINALES CONCEDENDAE.

Lectio LXVII.

QVia ſuperiùs de rationibus ſeminalibus aliquātiſper mētio facta fuit, iccirco in pręſenti duo inquiram; primò. Num aliquæ rationes ſeminales ſint in materia concedendæ. Pręterea; Num intellectiua anima cum ſemine produci dicatur. Quantū ad primum; pro parte negatiua ſolet argui, primò ſic: quicquid eſt extra animam, res eſt, & non ratio: at quicquid in materia eſt, dicitur extra animam eſſe: igitur res, & nō ratio: quare in materia ſeminales rationes minimè admittendæ. Inſuper. videtur, quòd ſemen aliquid actiuum importet; ſed in materia nō debet tale actiuum quid poni: igitur, &c. Minor patet; quia

materiæ

materiæ proprium eſt pati, & non agere: ſeminales itaq; rationes in materia nequaquam concedendæ. Pro intellectu huius quęſiti, in memoriam rationes primordiales; obedientiales; & ſeminales reuocandæ. Primordiales enim ſunt rerum rationes, vt in Deo prȩexiſtunt: qui Deus res, vt artifex oīum, oēs habens ſcientias, per intellectum producit. Ratio verò obedientialis, potentia eſt, in creatura exiſtens, vt de ea fiat, quicquid contradictionem non implicat; quo modo creatura, reſpectu Dei, ratio obedientialis vocatur. Inſuper, rationes ſeminales, actiuæ virtutes ſunt, nec non paſſiuæ rebus collatȩ: ſecundū quas non quodlibet fit ex quolibet, neq; quolibet modo, ſed determinatū ex determinato per media quoq; determinata. His notandum vnum accedit de rationibus ſeminalibus, quæ in illis inueniri maximè dicuntur, quibus ſimile ex ſimili ꝑducitur, vt prȩcipuè in viuentibus; talia enim ꝓpriè ex ſemine generantur, & ex virtute actiua, & paſſiua. His prȩmiſſis, Ad argumentum primum reſpondetur, dùm dicitur, quòd ratio non ſolum ſumitur pro pertinentibus ad intellectum, verum etiam prò omni eo, qđ cauſalitatē importat, reſpectu alterius; V.g. quando dicitur, quòd in igne calor eſt ſibi ratio calefaciendi. Ad alterum dicitur, quòd ſub ſeminalibus rationibus comprȩhenduntur non ſolum actiuæ virtutes, ſed etiam eis paſſiuæ correſpondentes, V.g. in animalis generatione ſemen illud, quod miniſtratur, ſolum non dicitur ex parte viri: at etiam ex parte mulieris: principalicis tamen illud videtur dici debere ſemen, in quo virtus actiua; ſub quo ſenſu loquitur Philoſophus. Iam primo de duobus enucleato quęſito; alterum ſubſequitur, dùm quęritur. Num ſcilicet intellectiua

anima

anima cum ſemine producatur. Mihi primo videtur aſpectu pro parte affirmatiua eſſe dicendum, quòd ſic: corpus enim organizatum animæ dicitur eſſe ſubiectum; ſed tale per virtutis formatiuæ actionem exiſtentis in ſemine organizatur; ergo actio ad animam videtur, quòd extendatur: ſi ſic, intentum patet noſtrum. In contrarium ſe habet Ariſtoteles xvi. de animalibus, vbi dicit, quòd intellectus ab extrinſeco eſt; non ergo; &c. Nunc ad argumentum formatum. His ita poſitis, dicitur. Solum animæ ſubiectum primã eſſe materiam, ad quam actio formatiuæ virtutis exiſtentis in ſemine non terminatur, ſed bene ad aliquam formam ſubſtantialem, vel accidentalem, quæ tamen adueniente anima intellectiua non remanent, quia diſpoſitiones quędam materiæ erant, vt ad formã tranſmutaretur; & non vt eſſet cũ eis ſub forma; Expeditis his, in ſequenti accedemus ad diſtinctionem xix. huius libri ſecundi in ordine. Hęc intantum.

DE PRIMO HOMINIS STATV, ETC.
Diſtinctio XIX.
Lectio LXVIII.

NON *poſſum non ſatis mirari mirũ ingenium Magiſtri ſent. & incredibilem ordinem, quem ſeruat pręcipuè in hoc libro ſecundo. Poſtquam enim egit de humanæ naturæ productione, conſequens ei erat modo pertractare de ipſius conſeruatione. Circa quod ſeptem nobis pollicetur, nam concluſionem primo cum probatione proponit. Inſuper, primi hominis triplicem*

plicem ſtatũ tangit; Propoſitionem tertiò; Dubium quartò; Propoſitionem cum dubio quintò; Notandum ſextò; Varias tandem opiniones circa primi hominis immortalitatem. Quo ad primum, concluſio ſic ſe habet. Adam in paradiſo ante peccati ſtatum viguit non moriendi poteſtate. Ad quam probandam vna cũ Magiſtro dicendum; quòd primus homo ante peccatum quodammodo mortalis erat, & quodammodo immortalis, nam poterat mori, & non mori. Hinc ſecundo loco tangitur triplex primi hominis ſtatus: primus fuit ante peccatũ, in quo habuiſſet poſſe non mori; alter poſt peccatum; in quo habuit neceſſe mori: tertius poſt reſurrectionem, in quo moriendi impoſſibilitatem habebit. Et licet corpus illius eſſet animale, egens alimentis, & mortale; cum hoc tamen poſſe non mori habebat. Poſt peccatum verò mortale factum eſt, & moriendi neceſſitatẽ habens. In reſurrectione tamen ſpirituale erit, cibis minimè egens, & mori non potens. Poſt hęc ſequitur tertio loco, talis propoſitio. Homini immortalitas in ſtatu innocentiæ affuit, nõ tamen ex ſuæ naturę conditione, at ex ligni vitę vſu, nec non ex conditoris beneficio. Ad quod videndũ Magiſter dubitat quartò. Num homo poſſe non mori in ſtatu ante peccatum habuerit, ſi ſic: an ex gratię dono, vel ex naturę ſuę conditione. Certè vt rectè intuenti patet, dicendum ad hoc erit: id totum primum habuiſſe hominem, ex dono gratię; videlicet ex vſu ligni vitę; non autem ex ſuę naturæ conditione, vt teſtimonio beati Aug. patet; nec non antiquorum hoc confitentium, vt in textu videre eſt. Inſuper, ſi ex vſu ligni hoc non habuiſſet, certè comedendo peccaſſet: at vſus eſt ligno vitæ in pręceptũ: iccirco poſſe non mori ex ligno vitę habuit,

ut in quarto loco habetis preſentis noſtri ſermonis. Conſequenter in quinto propoſitio cũ dubio ſub tali verborum forma proponitur. Adam immortalitatem habuiſſe in ſtatu innocentiæ, Doctores opinando, varijs modis deſignant; propterea, quid de hoc tenendum dubitatur. An dato, quòd primus Parens preceptum de vſu ligni vitæ non habuiſſet, num adhuc poſſe non mori habuiſſet, ſi illo ligno vſus non fuiſſet? Ad hoc dici poteſt, vna cum Magiſtro ad mentem tamen quorundam, lignum vitæ totalem immortalitatis minimè cauſam fuiſſe, ſed coadiuuantem. Hinc ſexto datur notandum loco de triplici precepto, ſiue mandato Adæ dato: Diſciplinæ vnum, ne ſcilicet comederet de ligno ſcientie; aliud fuit naturæ; & hoc adhuc duplex ad vniuerſalem, vt puta, conſeruandum naturam; quando ſibi dictum fuit: Creſcite, & multiplicamini; aliud ad naturã particularẽ conſeruandam; ſcilicet, vt comederet de ligno vite. Tandem ſeptimo loco, quid ſenſerint alij de primi parentis immortalitate dicamus. Quidã enim ſunt opinati omnino ex vſu ligni Adam immortalitatem habuiſſe; num verò alia fuerit immortalitas Ade ab illa beatorum in patria, quibuſdam D. Aug. authoritatibus, vt habetis in textu, declaratur quòd ſic: immortalitas enim Ade per vſum aliorum ciborum conſeruata fuiſſet, & ad tẽpus quouſq; ſumpſiſſet de ligno vite; fieretq; perfectè immortalis. Quibuſdã alijs viſum eſt, qđ ẽt à natura immortalitatẽ quãdã habuiſſet: at perfectã per vſum ligni vite. Hic Magiſter videtur ſuſtinere, qđ primã ẽt habuiſſet immortalitatem ex vſu ligni vitæ: Et hec pro preſenti. In ſequenti examinantes hanc diſtinctionem multa ſcitu digna intelligetis perpendemus.

AN

AN ADAE IN STATV INNOCENTIAE IMMORTALITAS NATVRALIS FVERIT, ETC.

Lectio LXIX.

MVlta equidem circa prędeclaratam diſtinctionem dicẽda forent, at breuitatis amator, veritatiſq; indagator, vnum tantùm hodierna die examinandum proponam. Num ſcilicet in ſtatu innocentiæ immortalitas Adę fuerit naturalis. Pro parte negatiua ſic raticinor. Primus homo poſt peccatum immortalis nõ remanſit: ergo in illo ſtatu innocentiæ immortalitas non erat naturalis; quia vt in dęmonibus integra remanſerunt naturalia, ſic & poſt peccatum immortalitas in homine: Pręterea; illud naturale dicitur, quod ineſt per virtutem naturæ: at per naturam in primo parente non erat immortalitas, quia à ligno vitæ, & ex dono conditoris: igitur, &c. Ex alio latere Magiſter in textu ſe habet in oppoſitum dicens; Adam habuiſſe, poſſe non mori: ergo inerat ſibi immortalitas per naturam: Inſuper, Apoſtolus ad Rom.v.dicit, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, ante peccatum itaq; erat immortalis: ſtatus ergo innocentiæ immortalitas fuit, qua poterat non mori, & non qua nõ poterat mori, qualis reſurgentium immortalitas. Pręterea, poſſe non mori, videtur duobus conſiderari poſſe modis: vno modo ad ſemper; alio modo ad tempus: ſi primo modo, illud non poterat dici, poſſe non mori, quò ad actum, quia de illo ſtatu homo transferendus erat ad ſtatum gloriæ, in quo non poſſet ſimpliciter mori: erat ergo illa immortalitas, qua poterat homo non mori, non ad

ſemper, ſed ad tempus, ex cõditione ſtatus. Ab alijs pro certa huius difficultatis determinatione, videtur immortale dupliciter accipi poſſe, ſcilicet propriè, vel impropriè: propriè vt contradictoriè, opponitur huic, qđ eſt mortale; vt negatio incluſa negat potentiam moriendi, & ſic valet immortale ideſt non poteſt mori. Impropriè verò, vt contradictoriè non opponitur, ſed quaſi ſubcontrariè, vt negatio incluſa non negat potentiam, ſed actum; valens tantùm immortale, ideſt potens non mori; ſecundum quẽ modum primus parens in ſtatu innocentiæ mortalis, & immortalis fuit, vt concedit Magiſter in iam declarata diſtinctione. Accipiendo verò immortale propriè, vt inquit Gabr. homo in illo ſtatu corpus immortale non habuit, quia mori potuit; & ab eiſdem agentibus pati, à quibus nunc, ſi applicata fuiſſent; licet ergo complexionatũ optime corpus habuerit, nihilominus à ſuo contrario calore, vel frigore exceſſiuo corrumpi potuit: ergo, &c. At capiendo immortale ſecundo modo, potuit non mori pro ſtatu illo, quia adiutoria, & remedia contra oĩa, mortem inducentia habuit, & ita, mortem euitare potuit. Num verò talis immortalitas ei naturalis fuerit, quibuſdam viſum eſt, quòd ſic; huic fundamento innitentes, quatenus primi hominis natura erat bene complexionata, & cibus paradiſi puriſſimus, & aer temperatiſſimus: quare, &c. His ita premiſſis; Ad argumentum primum breui dicendum: immortalitatem per naturam in primo minimè fuiſſe parente; Ad ſecundum fateor, id totum à Dei gratia habuiſſe, non à ſua natura, licet bene complexionata, & ita per hęc, quid ad Pauli authoritatem adductam ad Rom. v. reſpondendum, & ad Magriſtrum ſent. manifeſtum eſt.

eſt. In ſequenti ad alia feſtinabimus; hęc intantum.

NVM PASSIBILE IN STATV INNOCENTIAE, ADAE CORPVS ERAT?

Lectio LXX

COnſequenter arbitror hodierna die, quęrendũ eſſe. Num Adę corpus in ſtatu innocentiæ fuerit paſſibile. Circa qđ quęſitum, hoc ordine procedam; nam primò rationes ꝓponam, notanda ſecundò; concluſiones tertiò; & argumentorum ſolutiones quartò. Quò ad primum, rationes quędã ſolent formari pro parte affirmatiua: quarum prima ſic ſe habet. Nobiſcum in materia communicabat, illius ergo corpus paſſibile erat. Secundo nutribilis erat: ergo paſſibile corpus habebat. Tertio ſentire eſt pati: ibi aũt primus homo ſenſitiuus: ergo, &c. Ex alio latere, dicetis vos: poſt peccatũ mors intrauit in mundum, vt dicit Apoſtolus ad Rom. ergo videtur, quod ante corpus illius primi hominis in illo ſtatu non eſſet paſſibile; & hęc de primo ſegmento. In altero ſignificata paſſionis diuerſa pręmittenda ſunt: ſolet enim multifariàm ſumi paſſio; nam aliquando vſurpatur ꝓ animi, vel corporis morbo; aliquando pro inclinatione ad aliquid agendũ: aliquando pro ſupplicio, ſiue tormento: ab alijs verò in tria uidetur diſtingui poſſe ſignificata; nam triplex dicitur. Vna eſt paſſio immutatiua tantùm, quæ perfectiua, ſed non lęſiua ſubiecti, cuiuſmodi eſt receptio ſpeciei ſenſibilis in organo. Altera eſt paſſio immutatiua, & abiectiua conuenientis, ſed non lęſiua ſubiecti, aut afflictiua, cuiuſ-

modi eſt aliqualis conſumptio humidi radicalis. Tertia eſt paſſio immutatiua, & abiectiua conuenientis, ac etiam lęſiua, ſiue afflictiua ſubiecti, cuiuſmodi eſſet notabilis conſumptio humidi radicalis, aut exceſſiua minutio ſanguinis. Nunc quędam ponendæ ſunt concluſiones: quarum prima talis. Homo ex natura ſua in ſtatu innocentiæ erat mortalis, quia calor naturalis poterat agere in humidum radicale, idq; conſumere; ad cuius conſumptionem ſequuta eſſet extinctio caloris, & mors. Altera concluſio ſic ſe habet. Corpus hominis in illo ſtatu erat paſſibilis paſſione immutatiua. Tertia concluſio. Corpus hominis tunc erat paſſibile paſſione immutatiua, & abiectiua conuenientis: patet, quia per actionem caloris naturalis fiebat in eo aliqua conſumptio humidi radicalis. Quarta concluſio. Corpus hominis non erat paſſibile paſſione lęſiua, aut afflictiua, quia poterat ipſe homo, & debebat in illo ſtatu cauere à lęſiuis, & afflictiuis. Deus etiam preſeruaſſet eum ab omnibus nociuis. His ita poſitis, ad rationes nunc accedo, & ad primam dico: cõcludere de paſſibilitate, quo ad corpus; Adam enim quantum ad corpus erat paſſibilis, quia in eo fuit vera deperditio alicuius conuenientis ſecundum naturam. Ad ſecundam rationem dicitur, q̃d nutribilis erat ille homo, quia corpus animale habebat, egens cibis. Ad rationem tertiam de ſentire, quod eſt pati, concedo, quod erat paſſibile habens corpus, & ipſe paſſibilis, pasſione immutatiua, & abiectiua conuenientis; pasſione verò animali, quæ conſiſtit in dolore ſenſitiuo; & eſt proueniens ex perceptione lęſiui, tunc dico, quod in illo innocentiæ ſtatu, minimè fuit talis pasſio: in cuius rei ſignum, dixit dominus mulieri, poſt peccatum, & in pęnam pec-

cati,

cati, In dolore paries, &c. ſic quid tenendum circa propoſitum quęſitum ſit, vos ex dictis non latet.

DE MODO PROCREATIONIS FILIORVM.
Diſtinctio XX.
Lectio LXXI.

EXpoſiturus hodierna die vigeſimam in ordine huius libri ſecundi diſtinctionem, circa nexum primo verſabor; inſuper, ad diuiſionem accedam; tandem ſingulas partes aperiam. Quantum ad primum. Nexus pręſentis cum pręcedentibus videtur eſſe talis. Ex quo Magiſter, de humanæ naturæ conſeruatione uerba fecit, & hoc per nutrimenti ſumptionem; ex conſequenti ſibi agendum erat, de eiuſdem conſeruatione per naturalem generationem, quod in pręſentia pręſtabit. Habita continuatione, vna cum intentione; diuido modo hanc diſtinctionem in ſecta ſeptem. In concluſionem primò; in dubium ſecundò; in ſolutionem tertiò; in quęſtiones duas quartò; in propoſitionē quintò; in duas alias quęſtiones cum ſolutione ſextò; in propoſitionem cum ratione ſeptimò. Accedo ad punctum primũ, & hanc concluſionem pono. Si primi non peccaſſent parentes, generationis officio ſine pruritu, ac libidine, ſine mortè cum omnibus ſuis ſimul, vel ſucceſsiuè, ad meliorem ſtatum tranſlati fuiſſent de paradiſo. Ad quam probandam concluſionem, ſecundo venit dubitandũ loco, qualiter ſcilicet primi parentes filios ꝓcreaſſent, ſi nō peccaſſent: videtur etenim, concubitum minimè dari poſſe ſine corruptione; quæ tamen corru-

ptio ante peccatum in homine minimè potuit eſſe, vt quidam ſunt opinati, non ergo per concubitũ genuiſſent: declinantes nos ad veritatem, vna cum Magiſtro hac in parte dicemus, quòd ibi fuiſſet concubitus immaculatus, & nuptiæ honorabiles, & commixtio ſine concupiſcentia, & vſus membrorum genitalium ſine corruptione; immo membra genitalia fuiſſent homini ad vſum ſecundum voluntatem, ſicut homo alijs vtitur membris; Et hęc de tribus ſegmentis. In quarto duæ proponuntur queſtiones: quarum prima ſic ſe habet. Cur in paradiſo generatio non ſit facta? altera in ordine ſecunda, qualiter parentes poſt generationem ad perfectam immortalitatem, & beatitudinem tranſiſſent? iam queſitis duobus propoſitis, Ad primũ vt reſpondeamus, ita dicemus: hoc factũ fuiſſe, vel quia Deus nundũ prȩceperat, vt generarent; vel quia ſtatim poſt mulieris formationem per peccatum, de paradiſo conſequuta fuit eiectio. Ad ſecundum reſpondetur, q̄d parentes, & filij ſimul vixiſſent, poſtea electorum numero completo, ſimul ad beatitudinem fuiſſent tranſlati. His quinto additur propoſitio loco, quæ talis. Primi parentes, ſi in ſtatu innocentiæ perſtitiſſent, filios nõ ſolum in ſtatu paruulos, ac vſu membrorum perfecto deſtinctos, ſed ad alendos genuiſſent, donec corpore, & intellectu ad perfectum profeciſſent. Ad quam dilucidandam, queſtiones duæ excitari habent ſexto loco. Queritur ergo primo, q̃ales filios in ſtatu innocentiæ genuiſſent. An magnos ſecundum corpus, ac membrorum ſuorum vſum habentes? ad hoc paucis dicitur verbis, q̄d oportebat paruulos naſci ob maternorum viſcerum arctitudinem. Antiqui verò, ſunt opinati; quod filij fuiſſent nati ęque vſum membrorum, & lo-

quelæ

quelæ habentes, ſicut in quibuſdam animalibus apparet, quæ immediatè poſt natiuitatem ſtare dicuntur, nec nõ ſi qui matres. Alijs autem placet, quod tunc, ſicut modo in ſtatura corporis, & loquela, & huiuſmodi alijs profeciſſent; & ſicut in illo ſtatu egebant cibo: ſic etiam ex conditione naturæ in illo ſtatu ſine culpa de paruulis in magnos equidem profeciſſent. Huic quęſito nectitur alterum in ordine ſecundum, dum quęritur. Num in concernentibus animam, vt puta in ſenſu, & intellectu ſecundũ concernentia ipſum corpus profeciſſent? Ad hoc ſuſtinentes primam opinionem dicimus, quòd profeciſſent ſecundum corpus; poteſt inſuper dici, quòd etiam profeciſſent ſecundum animam, & in his, quæ ad animam pertinent, & augumentum accepiſſent: attamen tunc temporis ſcientiæ, igonrantia in paruulis penoſa minimè fuiſſet, ſicuti modo in hominibus eſt: cęterum naturalis tantùm: eo quia non reſpectu eorum, quæ ſcire tenerentur, fuiſſet, qualis ſolum dicitur pęna. Enodatis hactenus ſex ſectis, accedit ſeptimum, hac propoſitione contentum. In ſtatu ante peccatum, talis erat hominis conditio, quod diuinum obſeruando pręceptum, cum tota ſua poſteritate, ad meliorem ſtatum tranſlatus fuiſſet, vbi meliori bono frueretur. Huius aũt ratio, de facili aſſignari põt, cur de bono illo tẽporali ad ęternũ fuiſſet tranſlatus: vt enim ex duplici natura homo conſtabat; ita Deus ſummè bonus, ei duplex bonum parauerat. Primũ bonum ſecundum Aug. temporale, & viſibile erat; aliud ſpirituale æternũ, & inuiſibile; ſcilicet beatitudo ęterna, ad quod mediante obedientia, & meritò ferendus erat primus parens noſter. Et hęc de tota diſtinctione ſatis, quam in ſequenti examinabimus.

NVM

NVM IN STATV NATVRAE INTSITVTAE, FVISSET GENERATIO.

Lectio LXXII.

IN animum induxi meum in preſenti, predeclaratam examinare diſtinctionem; querendo primò. Num in ſtatu naturæ inſtitutæ fuiſſet generatio, necne? & pro parte negatiua, audeo dicere, quòd non: ratio verò, quæ me mouet iſta eſt; nã actus carnalis iudicium abſorbet; verum hoc in ſtatu innocentiæ minimè fuiſſet: igitur nec generatio. Minor vt ſuſpecta ſic declaratur; q̃a ibi nulla virium peruerſitas potuit eſſe, quod tamen fuiſſet, ſi generatio concederetur ibi potuiſſe eſſe. Preterea, ſemen, vt aliàs diximus, alimenti ſuperfluum eſt: at in illo ſtatu, nulla potuit eſſe ſuperfluitas, quæ ad malum tendit: ergo nec generatio. Sed dicetis: cur ergo dicitur apud ſacratam Geneſim, Creſcite, & multiplicamini? igitur fatendum, quod in ſtatu innocentiæ fuiſſet generatio. Preterea, nonne mulier fuit facta in viri adiutorium? certè ſic. Nonne, & ad generationem? ergo, &c. Pro dilucidatione huius queſiti, primo quid ſit generatio videndum. Eſt ergo generatio mutatio ex non ente in ens ſecundum Ariſtotelem lib. de gen. & corrupt. vel ſic, eſt mutatio huius totius in hoc totum, nullo ſenſibili manente eodem, vt ſubiecto ſecundũ eundem; & hec duplex eſt, ſubſtantiæ, & accidentis: ſubſtantiæ, quando terminus ſubſtantialis acquiritur. Accidentis verò, quando forma accidentalis. De prima hic, non de ſecunda loquimur. Inſuper ſuppoſito, q̃d tunc fuiſſet generatio: adhuc ſciendũ, q̃d quoties cõueniſſent, genuiſſent:

His

His ita pręmiſſis, Ad argumenta dicendum, & primo ad primũ, quod in illo ſtatu innocentiæ fuiſſet quidem delectatio in actu carnali, & maior, quam modo; comparando delectationem delectationi ſecundum ſe: at ſecundum proportionem ad rationem, certè minor fuiſſet; quia ratio in actu perſiſtens fortior, in delectationẽ penitus dominata fuiſſet. Ad alterum in ordine argumẽtum ſecundum dici põt, quòd ſemen duobus habet concipi modis: vno modo quo ad actum nutritiuæ: alio modo, quo ad actum generatiuæ: ſi primo modo, argumentum currit: licet tunc temporis in illo ſtatu hoc nõ fuiſſet, nec aliæ ſimiles putredines naturæ: at ſecundo modo benè poteſt affirmari, quod ibi ſemen fuiſſet: Et ſic, quid pro veritate tenendum, patet. In ſequenti ad alia properabimus.

NVM IN ACTV MATRIMONII TVNC IN STATV INNOCENTIAE, fuiſſet virginitatis amiſſio. Lectio LXXIII.

POſt declaratum quęſitum, duo alia mihi ſuccurrunt breui enodanda: quęrendũ enim mihi eſt primò. Num in ſtatu naturæ inſtitutæ, in matrimonij actu virginitatis amiſſio fuiſſet: Prętereà. Num pueri, in vtroq; ſexu nati fuiſſent. Quãtum ad primum, ſolet pro parte affirmatiua argui ſic. Vbi carnis integritas, ibi quoq; virginitas: at poſt carnalem actũ in muliere, carnis integritas manſiſſet: ergo, &c. Minor ſic declaratur, authoritate D. Aug. quarto decimo de Trin. dicentis; quòd ſine corruptione

ruptione integritatis, infunderetur maritus in gremio vxoris: ergo. Inſuper, in illo ſtatu nihil pęnale fuiſſet: at virginitatis amiſſio in muliere non fuiſſet ſine pęna, cum fiat per diuiſionem continui, cuius ſenſus dolorem cauſat: ergo, &c. Pro dilucidatione, ac huius quęſiti determinatione, primo quid ſit virginitas cōſiderandum: inſuper, quot ad virginitatem concurrant. Quò ad primū. Virginitas eſt abſtinentia ab omni coitu, tàm illicito, quàm licito, & integritas mentis, & carnis. Ab alijs virginitas ſic diffiniri videtur, quod ſit habitus continentiæ perfectus, & decorus; ſecundum verò D. Aug. ſolet finiri penes id, quod eſt in virginitate formale, cum dicitur. Virginitas eſt in carne corruptibili, incorruptionis perpetua meditatio. Ad quam explanandam, Petrus Paludenſis ait: in carne ad excludendos Angelos, in quibus propriè non eſt virginitas, quia in illis non eſt caro, nec luxuria corruptibili; ad differentiam carnis poſt reſurrectionem, in qua erit virginitas purior, ſed non difficilis: incorruptionis dicitur: in ſignum, quod virgines vi oppreſſæ, virginitatem non vidētur perdere. Inſuper, perpetua meditatio: vnde pueri non habentes rationis vſum, & neſcientes quid faciunt, virginitatem minimè perdunt. Quot aūt ad virginitatē concurrant, nunc videndum: duo enim ſunt, ſcilicet integritas mentis, & corporis; quorum vnum nobilius, vt mentis integritas, alterū eſſentialius. His ita pręmiſſis, hęc ponenda nunc venit talis concluſio. In omni concubitu, ſoluitur virginitas quantum ad carnis integritatem, etiam in primo ſtatu, &c. mentis verò integritatem duobus ſolui contingit modis, vel quo ad habitum; & ita ſoluitur per illicitum concubitum, qui

caſtitatis,

caſtitatis tollit habitum; vel quantum ad actũ, & ſic in ſtatu poſt peccatum ſoluitur: quare patet, quod ſimpliciter in quolibet ſtatu, virginitas ſoluitur in actu matrimoniali, maximè ſi fiat ex mentis propoſito, & per concubitum. Nunc ad primum dicendum eſt argumentum, quòd quamuis in ſtatu innocentiæ non fuiſset fracta integritas membri corporalis in muliere, ſoluta tamen fuiſſet virginitas ob delectationis experientiam ex commixtione ſexuum, & ſeminum, in qua propria virginitatis materia conſiſtit, ideſt, in experientia delectationis, quæ conſiſtit in ſeminis reſolutione, maximè ſi fiat ex mentis propoſito. In integritate verò membri corporalis, materia virginitatis, niſi per accidens, conſiſtere dicitur, & ſic quid ad primum argumentum dicendum iam ex dictis manifeſtum eſt. Ad ſecũdum reſpondetur, quòd virginitatis amiſſio, licet non fuiſset per doloroſam diuiſionẽ continui; attamen per ſexuum, ac ſeminum commixtionem cõcomitante membrorum dilatatione. Explanato dubio primo, Ad ſecundum accedo, & pro parte negatiua duplici via probo; quòd in ſtatu innocentiæ pueri in vtroque ſexu non fuiſsent nati, ſed in ſexu maſculino tantùm: Natura enim vt oẽs norunt, de poſſibilibus ſemper id, quod melius eſt, facit: at ſexus maſculinus potior eſt ſeminino: igitur, &c. Deinde: mulier nonne eſt mas occaſionatus, vt habetur apud Ariſtotelem in xvi. de animalibus? at omne occaſionatum, cum nõ ſit per ſe intentum, dicitur ex aliquo defectu prouenire; atqui in illo ſtatu naturæ, nullus fuiſset defectus: ergo, &c. Ex alio latere, quia Deus naturam in vtroq; ſexu inſtituit, ideo aliter dicendum venit; pro reſponſione itaque, duo ſupponenda ſunt; primum eſt, quòd in vtroq; ſexu

puerorum

puerorum procreatio fuiſset; inſuper, q̃d natura ſemper facit illud, quod melius eſt, niſi impediatur. Nunc ad primum argumentum dicitur: Naturam facere id, quod melius eſt duobus conſiderari poſſe modis: vno modo abſolutè, alio modo reſpectiuè: ſi primo modo, nego quia non facit, quod eſt melius abſolutè, ſed vt fini expedire videtur: vnde licet ſexus maſculinus abſolutè melior ſit, ſexu muliebri, reſpectiuè tamen, ideſt ad ſpeciei conſeruationem, ad quã finaliter generatio ordinatur, melius eſt, & neceſſarium, vtrunq; ſexum eſſe. Ad argumentum ſecundum poteſt dici, quod fœmina generatio occaſionata, duobus modis dici põt, vel ex defectu caloris naturalis in ſemine, & ſolum reſpectu particularis naturæ: alio modo, reſpectu naturæ vniuerſalis, ſi primo modo, argumentum poteſt concedi, ſecundo verò modo, argumentum nullum eſt.

NVM PER COITVM PVERI IN STATV INNOCENTIAE FVISSENT GENITI. Lectio LXXIIII.

EX quo concluſum fuit à nobis ſuperiùs, quòd in ſtatu naturæ inſtitutæ in vtroq; ſexu, geniti fuiſſent pueri: conſequenter nunc inquirendum venit. Num per coitum, aut alia via nati fuiſſent. Pro parte negatiua ſolet primo ſic argui authoritate Damaſceni dicentis, quòd in paradiſo terreſtri, primus homo erat ſicut quidam Angelus: ergo ibi non fuiſſet generatio per coitum. Preterea, ſi ante peccatũ generatio fuiſſet per coitum, fuiſſent etiam in paradiſo terreſtri carnaliter coniuncti: at hoc eſt falſum:

ſum: ergo, & primum: quare non per coitum, &c. Inſuper, in coniunctione carnali, homo ſimilis efficitur beſtijs, ob vehementem delectationem: ne hoc de primis parentibus dicamus, tenendum erit, quod ibi per coitum non fuiſſet generatio. Tandem in ſtatu innocentiæ nulla fuiſſet corruptio: at per coitũ virginitatis integritas corrumpitur, non ergo ibi per coitum generatio debuit concedi. In contrarium ſe habet illud, quòd Deus ante peccatum maſculum, & fęminam fecit, Gen. i. & in Dei operibus nihil fruſtra eſt: quare ſi homo non peccaſſet, adhuc fuiſſet coitus, ad quē diſtinctio ſexuum ordinatur. Deinde mulier facta eſt in adiutorium viri; ſed non ad aliquid, niſi ad generationem, quæ fit per coitum: igitur generatio in illo ſtatu fuiſſet per coitum. Pro reſponſione, dimiſſis aliorum opinionibus non multum rationalibus, duo in coitu inueniri conſiderabimus; quorum vnum eſt naturæ, vt coniunctio maris, & fęminæ ad generandum virtute actiua, & paſſiua ad generationem concurrentibus. Alterum quod requiritur, ſiue cõſideratur in ipſo coitu, eſt quędam deformitas immoderatæ concupiſcentiæ, quæ in illo ſtatu non fuiſſet, quia vires inferiores, rationi oı̃no tunc ſubdebantur. His ita pręmiſſis, ad argumenta nunc ſoluenda accedo, & ad primum concedo: primum hominem in illo ſtatu quantum ad mentem Angelo ſimilem fuiſſet: at quantum ad vitam animalem, corpus reſpicientem, nego, & ita ſi non primo modo; ſaltem ſecundo ibi fuiſſet per coitum generatio. Ad ſecundum argumentum cõcedo de facto, quod carnaliter non ſint coniuncti, quia ſtatim poſt peccatũ expulſi. Attamen de poſſibili nego, ſub quo ſenſu loquimur nos; nam ſi non peccaſſent, illis expectanda erat diuina authoritas

ad

ad determinatum tempus commixtionis, à qua vniuerſale mandatum acceperant. Ad tertium argumentum conceditur maior propoſitio pro hoc ſtatu; efficitur enim homo ſimilis beſtijs propter nimiam delectationem: at in illo ſtatu, concupiſcentia oĩs ratione regulata fuiſset: quare argumentum ruit. Ad vltimum conceditur, q̄d ibi nõ fuiſset corruptio alicuius partis corporis, negatur tamen, quòd ibi nõ fuiſset coitus uoluntarius, & vſus abſq; libidine. Hoc ergo ſecundo modo fuiſsent coniuncti, licet non per coitum alicuius partis corporis, nã potuit vtero coniugis, ſalua integritate fœminei genitalis, uirile ſemen immitti, & hoc uoluit D. Aug. quando dixit xiiii. de ciuitate Dei, q̄d in illo ſtatu, nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris. Et hęc ꝓ p̃ſenti ſatis.

AN PVERI MOX NATI FVISSENT PERFECTI QVANTVM AD CORPVS in ſtatu innocentiæ. Lectio LXXV.

PRædictis omnibus quęſitis, alia duo in pręſenti addemus, quæ ſanè curioſa videntur, quorum primum eſt. An pueri mox nati in ſtatu innocentiæ fuiſsent perfecti quãtum ad corpus. Inſuper. Num in ſcientia perfecti ſtatim nati fuiſsent. Circa primum, pro parte affirmatiua ſic arguitur: corporis infirmitas videtur atteſtari mentis infirmitatem: at tunc nulla mentis fuiſset infirmitas, ergo nec corporis, igitur perfecti quantum ad corpus pueri mox nati fuiſsent. Pręterea: defectus ſenectutis, defe-

ctui,

ctui pueritiæ videtur correſpondere: at in illo ſtatu non fuiſſet defectus ſenectutis: ergo nec pueritiæ: quare, &c. Ex alio latere quia omne genitum prius imperfectum eſt, quã perficiatur: quare oppoſitum dicendum uidetur. Pro determinatione huius primi quęſiti ſciendum eſt, duplicem dari perfectionem corporalem, vna penes quantitatem conſideratur, ſecundũ quam dicimus adultum eſſe perfectum, non paruulum; altera attenditur penes qualitatem, ſecũdum quam illum dicimus eſſe perfectũ, cuius membra ſufficienter poſſunt in operationes ſibi deputatas: Ex his duas ſeligo concluſiones, prima eſt, quod pueri mox nati tunc ſimpliciter non fuiſſent perfecti ſecundum corpus, quantum ſpeciei, vel ſuppoſito congruebat. Altera concluſio. Mox nati pueri in illo ſtatu fuiſſent perfecti, quantum congruebat pro illo tempore. Nunc ad primum dici poteſt argumentum: in illo ſtatu nullam fuiſſe mentis infirmitatem, & ex conſequenti neq; defectum corporis ex pęna peccati: at loquendo de illa corporis infirmitate complectente defectũ vſus membrorum, talis potuit eſſe in pueris in ſtatu innocentiæ: Argumentum igitur primo modo bonum eſt: at ſecundo modo nullum. Ad ſecundum argumentum de defectu ſenectutis, diſtinguo, nam in duplici diſcrimine reperiuntur: quidam enim ſequuntur generationem; & quidam alij ordinantur ad corruptionẽ, vt ſenectus, &c. hac diſtinctione pręmiſſa ad argumenti formam reſpondendo dico, quod ibi defectus non fuiſſet ad corruptionem ordinatus: at non negandum, quin fuiſſent defectus pueriles generationẽ ſequentes: & hęc de primo dubio. Quęritur ſecundo; num mox pueri nati in ſcientia fuiſſent perfecti: mihi, quod ſic, apparet quia ſic

erat Adam: ergo & tales, qualis ipſe genuiſſet: deinde ignorantia ex peccato cauſatur, vt dicit Beda; ſed in ſtatu innocentiæ nõ erat peccatum: igitur in ſcientia perfecti, &c. Ex alio latere, quia per naturam anima noſtra eſt, vt tabula raſa, in qua nihil eſt ſcriptum, vt habetur apud Philoſophum in tertio de anima: quo ergo mox pueri nati tunc temporis perfecti in ſcientia fuiſſent? dicamus itaque; quod pueri in ſtatu innocentiæ non nati eſſent perfecti in ſcientia; ſed eam proceſſu temporis abſq; difficultate acquiſiuiſſent inueniendo, & addiſcendo. Nunc ad argumenta formata quid dicturus ſim, audite: primum enim currit de ſimilitudine, quantum ad naturalia, vel gratuita totius naturę; quo modo filios ſibi ſimiles genuiſſet: at non quantum ad accidentia ſcientiæ: eſſe enim perfectum in ſcientia indiuiduale accidens fuit primi parentis, inquantum ipſe, vt pater, & inſtructor totius humani generis, ideo hoc modo filios ſibi ſimiles in ſcientia, qualis erat Adam, quantum ad naturalia, tales produxiſſet filios: at non tales in ſcientia. Ad argumentum ſecundum dicitur, quod ignorantia eſt ſcientiæ priuatio, quæ debet haberi pro tempore illo, quæ in pueris mox natis non fuiſſet, habuiſſent enim ſcientiam, quæ eis competebat ſecundum illud tempus. Vnde nec ignorantia in eis fuiſſet, nec ſcientia, etiam reſpectu aliquorum: quam etiam Dionyſius in Angelis ſanctis ponit in ſeptimo Cap. Cęleſtis Hierarc. Et hęc de pollicitis ſatis. In ſequenti quędam alia perpendemus, & cito ad ſubſequentem diſtinctionem deſcendemus.

AN IN IVSTITIA ORIGINALI PVERI IN PRIMO STATV FVISSENT NATI? Lectio LXXVI.

DVO breuibus perſtringam hodierna die verbis quęſita: quorum primum erit. Num filij in primo ſtatu fuiſſent nati in iuſtitia originali. Inſuper, Num in tali iuſtitia confirmati. Quò ad primum, negatiuè arguitur, & primo ſic. Iuſtitia originalis per gratiam fuiſſe videtur, nec potuit amitti, niſi per culpam: at gratia non eſt per transfuſionē à parente in prolem, ſed à Deo per infuſionem: igitur, &c. Deinde habet Vgo de ſancto Victore, quòd homo ante peccatum genuiſſet quidem filios ſine peccato, ſed nō paternæ iuſtitiæ hęredes: quare contingit illud idem, quod ſuperiùs. In oppoſitum ſe habet Anſelmus ſic dicens: qualis ipſe fuit, tales genuiſſet filios: igitur, &c. Pro determinatione difficultatis, quod quid eſt iuſtitiæ originalis, cōſiderandum: pręterea: quot modis accipi poſſit. Quantum ad primum, iuſtitia originalis, vt ſcribit Brulefer eſt quidam habitus ſupernaturalis immediatè à Deo infuſus ipſi animæ Adæ, faciens perfectam pacem, & tranquillitatem inter partem ſenſualitatis, & rationem, & voluntatem, & partem intellectualem. Hoc aūt donum acceperat Adam pro ſe, & pro tota ſua poſteritate; & in primo homine tale donum erat, quaſi frēnū, quo mediante ipſa anima regebat corpus ad imperium ſuæ voluntatis ſine rebellione, ſed cum omni felicitate. In nobis aūt quia illud frēnum ablatum eſt, ideo anima non regit ſecundum rectam rationem, niſi cum magno labore, &

difficultate, & hoc propter abſentiam iuſtitiæ originalis: quæ duplicιter ſumi poſſe videtur: vno modo largè: alio modo magis ſtrictè: ſi primo modo, tunc comprehendit voluntatis rectitudinem ad Deum, corporiſq; debitam ſubiectionem, & virium ſenſitiuarum ad animam, ſiue ad rationem: Alio modo pro ſola corporis ſubiectione ad animã debito ordine virium ſenſitiuarum ad rationem. His pręmiſſis, nunc ad rationem primam dicendum eſt, q̃d iuſtitia originalis fuerit per gratiam cauſaliter: gratia enim gratis data fuit primo parenti pro ſe, & poſteritate ſua: hinc dicitur, quod eam conſeruare potuit ſibi, & alijs conſeruando rectitudinem iuſtitiæ gratuitæ. Ad ſecundum conceditur, quod per transfuſionem iuſtitiam originalem filij non habuiſſent, & ita hoc modo, huius hęredes non fuiſsent; nego tamen, quod iuſtitiam originalem non habuiſsent per infuſionem; quia hoc modo habuiſsent. Ad illud Anſelmi in oppoſitum, quid dicendum, ex dictis patet; hoc enim verum eſt, quantum ad dona naturalia, & gratuita; & maximè quantum ad iuſtitiam originalem, vt diximus, non per transfuſionem: at per infuſionem ſic. Explanato primo quęſito accedit alterum, dùm quęritur. Num pueri tunc nati, in tali iuſtitia originali fuiſsent confirmati. Anſelmus tenet partem affirmatiuã in lib. cur Deus homo: igitur, ſi primi parentes ſic vixiſsent, vt tentati non in peccatum lapſi fuiſsent, confirmati fuiſsent, cũ omni poſteritate ſua, vt vltra peccare non poſsent: igitur in iuſtitia nati confirmati fuiſsent. Deinde, vt Angelus adhęrens Deo, alijs peccantibus, ſtatim in iuſtitia fuit confirmatus; ita, & homo, ſi tentationi reſtitiſset confirmatus fuiſset cum ſua tota poſteritate: quare, &c. D.

Aug.

Aug. oppoſitum innuens xiiii. de ciuitate Dei, videtur expreſsè fateri, quòd illi nati non fuiſsent confirmati; dato enim, q͛d primi homines non peccaſsent, aliqui tamen eorum iniquitatem committere potuerunt: non igitur in iuſtitia confirmati fuiſſent. His habitis, ad rationes duas formatas diluendas accedo, & ad primã dico: Anſelmum hoc dixiſſe opinando, non aſſerendo; & hoc patet ex ipſo modo loquendi, cum dixit: ſi vixiſſent. Ad illud in ordine ſecundum de Angelo, negatur ſimilitudo, & ratio negationis aſſignatur; nam homo habet liberum arbitrium vertibile, & ante electionem, & poſt: at non ſic Angelus vt ſuperiùs diximus, dùm de Angelis ageremus. Et hęc pro pręſenti pauca ſufficiant.

DE INVIDIA DIABOLI, ETC. Diſtinctio XXI. Lectio LXXVII.

AGgreſſurus impręſentiarum (Nobiliſſimi Auditores) vigeſimam primam in ordine huius libri diſtinctionem: continuationem primò pręmittam, inſuper, de more ad diuiſionem accedam. Circa primum: arbitror vos ſcire, hactenus Magiſtrum ſent. loquutum fuiſſe de pertinentibus ad hominis primam inſtitutionem; poſt quæ, agendum erit modo de attinentibus ad eius caſum, nec non deſtitutionem, ſic paucis coherentiam pręſentis cum ſuperioribus habetis verbis. Qua poſita; nunc diſtinctio in quinq; diuidenda venit puncta; In quorum primo, ponitur propoſitio cum probatione; In altero modus, quo primi ſunt decepti

parentes ; Tertiò triplex tentationis modus ; Concluſio quartò; Demum propoſitio cum notando. Venio ad concluſionem primò, quæ talis: Homo in paradiſo à diabolo tentatus, diuinum præceptum eſt præuaricatas. Nec id mirum videri debet ; quia diabolus videns hominem primum per obedientiam de facili poſſe ad cæleſtẽ gloriam aſcendere, à qua per ſuberbiam corruerat ipſe, hinc homini inuidens, eum tentauit, experiens maximè vires ſuas in debiliori ſexus parte, ſcilicet in muliere, quã per tentationem eſt aggreſſus. Quo aũt modo, id exequutus ſit diabolus, in ſecundo puncto videre eſt noſtri ſermonis: apparuit enim, non in ſua propria ſpecie, ne cognoſceretur, nec ſub omni ſpecie : at ſub illa tantùm, ſub qua de facili fraudem poſſet occultare ſuam ; ideſt ſub ſerpentis ſpecie, per quem diabolus, veluti per inſtrumentũ quoddam eſt loquutus; & licet verba ſerpens minimè intelligeret, mouebatur nihilominus à diabolo, vt ab Angelo bono Balaam, quem mulier, vt mollis, videns ſerpentem loqui, exiſtimauit, & credidit loquendi munus à Deo recepiſſe; propterea tentatio facta fuit, tali ordine, nam interrogatiuè diabolus procedendo, dicebat : Quare præcepit Deus, ne de hoc ligno comederetis? cui dubitatiuæ reſpondit mulier ſic, Ne fortè moriamur. At diabolus fraude ſua tunc dixit : Aperientur oculi veſtri, & nequaquam moriemini ; ſed eritis ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum. Vt magiſq; ſibi occaſio decipiendi mulierem daretur, tria illi pollicebatur, ignorantiæ fugam primò : ibi Aperientur oculi veſtri: excellentiam dignitatis ſecũdò: ibi, Eritis ſicut Dij : perſpicacitatem ſcientiæ tertiò, ibi: Scientes bonum, & malum. Et hæc de punctis duobus. In tertio, quot modis ipſam tentauerit

tauerit

tauerit habetur puncto. Tribus etenim modis tentaſſe dictus eſt, de gula primò; de vanagloria ſecundò; & de auaritia tertiò. De gula loquens de cibo: de vanagloria dignitatem promittendo; de auaritia, in ſcientiæ promiſſione; at hic dicetis vos: ex quo, de tentatione fit ſermo, libenter ſciremus, quot nam ſint tentationis ſpecies: duas ergo eſſe vos doceo, vt paucis me expediam, interiorem vnam, ſiuè internam; exteriorem alteram; ſiuè externam: exterior fieri ſic ſolet; cũ malum ab extra, ſigno viſibili, vel verbo ſuggeritur. Alia interior, quæ ab aduerſario inuiſibiliter perficitur, & hęc duplex eſt; nam quandoq; fit ab hoſte tantùm; & ſic eſt ſine peccato; aliquando à carne, quæ non eſt ſine peccato; & quia tentatio interior difficilior eſt, quam exterior; & homo ſola exteriori tentatione pulſatus cecidit, ideo tãto grauius plectendus erat, quãto leuiori fuerat pulſu proſtratus. Nunc quarto addenda venit loco, talis concluſio. Conueniens fuit, hominem poſt lapſum, per aliquem reformari redemptorẽ, & non Angelum; & huius ratio aſſignatur; quia licet homo modicam occaſionem habuerit, tamen quia per aliud ſeductus cecidit, propterea per alium reparari debuit. At quia nullo ſuadente, diabolus peccauit: iccirco eius peccatum irremediabile fuit. Alia (vt intuenti patet) aſſignari ratio poteſt; & hęc eſt; quia tota natura Angelica minimè fuerat pręuaricata, vt periret: humana verò tota perierat; magis ergo humana reſtauranda natura erat, quam Angelica. His oĩbus quinto venit addenda propoſitio loco; quæ talis. Congrue diuina ſunt pręcepta per virum, ad primam deriuata mulierem. Pro cuius intelligentia notandum eſt, non ſolum viro pręceptum fuiſſe datum, de

 ligni

ligni vetiti abſtinentia. An hoc verum, audite; nam mulier diabolo reſpondens dixit. Pręcepit nobis Deus, &c. non obſtante, quod etiam ante mulieris formationem dominus viro pręceptum dederit, quod per eum ad mulierē debuit deferri; quia viro ſubiecta debuit non immediatè à Deo, ſed per medium viri, diuinum pręceptum recipere. Vnde Paulus ad Corinthios dicebat, Si quid diſcere voluerint mulieres, domi ſuos interrogent viros: à Deo enim ſic facti: Et hęc pro pręſenti.

DE MVLTIS TENTARE ACCEPTIONIBVS. Lectio LXXVIII.

PRiuſquam accedam ad quęſtiones circa prędeclaratam diſtinctionem contingentes, in animū induxi meum verſari primò, circa varias acceptiones tentare. A quo deinde venit tentans, & tentator, & tentatio, vt ſuo intelligetis loco. Vocabulum itaq; hoc, tentare, vt rem ipſam aggrediar; licet varias habeat acceptiones, vt vocabulorum ſtudioſi ſunt rimati: tamen nos principalem, & pręcipuā ſignificationem accipientes, dicimus; tentare nihil aliud eſſe, quàm probare, vel experimentū de aliquo ſumere, vt aliquid ſciatur: ſoletq; attribui Deo; homini: & diabolo propriè. Vnde gloſa ſuper illud Pſal. Proba me domine, & tenta me: tentat enim Deus; vt erudiat. Homo vt ſciat; Diabolus vt ſeducat. Solet etiam attribui mundo, & carni; ſed minus propriè. Vnde Iacob. i. Vnuſquiſq; tentatur à ſua concupiſcentia abſtractus, & illectus: quare ſic generaliter deſcribi pōt. Tentare

eſt

eſt experimentalem notitiam alicuius in ſe, vel in alio cauſare principaliter, vel occaſionaliter. Vnde illa notitia, quæ ꝑ rationes acquiritur, nõ dicitur tentatione acquiri, niſi fiat per experientiam. Dicitur deinde in ſe, propter hominem, & dæmonem tentantem: dicitur vel in alio: quia Deus tentando non cauſat notitiam in ſe, quia Dei notitia cum ſit æterna, non cauſatur; bene cauſat in illo, quem tentat; vel in alijs, quos ſcire facit de tentato, qđ neſciebant: ſic Deus dicitur tentator; vt alios experimentaliter ſcire faciat de tentato, qđ prius neſciebãt: ſicut illud, Tentauit dominus Abrahã, Genes. 22. Et ſequitur, Nunc cognoui, qđ timeas dominum, ideſt feci te cognoſci. Dicitur præterea, principaliter propter Deum, hominem, vel diabolum; qui ex intentione cognoſcendi aliquid de aliquo tentat. Dicitur vel occaſionaliter, propter carnem, quæ tentare dicitur, inquantum cognoſci poteſt per carnis concupiſcentiam pulſantem: vel mundum aduerſis repellentem, vel proſperis allicientem, qualis ſit homo: an virtute conſtans: an mobilis; & his diabolus frequenter vtitur ad tentandum: Eſt enim tentare, experiri, & exquirere, vel quaſi rem manu tenere, vel rem non intellectam, atq; incertam aggredi, hoc eſt experiri, & diligenter inquirere. Secundum alios ſolet dici tentare à tendo, nam qui tentant, quaſi manum, vel aliam corporis partem tendunt. D. Bonauentura dicit, quòd tentare nil aliud eſt, quàm probare, vel approbare, ſiue probatũ oſtendere: hoc modo tentat Deus, vt tentatum ſcire faciat, & experimẽtaliter ſe ipſum cognoſcere. Sicut dicitur, de vtroque tentat vos Deus veſter, vt palàm fiat. Vtrum enim diligatis, an non, in toto corde veſtro. Vnde Sapien. 3. Deus tentauit

uit illos, & inuenit eos dignos ſe tanquam aurum probauit eos in fornace. Tentat etiam quandoq; Deus per flagella, per quæ ꝓbat illos, quos acceptat, & probatos oſtendit. Et ſic quandoque finis tentationis ordinatur in alium finem bonum, vel malum. Item tentans ſecundò intendit reprobum facere: ſic tentat diabolus, vt peccatum inducat. Aut tertiò, quia intendit tentans ſolum experimẽtum ſumere eius, quem tentat, vt ſciat quid ſit in eo: ſic homo hominem tentat, vel ſe: ut habetur Regum primo, dùm dicitur de Dauid: Cępit tentare, ſi armatus poſſet incedere. Reg. 1 o. Venit Regina ſaba tentare Salomonẽ in ęnigmatibus: ſic Magiſter tẽtat diſcipulum: ſic nonnulli tentant dominum; qui quaſi incerti, Dei virtutem experiri volunt, contra quos dicitur: Non tentabis dominum Deum tuum: aut quartò, ſi pulſans non intendat: tamen ad eius pulſationem ſequitur approbatio, vel hominis reprobatio. Sic caro tentat, quia ad eius titillationẽ probatur homo; ſi reſiſtit; vel reprobatur, ſi conſentit: ſic de mundo dicitur Heb. 11. Lapidati ſunt, tẽtati ſunt, ſecti ſunt, &c. Hęc enim ſancti à Tyrannis huius ſęculi paſſi ſunt: aliquãdo etiam ſolet capi tentare in malo tantùm: ſicut ſuperiùs in bono, & in malo. Vnde Iacobi i. dicitur. Nemo cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur: hoc enim de tentatione ad malum intelligitur. Ideo ſequitur: Deus eſt intentator malorum. Hoc modo tentare ſolius diaboli eſt; & ſi homo aliquando ſic tentat, id facit inquantum diaboli miniſter eſt. In ſequenti loquar de tentatione.

DE

DE TENTATIONE.
Lectio LXXIX.

POſt tentare ſequitur tentatio, de qua hodierna die loquuturus, hoc ordine procedam. Primò, quid ſit aperiam; deinde, quot modis ſumatur. Quantũ ad primum. Tentatio eſt quidam motus, vel actus, natus inclinare ad aliquod illicitum, procedens à tentatore, vt ſumat experimentum de bonitate, vel malitia tentati. Vnde propriè loquendo, omnis tentatio actus defectuoſus eſt; Nam Deus impropriè tentat (vt dictum eſt) quia intentator malorum eſt; ſolus ergo diabolus, & homo ſolus, hominem tentare poteſt; quia homo hominem tentat, quando verbo, vel facto oſtendit aliqua viſibiliter, ex quibus homo ad malum inclinatur. Cauſæ verò tentationis quatuor ſunt. Prima eſt loci amęnitas, vt ciuitates, & oppida, quæ non tantùm ex ſitu loci amęnitatem recipiunt, ſed ex inhabitantium gratia. Secunda cauſa eſt diuitiarum locus; vbi enim diuitiæ, ibi maximum periculum: propterea, me Deus pauperem eſſe voluit. Tertia cauſa ornatus pręcioſus, vt equorum pinguium cura eſt, & ueſtimentorũ exquiſitæ varietates. Quarta cauſa mulierum ſpecies, quarũ vox blanditur auribus; & oculis facies. Nunc quotuplex ſit, audite: triplex enim eſt, vna à Deo; alia à diabolo alia à carne; Prima ſimpliciter appetenda eſt, quia bona; nam Deus non tentat, niſi ad bonum. Illa quæ à carne eſt, ſimpliciter fugienda venit, quia eſt impulſus ſenſualitatis, quẽ conſueuimus primum appellare motum; nec videtur eſſe poſſe ſine peccato: fugienda ergo. Tertia à diabolo, aliquibus fugienda, &

aliquibus appetenda; His enim, qui virtute fortes ſunt, nec de facili in tentationē induci poſſunt, tentatio appetibilis; infirmis verò minimè appetenda, quia timere poſſunt, ne ex impulſu in tentationem inducantur; quod oēs refugere debent. Ab alijs tentatio vſurpari videtur in exteriorem, & interiorē. Vnde exterior tentatio dicitur, quando nobis extrinſecus malum viſibiliter ſuggeritur, verbo, vel ſigno aliquo, vt tentatus ad conſenſum peccati declinet. Tentatio inferior eſt, quando inuiſibiliter nobis malum intrinſecus ſuggeritur. Eſt ergo tentatio exterior, oſtenſio alicuius obiecti ſenſibilis, à virtute exteriori, vt apprehendens ad peccatū alliciatur; quam dicunt quidam ſemper à diabolo eſſe; quod verum eſt, vel mediatè, vel immediatè: frequēter enim tentat per malos homines, & mundanas creaturas, quibus tanquā inſtrumentis vtitur; quādoq; per auditū mediantè verbo; quandoq; per ſenſum mediante ſigno; & ita contingit talem exteriorem tentationem per omnem fieri ſenſum; ſed maximè ꝑ viſum. Interior verò tentatio, dicitur hominis motio ad peccati conſensū orta ab aliqua virtute interiori, ſiue ſenſibili exteriori, vt cum oritur ex imaginatione, intellectu, aut motiua virtute; & hęc quandoq; fieri ſolet ab hoſte, quādoq; à carne ſpiritui rebellante. Si à carne, nō videtur eſſe ſine peccato; quia titillatio, quā caro mouet, beſtialis motus, & illicitus eſt, ideo non ſine peccato veniali, ſi auertit ſe. Si aūt non auertit ſe, & periculum quod ibi eſt, aduertit, nec timet, ſed ſcienter, & uoluntariè manet in huiuſmodi cogitatione, ſeu delectationis cogitatione; tunc peccat mortaliter. Et quoniam tentatio à carne interius oppugnans de noſtro contra nos roboratur; ideo difficilius vincitur. Tentatio

autem,

autem, quæ ſit ab hoſte, non dicitur habere peccatum neceſſario annexum, niſi ei conſentiatur, ſed eſt materia exercendæ virtutis. Proceſſus verò tentationis ſic ſe habet; nã primo ſenſibile offertur; ſequitur deinde delectatio; tertio conſenſus per partem ſuperiorem rationis. In primo nequaquam eſt peccatum; quia naturale eſt ipſi ſenſualitati delectabile apprehendere. At in conſenſu ſic. Patet itaque, quid ſit tentatio, & quotuplex; In ſequenti ad quęſtiones accedemus.

AN TENTATIO SIT PECCATVM. Lectio LXXX.

EX quo vidimus, quid ſit tentare, quid tentatio, & quotuplex; propterea ex conſequenti, vt nobis prębent occaſionẽ inclyti viri, ſpeculabimur, Num ipſa tentatio dici queat peccatum. Circa quod ordine quatuor faciemus; Nam quęſtionem primò proponemus; Argumenta ſecundò; notanda tertiò; ſolutiones quartò. Quęritur ergo primò. An tentatio ſit peccatum. Mihi ſanè videtur eſſe dicendum, quòd non: quis enim in id, qđ vitare non poteſt, peccare dicitur? nullus equidem: ergo tentatio non eſt peccatum, nam nullus ſubterfugere poteſt, quin tentetur. Deinceps dicit Gregorius: tentationem, cui nõ conſentitur, peccatũ minimè eſſe, ſed bene materiam exercendæ virtutis: atqui tentationi conſentire nequaquam eſt neceſſe: igitur, &c. In contrarium ſe habet D. Aug. lib. iii. de ciuitate Dei, vbi apertè docet, tentationem ſemper eſſe peccatum: ergo. Pro determinatione huius quęſiti tertio

notanda

notanda quędam erunt loco; & primo, quot ſint ſpecialiter, quæ tentare dicuntur: mihi enim quinq; apparent, licet ſuperiùs ſeorſum tria ſint declarata. Deus primo dicitur tentare; homo ſecũdò; caro tertiò; mundus quartò; Diabolus quintò. Deus ſemper ad bonum tentat, non ad malum, vt alias eſt dictum; ſecundo homo tentat Deum, & hoc modo eſt peccatum, primo ratione ignorantiæ; nam Dei bonitatem ignorare peccatum eſt: ergo Deũ tentare peccatum eſt, quia eſt experimentũ velle aſſumere de re, quæ ignoratur. Secũdo ratione diffidentiæ hoc idem manifeſtatur; dubitare enim de virtute Dei, bonitate, & poteſtate, eſt peccare: at qui Deũ tentat huiuſmodi facit; alias nõ tentaret: igitur, &c. Tertio ratione negligentiæ; qui etenim poteſt per ſe ad pericula euitanda, & talia facere prętermittit, ſolum ad diuinũ auxilium reſpiciens, peccat; ſed tentans Deũ, hoc facit: ergo peccat. Sed forte dicetis, videtur, quod Deum tentare non ſit peccatum: poſſibile enim eſt, vt aliquis Deum tentet, volens ſolum Dei voluntatem, & bonitatem experiri: ſi ſic: ergo Deum tentare non eſt peccatũ; ad hoc dico, quod diuinæ bonitatis duplex datur cognitio, ſcilicet ſpeculatiua, & affectiua: Prima cognitio diuinæ bonitatis ſpeculatiua eſt, & quantum ad hanc dubitare non licet. Vtrum Deus ſit ſuauis, & bonus. Secunda cognitio affectiua, ſcilicet dùm aliquis affectat in ſe ipſo guſtum diuinæ dulcedinis experiri; nec non complacentiam diuinæ dulcedinis; & hoc eſt licitum, alio modo non. Inſuper notandum ſecundo ad prędictorum euidentiam; q̃d aliqui Deũ ſex modis tentant: primo indiſcretè ſe periculo cõmittendo, cum ſcilicet habeant humanum conſilium, & auxilium de aliquo

faciendo,

faciendo, quod prohibetur Matthęi iiii. Non tentabis dominum tuum. Inſuper, homo tentat Deum in incredulitate aliquid à Deo petendo; vnde Deum tentat, qui Deum orat, & male agit. Tertio dicitur homo Deũ tentare, miraculum ſine neceſſitate poſtulando, cuius contrarium dicitur Iſaiæ vii. Non petam, & non tentabo dominum. Quartò tentat homo Deum terminum Dei adiutorio ponendo. Vnde Iudith xviii. Qui eſtis vos, qui tentatis dominum, & ita poſuiſtis uos terminum miſerationis domini, & arbitrio veſtro diem conſtituiſtis ei? vbi gloſa ſic dicit, Nec tempus, nec modum domino prę ſcribere debemus, ſed magis eius arbitrio cuncta relinquamus. Quintò tentat homo Deum, Vtrum adſit, per expimentum ſcire volendo. Exo. xvii. Tentauerunt Deum dicentes. Eſt ne Deus in nobis, an nõ? Sextò tentat Deum homo in ſermone capiendo; vnde Matth. xxii. Quid me tẽtatis hypochritæ. Tertiò tentat mundus hominem, eius affectum alliciendo; & extollendo. Quartò tentat hominem caro. i. concupiſcentia carnis, iudicium rationis peruertendo, aut impediendo; & hęc ſemper peccatum eſt, vt ſuperiùs diximus. Quintò tentat hominem diabolus; cur autem hoc faciat triplex cauſa aſſignatur, ſcilicet ambitio, ſuperbia, & inuidia. Ex his oĩbus diſce, Deum propriè nõ tentare, niſi ad ex malum, niſi ad bonũ, niſi ad alicuius mũdo obedientiam manifeſtandũ, quo modo Abraã tentatus eſt: ſimiliter mundo propriè nõ cõpetit tentare; nam mundus, ſiue res mundi ſe habent ſolum obiectiuè; nec caro quoq; propriè tentat, nec homo ſe ipſum: quis etenim de ſe ipſo experimentum ſumere intendit? ſolus ergo propriè loquendo dęmon hominem tentare dicitur; vel homo hominem per dęmonis malitiam.

malitiam. Prężter oĩa hęc adhuc notanda duo occurrunt: primum eſt, quod carnis tentatio ſemper peccatum eſt, vt ſuperius patuit: at mundi, vel hoſtis nequaquam, niſi accedente delectatione cũ conſenſu. Nunc argumenta diluenda, & erit finis. Ad primum breuibus dico, negando, qđ tentatio vitari nequeat, ſinguli enim motus pręueniri poſſunt à ratione; inde tales carnis motus vitari: quare ratio ex falſo procedebat fundamento. Ad ſecundã rationem, dici poteſt ad minorẽ, quod in tentatione ſemper adſit aliquis conſenſus, quia non prohibetur, quod prohiberi potuit. Et hęc ſatis.

AN APPETENDA SIT TENTATIO? Lectio LXXXI.

NVM tentatio peccatum dici poſſet hactenus à nobis determinatũ fuit. Conſequens modo eſt inquirere. Vtrũ appetenda ſit tentatio. Mihi hinc inde rationes pro vtraq; parte apparet: quidem enim ad negatiuam declinantes partem, ſic ratiocinantur. Dominus docet nos orare, ne in tentationem inducamur: non ergo, &c. Pręterea: voluntas noſtra diuinæ debet eſſe conformis voluntati, & difformis voluntati hoſtis: at diabolus vult nos tentare, quare vt ab illius voluntate differentes ſimus, tentari appetere non debemus; deinde malum odio habere debemus: at tentatio diaboli ordinatur ad malum: ergo tentatio nequaquam appetenda. Demũ ex euentus incertitudine tentationem non debemus appetere, ſine enim Dei auxilio tentationi non valemus reſiſtere: quare, &c. Quidam alij totum oppoſitũ ſentientes,

arbitran-

arbitrantur tentationē appetēdam eſſe: primò in ſignū patientiæ, nam tribulatio patientiam operatur, inquit Beatus Iacobus primò. Secundò propter victoriam; ſi quis enim certus ſit de victoria in tentatione, debet tunc appetere. Tertiò propter coronam. Vnde dicitur: Beatus vir qui ſuffert tentationem, &c. coronam vitæ. Quartò, illud eſt appetendum, de quo gaudendum eſt, cū euenerit: at tentatio ſic ſe habet: ergo. Minor patet, Nā Iac. 1. Cap. dicitur: omne gaudium exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis. Deniq; ſic inſto: Paulus indiſcretè petijt carnis ſtimulum ſibi amoueri, cui fuit dictum, ſufficit tibi gratia mea: igitur tentatio appetenda. Pro determinatione huius quęſtionis, pręmittenda quędam ſunt, & primò, quid nā ſit bonum: ſolet enim illud dici, quod oīa appetunt; & multipliciter ſumitur; nam triplex, ſcilicet vtile, honeſtum, & delectabile eſt, vt Ariſtoteles primò Ethicorum docet; bonum vtile illud dicitur, quod propter ſe minimè appetibile eſt, ſed propter aliquē finem conſequendum, vt potio amara infirmo; & hoc bonum dici ſolet bonum, ratione finis; bonum verò honeſtum illud, quod nos ſua vi attrahit, & ſua dignitate nos allicit ad ſui amorem, ſecūdum Tullium, & dicitur honeſtū, quaſi honoris ſtatus, ideſt per bonum per ſe, vel propter ſe diligibile, aut ſimpliciter, ſicut eſt Deus: aut ſecundum quid, vt ſunt virtutes, quia de ſe ipſis habent, vnde deſiderentur. Bonum autem honeſtum pręcipuè reperitur in virtutibus infuſis. Ab alijs ſolet tale bonum honeſtum dici bonū ſecundum ſe, vt dedimus exemplum de Deo. Tertiò datur bonum apparens, ſiue delectabile, quod habet cauſare delectationem in potentia, eamq; quietare, vt pulcherrimum viſi-

P bile.

bile, & hoc eſt duplex: aliud enim delectabile, & honeſtũ, aliud verò inhoneſtum, vt delectationes ciborum, ludorum, venereorum, honorum, & diuitiarum, ſic de huiuſmodi alijs. Sed hic notandum: bonũ de iſtis analogicè dici; quia primo de bono honeſto, quia tale eſt verè bonum, propter ſe deſiderabile; & ſic eſt præcipuum, in quo maxima inuenitur vtilitas, vt potè in diuinis virtutibus, ſcilicet conſecutio ſalutis, pax mentis, ac ędificatio proximi; ideo pręfertur bono vtili, de quo bonum pręidcatur; pręfertur & à fortiori, bono delectabili, nam in bono honeſto eſt vtilitas, & delectatio maxima, & veriſſima: at in bono delectabili ſępe eſt bonitas fallax, & minus uera, &c. ſtulti ergo, qui illis hęc pręponunt. Demum eſt notandum, quòd eorum, qui tentationibus ſubijciuntur, quidam infirmi, & imperfecti, nec non inexperti ſunt, & tales nullo modo debent appetere tentari. Alij verò ſunt fortes, ſeu firmi, experti, & perfecti; & tales appetere debent tentationem ob ſupra dictas rationes. Nunc ad argumenta, via reſolutiua vt procedam, ſic dicam, quòd tentatio appetenda minimè ſit impotentibus, ac debilibus ſine Dei auxilio ſpeciali, quia ſic de facili deuiarent, vt infirmi iſti; ſub quo ſenſu rationes negatiuæ occurrunt oēs; cęteræ verò pro parte affirmatiuà formatæ, in hunc modum ſoluendæ, quòd experti, & fortes debeant tentationem appetere, nõ quia ſecundum ſe bona ſit tentatio: at quia ad bonum ordinata, Vnde ad illud Iaco. adductum de gaudio, eſt dicendum, q̄d eius intentio non fuit, nos debere gaudere de tentatione, ſed adhortari ad tentationes vincendas per cõſiderationem gaudij, ad quod peruenitur per tentationum patientiam, & tribulationum, de quibus

ipſe

ipſe loquitur. Ad illud de Paulo dicitur, quòd ſtimulus carnis, quē ipſe habuit, non fuit carnis tentatio, quia talis ſine culpa eſſe non poteſt; ſed fuit quędam corporis afflictio, vel carnalis ſuggeſtio ab hoſte, ſiue capitis infirmitas quędam, ait D. Aug. nec indiſcretè petijt, habita conſideratione ſtimuli ſecundum ſe, ſed conſiderato euentu victoriæ, de quo minimè erat certus. Vnde certificatus à domino de victoria ſibi dicente, ſufficit tibi gratia mea, patienter tunc ſuſtinuit. Et hęc ſatis pro pręſenti.

NVM PRIMORVM PARENTVM PECCATVM GRAVISSIMVM.

Lectio LXXXII.

EX quo primi parentes noſtri peccarunt, vt dictis patuit, propterea opere prętium eſſe duxi hodierna die, illud in dubium reuocare cognoſcendi gratia, Num illorũ peccatum fuerit grauiſſimum. Inſuper, num in ſtatu innocentiæ homo venialiter potuerit peccare. Circa primũ, pro parte conſtructiua, ſiue affirmatiua poteſt argui primò authoritate D. Aug. in Enchir. i. dicentis: non eſſe malum, niſi quia nocet, nec dicitur nocere, niſi quia adimit: at primorum parentum peccatum plus de bono ademit, totam humanam corrumpens naturam: igitur, &c. Deinde: maiori culpæ maior quoq; pęna attribuitur: at primorum parentũ peccatũ pęna eſt punitum: igitur, &c. Pro determinatione huius difficultatis primæ ſciendũ eſt, peccatũ peccato cõparare biſariam cõſiderari poſſe: vno modo cõparando ſpecies diuerſorum peccato-

rum ſecundum grauitatem, V. g. quando comparatur furtum homicidio. Alio modo comparando peccata diuerſa eiuſdem ſpeciei, V. g. furtũ furto, homicidium homicidio, &c. Nunc dicendum: peccatum primorum parentum collatum ad peccata ſpeciei, grauiſſimum minimè fuiſſe: at ad peccata comparatũ eiuſdem ſpeciei, quo ad aliquid fuiſſe grauiſſimum; Primum dilucidum apparet, q̃a tanto grauius ſecundum peccati ſpeciem, quanto actus cadit ſuper materiam magis indebitã, ſicut homicidium furto grauius dicitur, ſecundum ſpeciem peccati: plus enim diligenda proximi perſona eſt, minuſq; lędenda, quam res extrinſeca: at multorum peccata cadunt ſuper indebitam materiam magis, quàm primorum parentũ peccatum, vt eſt Idolatriæ, vel blaſphemiæ peccatum: igitur, &c. Secundum non ſecus apparet, quia ſecundum D. Aug. de ciuitate Dei habetur, vbi maior eſt in non peccando facilitas, ibi maior in peccando iniquitas: at in primis parentibus fuit maxima in non peccando facilitas, tum quia maximè in eis ratio vigebat; tum quia nil intrinſecum erat, quod eos ad prauè concupiſcendum impelleret, ſicut in nobis: quantum ergo ad hoc grauiſſimũ dici debet fuiſſe illorum peccatum. His ita poſitis, nunc ad argumenta illa duo formata de facili reſpondendum, & primò ad primum, ſi dixerimus: D. Aug. authoritatem intelligendam eſſe, quòd peccatum primorum parentum plus de bono ademerit per accidens, non aũt per ſe, nec formaliter; formaliter enim, & per ſe peccatum non adimit, niſi ſuum oppoſitum, V. g. humilitatem, ſi ſit ſuperbiæ peccatum, & ita paucis in hunc modum patet argumentum primum verbis. Ad ſecundũ, pręmiſſa diſtinctione de duplici pęna, leue erit reſpõ-

dere:

dere: duplex ergo datur pęna, vna damni, altera ſenſus; pęna damni quantitati culpæ minimè proportionatur, quis etenim pro modica culpa ſe alteri ingratū reddere poteſt, & indignū bono collato, vel conferendo; ſed bene ei pęna ſenſus proportionatur. Peccatum aūt primorum parentum punitum eſt maxima pęna damni, in quātum ſe, & totam poſteritatem reddidit indignam dono iuſtitiæ originalis, per illud, nec ob id dicitur fuiſſe punitus maxima pęna ſenſus. Expedito iam dubio primo: alterū ſubſequitur, dùm quęritur. An homo in ſtatu primo, venialiter potuerit peccare. Pro parte affirmatiua ſic arguitur: potuit mortaliter peccare: ergo, & venialiter, conſequentia patet, q̄a peccare mortaliter plus integritati opponitur primi ſtatus, quam veniale peccatum: ergo. Pręterea. infidelitatis motus ibi fuit: ergo potuit ineſſe veniale peccatum: antecedens patet; quia Eua de verbis domini dubitauit, vt patet per illud, q̄d dixit: Ne forte moriamur, &c. Pro dilucidatione huius queſiti, primò quid ſit veniale peccatum videndum; eſt enim quędam animæ ęgritudo, & mortale mors eius; deinde eſt ſciendum: hanc queſtionem duplicem poſſe habere ſenſum; quorū primus eſt: an durante innocentiæ ſtatu potuerit venialiter peccare; ſub quo ſenſu conſtat liquidò, quòd non. Alter ſenſus eſt. An primū peccatum primi hominis, per quod caderet à ſtatu innocentiæ, veniale potuerit eſſe, vel neceſſario fuerit mortale. Primo modo, quibuſdā viſum eſt, quòd non, quia veniale hominis ſtatū non mutat: igitur non videtur, quod potuerit eſſe veniale; dicatis vos ad hoc, quod veniale licet non mutet ſtatum gratiæ, nihilominus dicitur mutare ſtatum innocentiæ, cum quo ſtare neutiquam poteſt: propterea vi-

detur, quod primi hominis peccatum veniale non potuerit eſſe, ex quibus ſolutio primi accipi argumēti pōt, plus enim peccatum mortale opponitur integritati primi ſtatus, quam veniale: illi etenim ſubiectioni opponitur, quam primus homo habebat ad Deum ſummum bonum: ex qua tota ordinatio hominis dependebat; & qua exiſtente nulla inordinatio contingere poterat: quare impoſſibile fuit inordinationem peccati venialis contingere, niſi ſublata ſubiectione prędicta per pęcatum mortale. Ad ſecundum dicitur, q̄ Euæ illa dubitatio, ſiue fuerit veniale peccatum, ſiue mortale, non fuit primum peccatū, ſed quędam elatio, quæ pręceſſit in eius mente, quæ fuit peccatum mortale: quare, &c. Et hoc magis patebit in ſequenti diſtinctione.

DE ORIGINE ILLIVS PECCATI.
Diſtinctio XXII.
Lectio LXXXIII.

EXpoſituri diſtinctionem vigeſimam ſecundam huius libri, nexum ante oīa contemplabimur, inſuper, ad diſtinctionis diuiſionem feſtinabimus. Quò ad primum, mirabili equidē ordine, in harum diſtinctionum ſitu, procedit Magiſter ſent. qui poſtquam loquutus fuit, de tentatione ex parte tentantis; hinc fit, quod nunc, de eadem ex parte tentati verba facturus. His paucis verbis, habito nexu diſtinctionis pręſentis, nunc ad diuiſionem ꝓperandum: diuidi enim poteſt in ſecta ſeptem; In propoſitionem primò; In inſtantiam ſecundò; In vnū notandum tertiò; In con-

cluſionem quartò; In tres inſtantias quintò; In ignorantiæ diſtinctionem ſextò; In dubia duo ſeptimò. Quò ad primum, hęc prę-mittitur propoſitio. Non Adam, ſed Eua in tanta elatione fuit ſeducta; vt per ligni eſum vetiti, ſe ſimilem fieri Deo exiſtimarit. Hanc probaturi, originem, & radicem primi peccati tangemus dicentes, in primis fuiſſe parentibus pręſumptionem, ac elationem quandam, ex qua diaboli ſuggeſtione conſenſerunt, mulier primò, poſtea vir; at contra hoc, inſtantia loco ſecundo ſolet adduci talis. Si ita eſſet, vt iam dictum fuit, quod mulier primò, poſtea vir peccaſſet: igitur homo ſuggeſtione alterius minimè peccaſſet; ſed propria ſuperbia, vt Angelus, & ex conſequenti vt talis ipſe corruiſſet, cuius tamen contrarium in pręcedenti diſtinctione declaratum fuit. Ad hoc dici via facili poteſt, q̄d cum dicebat elationem quandam in parentibus pręceſſiſſe noſtris, non ita intelligebat, quod illa elatio ſuggeſtionē pręceſſerit, ſed vt peccati opus; nam in illo peccato fuit iſte proceſſus, & ordo; quia primo diaboli pręceſſit tentatio; ex qua deinde ſequuta eſt elatio; quā poſtea ſequutum eſt operis peccatum; deinceps pęna peccati poſt hęc tertiò apponitur notandum, de elatione loco; Nam fuit talis elatio aliter in muliere, quam in viro; quia mulier exiſtimauit ſe Dei habere poſſe ſimilitudinē, putans id eſſe verum, quod diabolus ſuadebat: Vir autem minimè credebat, nec verum eſſe, quod diabolus ſuadebat, ipſe putabat; nihilominus aliqua extitit elatio in mente eius ꝑ tentationē. Vnde vir aliter ſeductus, quam mulier; quòd diuerſis ſanctorum patrū authoritatibus confirmatur, vt in textu Magiſtri patet. Sic tribus iam enodatis punctis, quartum accedit, vbi hęc concluſio ponitur.

Grauius Eua, quam Adam dicitur peccaſſe in paradiſo, diuinum tranſgrediendo pręceptum. An hoc ſit verum, tres quęſo, audite rationes, quarum prima ſic ſe habet: credidit ipſa id verum eſſe, quod diabolus ſuadebat: at Vir non: ergo. Altera ratio: mulier nimis elata credebat, ſe Deo fieri ęqualem poſſe, at Vir nequaquã. Tertio mulier in Deum, in ſe, & in proximum peccauit: Vir aũt ſolum in Deum, & in ſe ipſum: quare, &c. Verum quia contra illud obijci poteſt, hinc tripliciter inſtatur in quinto ſegmento, & primo authoritate D. Aug. dicentis, quod vtriuſq; par erat factus, ęqualiter ergo videtur peccaſſe. Ad hoc dici poteſt; quod quamuis erat vtriuſq; par factus in peccati excuſatione, quoniam Vir excuſauit ſe par mulierẽ, & mulier per ſerpentem; in muliere tamen multo maior factus erat, quo ad tria prędicta. Secundo obijcitur teſtimonio Aug. dicentis; quod ẽt Vir Deo voluit ęqualis eſſe. Ad hoc reſpondetur, q̃d quidam hoc opinati ſunt, ponentes tamen virũ non tanta ambitione exarſiſſe ad hoc, vt mulier. Tertio videtur contra idem obijci poſſe, ſuppoſito, quod tribus committi poſſit peccatum modis, videlicet ex ignorantia; ex infirmitate; & ex induſtria. Grauius eſt tamen peccatum, quod committitur ex infirmitate, quam illud, quod ex ignorantia patratur; Inſuper, grauius illud, quod ex induſtria committitur, quam illud, quod ex infirmitate: cum itaq; mulier videatur peccaſſe ex ignorantia, q. a fuit ſeducta; Adam verò ex induſtria, quia ſeductus non fuerat ſecundum Apoſtolum: vir ergo videtur grauius peccaſſe ipſa muliere. Ad hoc tamen dici poteſt, quod licet mulier, quo ad hoc, ex ignorantia peccauerit, quia per diabolum ſeducta credidit eſſe verum,

quod

quod ipſe ſuadebat, non tamen quo ad hoc, quod Dei mandatum non mouerit, cuius oppoſitum diabolus ſibi ſuaſit: quare per ignorantiam excuſari minimè poteſt; cum ibi ignorantia tollatur, vbi mandatum non ignoratur, & peccatum eſſe contra ipſum mandatum, agere non dubitatur. His quinto loco expoſitis, diſtinctio de ignorantia ſexto venit addenda loco verbis. Ignorantia duplex eſt, vna vincibilis, altera inuincibilis: vincibilis, ſi ſit eorum, quæ ſtudio noſtro ſciri poſſunt, & homines ſcire nolint, licet ſcire teneantur; tunc illa à peccato non excuſat, immo peccatum aggrauat, q̃ain noſtra habet eſſe uoluntate. Altera inuincibilis dicitur ignorantia, quæ ſtudio minimè noſtro ſuperari poteſt, & eſt eorum, quæ ſcire homines volunt, & non poſſunt: vnde talis peccatũ dici non poteſt, quia in noſtra minimè habet eſſe voluntate; ſed potius excuſat: pęna tamen peccati videtur, & hęc de ſex ſegmentis. In vltimo, vt ſe ad dubia duo proponenda pręparet Magiſter, propoſitionem hanc pręmittit, dicendo. Malus hominis conſenſus naturã bonam habentis, ex proprio libero proceſſit arbitrio, nec non ſuggeſtione diaboli ſuadentis. Ad quod videndum, ꝓponitur ſub hac verborũ forma tale dubium; ſi hominis natura ſine vitio erat, vnde malus iſte proceſſit conſenſus? Ad hoc reſpondetur, q̃d ex libero ſuæ uoluntatis arbitrio; dùm verò deterior fiebat, hoc à diabolo ſuadente habuit, & à uoluntate conſentiente: quare licet de ſe uoluntas bona eſſet, mala tamen potuit eſſe per malum conſenſum. Inſuper, quęritur ſecundo; Num illud peccatum voluntas pręceſſerit, ad quod diſtinctione de duplici conſideratione voluntatis, de facili erit reſpondere: uoluntas enim aliquando pro potentia

capi poſſe videtur, aliquando uerò pro malo actu voluntatis: ſi primo modo, uoluntas vt potentia, tale peccatũ pręceſſit: at ſecundo modo nequaquam pręceſſit, quoniam ante primam malã uoluntatem hominis primi, alia hominis mala non fuit voluntas. Et hęc de pollicitis ſatis.

AN EVA GRAVIUS PECCAVIT, QVAM ADAM.
Lectio LXXXIIII.

ANtequam accedam ad queſtiones ordinarias, circa declaratam diſtinctionem contingentes; autumo tria proponenda eſſe, & primo. Num Adam Eua, vel Eua Adam grauius peccauerit. Inſuper, ſignificata diuerſa ignorantiæ: Tertiò mali conſenſus naturam. Quantum ad primum; exiſtimo vos ſcire, plus quem alio, multis peccare modis: ſcilicet peioris finis intentione; ſic mulier dicitur plus peccaſſe, q̃a per hoc ſicut Deus fieri intendebat, & vir minus; ſecũdo maiori tumore: ſic mulier. Item in plures, & ita mulier, quia in ſe in Deum, & proximum peccauit. Rurſus damnoſius, ſic mulier, quia plus ſibi nouit, quam Adam ſibi, quod in maledictionibus patet. Inſuper, quia pluribus nocuit, & ſibi, & Viro; plus itaq; peccauit. Deinceps pluribus peccatis, ideo plus, & grauius, quia auaricia; gula, & ſuperbia; vel ſic: ſuperbia primò, inobedientia ſecundò, infidelitate tertiò, grauius ergo. Credidit enim Deum inuidum: inſuper, mentiri quando dixit, quacunq; hora comed. Pręterea, exiſtimauit Deũ

de bono alieno poſſe torqueri, ideo inuidū credidit eſſe Deū: quare grauius Viro peccauit. Si verò grauitatem peccati conſiderare voluerimus, ex grauiori origine, vel ratione perfectionis; tunc dicemus: Adam grauius peccaſſe, quia ex certa ſcientia peccauit: illa verò quodammodo ex ignorantia. Inſuper, ratione perfectionis Vir, quia erat caput fœminæ vt puta Euæ. Quantum aūt ad genus peccati, ęquale fuit peccatum; quia ſecundum D. Aug. peccato ſuperbiæ peccarunt: at quantū ad ſpeciem ſuperbiæ, tunc magis Eua, & grauius peccauit, quia in illa fuit maior elatio: deinde q̨ a Viro ſuggeſſit, tandē quia dęmonis ſuggeſtionibus credidit; & ſic quid circa hoc in ordine primum tenendum, patet. Nunc ad ignorantiæ ſignificata accedo; Multipliciter enim ſolet diſtingui: Primo ſecundū oppoſitionē ad ſcientiam, & ſic capitur tripliciter: ſcilicet poſitiuè, & dupliciter negatiuè. Poſitiuè idem eſt, qđ error, ideſt aſſenſus falſi, vel diſſenſus veri; ignorat enim quis quis errat, falſum credendo, aut verò diſſentiendo. Sic ignarus eſt errans. Vnde ignorantia dicitur error in anima. Errare verò ſecundum Aug. in Enchirid. Cap. xvi. nil aliud eſt, quam verum putare, qđ falſum eſt; falſumq; quod verum eſt, vel certum habere pro incerto. Incertum verò pro certo, ſiue falſum ſit, ſiue verum. Hanc ignorantiam poſitiuam, quidam vocant ignorantiam prauæ diſpoſitionis, quatenus malam diſpoſitionem ponit, ſcilicet ignorantiæ errorem. Alij clarius nominant ignorantiam erroneam. Negatiuè duobus accipitur modis: vno modo vt includit negationem infinitantem, dùm ſcilicet ſimpliciter negat in ſubiecto apto nato, ſiue non nato habere ſcientiam; quo modo infans dicitur ignorans, immo ſic

lapis

lapis ignorans, quia non ſciens. Alio modo ſumitur vt includit negationem priuantem, ſcilicet quæ negat ſcientiam in ſubiecto apto nato: Negatio enim priuatiua, non ſolum priuat qualitatem à ſubiecto; ſed cum hoc ponit aptitudinẽ ad ipſam, quo modo Cęcus dicitur non videns, natus tamen videre. Negatio autem infinitans totum negat, & ſic ſola rationalis creatura dicitur ignorans pro tẽpore, quo apta natura eſt ſcire: ſic infantes non ſunt ignari, nec creatura inſenſibilis. Primo modo opponitur ſcientiæ contrariè, ſecundo modo contradictoriè; & quolibet prędictorum modorum ignorantia accepta, poteſt diſtingui in ordine ad obiectum, ideſt ad id, quod ignoratur, & tunc diſtinguitur in ignorantiam iuris, & facti, vt audietis in ſubſequenti.

DE IGNORANTIA IVRIS. Lectio LXXXV.

BReuitatis amator, quæ in ſuperiori meo ſermone propoſueram, complere minimè potuit: quare in pręſenti iter inceptum proſequendo meum, de ignorantia iuris; de ignorantia facti; de affectata, & craſſa verba faciam; & in ſubſequẽti huic materiæ finem imponam. Quantũ attinet ad primum. Ignorantia iuris videtur poſſe diſtingui penes diſtinctionem iurium: quorum aliud naturale eſt; diuinum aliud; humanum tandẽ aliud ſiue poſitiuum. Et illud, vel eſt canonicum, vel legale; & ſic quędam dicitur eſſe ignorãtia iuris neceſſarij ad ſalutem; & eſt ignorantia iuris non neceſſarij ad ſalutem. Cognitio aũt iuris neceſſarij

ad ſalutem non eadem eſt apud oẽs, at variatur ſecundum diuerſos hominum ſtatus: quędam enim neceſſaria ſunt ſciri Pręlato, quæ ſimplici ſciri ſubdito nequaquam neceſſaria ſunt: ignorantia ſimiliter facti ſolet diſtingui, nam quędam eſt facti in ſe, & quędam circunſtantiæ: Inſuper, quędã alia ignorantia ſequellæ ad factũ. Illa ignorantia facti dupliciter contingere poteſt: aut adhibita diligentia; & hęc excuſat à toto, vt patet de concubitu Iacob cum Lia primogenita filia Laban, quem cõcubitum ignorantia talis excuſauit. Aut facti ignorantia contingit, ſiue accidit non adhibita debita diligentia; & hęc excuſat à tanto, ſed non à toto, vt patet de facto Lamech, dùm Caim occidit, cum tamen feram putaret occidere: Quod factũ talis ignorantia non dicitur excuſare à toto, ſed bene à tanto. Hęc Gerſon parte ſecunda de natura, & qualitate conſcientiæ. Ignorantia verò tertio modo videtur poſſe diſtingui in ordine ad voluntatem, tanquam ad cauſam; & ſic ignorãtiarum, quędam eſt affectata, quędam craſſa, & ſupina, & inuincibilis; de quibus hic Magiſter ſub alijs tamen uerbis. Ignorantia igitur affectata (nobiliſſimi Auditores) illa eſt, qua voluntas vult neſcire, ſiue actu vult ſcire poſitiuo, ſicut de quibuſdam dicitur: Noluit intelligere, vt bene ageret, & alibi: Recede à nobis, ſcientiam uiarum tuarum nolumus. Talis ignorantia (vt refert Gerſon) duobus contingere poteſt modis, ſcilicet directè, & indirectè. Directè, quando actus uoluntatis fertur in ipſam ignorantiam, V. g. cum aliquis vult ignorare, vt peccati excuſationem habeat, vel ut à peccando non retrahatur: indirectè uerò iterum dupliciter: vno modo, cum aliquis actu non conſiderat, quòd põt,

&

& debet, & tunc talis ignorantia nuncupatur ignorantia malæ electionis, vel ex paſſione aliqua, vel ex malo habitu proueniens. Alio modo, cum aliquis notitiam, quam de aliquibus deberet habere, non curat acquirere; ſecundum quē modum ignorantia vniuerſalium iuris, quæ quis ſcire tenetur, uoluntaria dicitur, quaſi ꝑ negligentiam proueniens; cum enim non niſi propter negligentiam habeatur, uoluntariè haberi videtur. Accedit tandem in preſenti conſideratio ignorantiæ craſſæ, & ſupinæ, quæ conſequitur negligentiam inquirendi ſcienda; quæ quidem nō affectatur, nec uolita eſt, nec placet, tamen tolli poſſet, ſi diligens cura inquirendi, & proficiendi adeſſet, quæ craſſa dicitur, quia cauſatur, ac producitur ex deſidia, & laborandi pigritia ad acquiſitionem ſciendi: & hęc frequenter hominibus craſſis, & pinguibus, ut experientia docet, adhęrere dicitur. Et dicitur ſapientia, quia eſt mentium ad inferiora, ac terrena declinatarum, non potentium, aut non uolentium (vt verius loquamur) ad ſuperiora ęterna, & ſalutaria, ſe erigere, de quibus dicitur: ſapientes ſunt, ut faciant mala, bene autem facere neſcierunt. Hier. 4. In ſequenti ad alia feſtinabimus: Hęc intantùm dicta ſufficiant.

DE IGNORANTIA INVINCIBILI, ETC.
Lectio LXXXVI.

VT rem aggrediar de qua mea eſt intentio principaliter, naturam inuincibilis ignorantiæ declarabo primò. Inſuper, quid ſit agere ex ignorātia, manifeſtabo. Deinceps,

ceps, loquar de malo conſenſu. Quantum attinet ad primum; ignorantia inuincibilis illa eſt, quæ manet poſt oẽm diligentiam poſſibilem, & debitam, & à peccato excuſat. Inuincibiliſq; dicitur, ſecundum Gabr. non quin ſimpliciter poſſit vinci, ſed quæ manet, & quo homo fecit oĩa, ad quæ tenetur, pro eius expulſione. Sicut illa inuincibilis dicitur, quia Parochianus aliquis ignorat ieiunium certo die obſeruandum, pro eo, quod ſuus Plebanus, vel Paſtor ꝓnunciauit die, & hora, qua pronunciari ſolet, quo tamen ille Parochianus præſens fuit diligenter auſcultans intimando, licet ſimpliciter illa ignorantia uinci potuit, quia tamen fecit, quod debuit Eccleſiam intrando, ſermonem audiendo, & diligentem auſcultãdo, illi dicitur inuincibilis. Hæc dicitur dupliciter, quia ſub duplici qualitate reperitur, vt dicit Gerſon. Vna eſt innata; alia incidens: innata oĩno excuſat, & à tanto, & à toto, vt in infantibus, & à natura inſenſatis. Incidens uerò iterum duplex, ſecundum quod dupliciter contingere poteſt: vna nanq; ſine culpa incidit, V. g. quando homo dando operã rei licitæ furioſus efficitur, & hæc quãdo totaliter ligat vel rationem, ſeu vſum rationis impedit, à toto excuſat, aliàs non. Alia incidit ex culpa, V. g. quando homo præſtitit cauſam ſuæ ignorantiæ, & tunc ſecundum aliquos, ſi talis ignorãtia rationem, ſeu vſum rationis oĩno ligat, ſeu impedit, tunc peccatum, quod ſequitur, excuſat. V. g. furioſus, qui per ſuam culpam incidit in furiam, & vi illius furiæ hominem occidit, talis non peccat, quoniam ut animal brutum in ſolo impetu mouetur, & non ratione. Alij aliter ſentientes dicunt: huiuſmodi ignorãtiam à toto non excuſare, licet à tanto. Vnde in tali caſu talis furioſus minus

peccare

peccare dicitur, quàm ſi furioſus non eſſet: peccat tamen. Primã opinio, vt ait Gerſon, probabilior uidetur; nihilominus pręter dubium, talibus, ſi ſanentur, debet ſecundum canones pęnitentia iniungi. His addi poteſt, quòd ignorantia quarto modo capta, diſtingui poſſit in ordine ad actum peccati, & ſic per Gabr. eſt pręcedens peccatum aliqua, concomitans ſimiliter aliqua; & ſequens aliqua. Pręcedens, quando ſi ſciret peccans, non peccaret, & talis ignorantia eſt cauſa, uel diſpoſitio ad actum peccati, pro quanto ſine ea non fieret, licet ipſa minimè ſit uolita. Concomitans eſt, dùm quis peccando in die Dominico, neſciens eſſe diem Dominicam, qui tamen, ſi ſciret propter hoc, non haberet ſe aliter ad peccatum, ita quod non minus peccaret. Sequens verò eſt pęna, & effectus peccati, V. g. vt illa ignorantia, quæ conſequitur ebrietatem, vt in Loth cognoſcente filias. His ita declaratis in ſegmẽto primo; nunc ſequitur alterum: vbi, quid ſit agere ex ignorantia, declarandum. Pro cuius intellectu, agere ignorando, vel ignoranter, vel ex ignorantia, quo modo inter ſe differant hęc, ſpeculandũ. Inquiunt ergo inclyti viri, quòd agere ex ignorãtia, eſt ignorantiam eſſe cauſam, vel diſpoſitionem ad huiuſmodi actum, vt puta, quando agens non ageret, ſi non ignoraret: V. g. ſi quis in ſexta feria carnes comederet, ignorans eſſe ſextam feriam, non comeſturus, ſi ſciret. Agere verò ignorando eſt, dùm ignorantia habet ſe, vt contingenter ad operationem; ita quod propter eam agens, nec agit, nec ab actione ceſſat: aliud ergo eſt peccare ex ignorantia, & ignorando: hinc notandum, quòd ignorantia aliquando excuſat pro quanto minor eſt uoluntatis contemptus, & receſſus eius à ſua Regula; quandoq;

etiam

etiam dicitur excuſare à toto; quando eius actus ad peccatum non imputatur. Aliquando etiam à tanto, quando ſcilicet propter tale totaliter nec ſimpliciter ratio peccati tollitur. Hinc de facili patere poteſt in genere, quando ignorantia actum excuſet à peccato ſimpliciter, ideſt in toto, vel à tanto: dùm enim ignorãtia ſimpliciter voluntarium tollit, ſimpliciter à toto excuſat. Si autem non oĩno priuat, ſed aliquantulum minuit voluntarium, non excuſat à toto, ſed à tanto: ideſt non tollit peccati rationem, ſed benè rationem alicuius gradus grauitatis, qui peccato ineſſet, ſi ignorantia non acceſſiſſet. His tertio natura mali cõſenſus addenda venit loco; quia primi parentes ſuggeſtionibus diaboli adhęrentes peccarunt: conſenſus itaq; malus nihil aliud eſt, quam actus irregulatus rationis, & voluntatis ad fruendum creatura. In qua diffinitione quatuor cauſæ ponuntur: formalis prima, quæ eſt actus irregulatus: cauſa efficiens dicitur intellectus; nam intellectus apprehendit, &c. cauſa materialis, ecce voluntas; finalis, ad fruendũ creatura; nam finis cõſentientis in malum actum eſt, vt delectetur in rebus tranſitorijs. An verò malus conſenſus mortale peccatum ſit, audite: ſeparat enim nos à Deo: ergo. Animam noſtram maculat: igitur. Demum per talem conſenſum malum damnamur, mortale igitur. Caueant itaq; homines conſentire malo, & ad malum conſulere, quoniam non hoc leue erit, mortale eſſe, diudicare. Et hęc de propoſitis, in gratiam prędeclaratæ diſtinctionis. In ſequenti ad queſtiones accedemus.

Q NVM

NVM PRIMI HOMINIS PECCATVM SVPERBIA?

Lectio LXXXVII.

COnſueuerũt ſcolaſtici Doctores, nacti ex Magiſtri ſent. verbis occaſionem, in primis dubitare, de primorum parentũ peccato: an fuerit ſuperbia. Inſuper, Num primus homo appetierit eſſe, vt Deus. Propoſitis duobus quęſitis, ꝗd circa primum dicendum ſit, hylari vultu audite: quidam declinantes ad negatiuam partem ſic arguunt. Primum primæ debet peccatum opponi virtuti, ſed fides prima virtutum eſt: ergo parentum noſtrorum primum peccatum fuit infidelitas. Inſuper arguitur authoritate Apoſtoli ad Rom. v. dicentis. Per vnius hominis inobedientiam peccatum intrauit in mundum: non ergo ſuperbia fuit primũ illorum peccatum, ſed inobedientia. Ex alio latere in oppoſitum ſe habet illud Eccleſ. x. Initium oĩs peccati ſuperbia eſt; primorum ergo parentum primum peccatum fuit ſuperbia: quare pro determinatione huius primæ difficultatis duo pręmittenda erunt. Quorum primum reſpicit plura peccata, quæ in primis parentibus realiter fuerunt, quorum tamen primum ſuperbia: ibi enim fuerunt plures deformitates, ad quas peccata ſequuntur, V. g. inobedientia: pręcepti tranſgreſſio in eſu ligni vetiti, &c. Alterum patet, quia appetitus finis pręcedit eorum appetitum, quæ ſunt propter finem: at appetitus propriæ excellentiæ, qui ad ſuperbiam ſpectat, finis fuit, propter quem incurrerunt inobedientiam: igitur, &c. His ita poſitis, nunc ad argumentum primum poteſt dici, quod

modus

modus arguendi nullus ſit.; & ratio duplex aſſignatur: prima eſt, quia hic nos loquimur de ordine temporis, qui ordo, ſiue connexio in vitijs non conſideratur; vel dicatis, quod illud, quod primum eſt in compoſitione, ſit vltimum in reſolutione, ideo deberet ſic argui: ſicut fides eſt prima virtus, ita infidelitas vltimum vitium; & ita ratio nulla, & arguendi modus nullus. Ad ſecundum dico: inobedientiam duobus conſiderari poſſe modis: vno modo, vt nominat ſpeciale peccatum, & ſic eſt precepti contemptus, quo modo per inobedientiam vnius hominis peccatum in mundum minime intrauit. Alio modo, vt nominat generalem conditionem conſequentem omne mortale peccatum, inquantum omne mortale peccatum habet annexam tranſgreſſionem alicuius precepti, ſub quo ſenſu loquebatur Apoſtolus: quare ratio ruit. Explanato iam primo dubio, ſequitur alterum examinandum: Num ſcilicet primus homo appetierit eſſe vt Deus. Quibuſdam videtur eſſe dicendum, quòd ſic, nam appetierunt illud, quod ſibi à tentatore fuerat propoſitũ: at illud fuit, Eritis ſicut Dij: ergo, &c. Ex alio latere, nullus videtur appetere, quod reputat ſibi impoſſibile: non ergo, &c. Ad hanc queſtionem terminandam reputo, duo in veſtram reuocanda eſſe memoriam: primum eſt, quod velle eſſe vt Deus bifariam accipi poteſt: vno modo per omnimodam equalitatem, alio modo per imitationem quandam. Primum ſub appetitu ordinato neutiquam cadit, & ſi velitis dicere, cadere ſub appetitu, hoc non erit, niſi nimio precedente errore, nec creaturæ poſſibile, ſed bene impoſſibile. Si verò ſecundo modo, adhuc id bifariam poterit capi: duplex enim eſt ſimilitudo imitationis vna, proportionata naturæ ipſius

appetentis, quam appetere nequaquam malum eſt; dummodo illo ordine appetatur, quo appetenda eſt. Datur alia improportionata, natureq; ordinem excedens appetentis, quam velle appetere ſemper malum eſt. Potuit ergo primus homo appetere eſſe vt Deus p aliquam imitationem forſitan in ſcientia, vt ſibi à tentatore fuerat propoſitũ his verbis: Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum. Attamen peccaſſe dicitur ſimilitudinem ſibi improportiônatam appetendo, vel proportionatam, quia id totum voluit abſq; debito modo, & ordine. Et hęc ſatis pro prę̀ſenti ſermone, ex quo quid ad argumentum in oppoſitum dicendum, ſatis clarum.

AN IGNORANTIA SIT PECCATVM, ETC. Lectio LXXXVIII.

PReter ea, quæ dicta ſunt à nobis hactenus, duo alia adhuc quęrenda ſuperſunt, quorum primum eſt. An ignorantia ſit peccatum. Inſuper. An peccatum excuſet nec ne. Pro parte affirmatiua quantum ad primum, videtur eſſe dicendum, q ſic: mala enim eſt voluntas ignorandi ea, quæ homo ſcire tenetur: igitur eſt peccatum, non pęna, ſed culpa. Deinde: nonne dicit Apoſtolus ad Cor. Si quis ignorat ignorabitur, ideſt reprobabitur? at nullus reprobatur, niſi per peccatum: ígnorãtia itaq; peccatum. In oppoſitum dicetis uos: peccatum directius gratiæ opponitur, quã ſcientiæ: at priuatio gratiæ culpa non eſt, ſed pęna cõſequens peccatum, ignorantia ergo, quæ eſt ſcientiæ priuatio minimè erit peccatum. Pro reſponſione ſcire debetis, qđ ignorantia, vel eſt eorum,

quæ quis ſcire non tenetur; vel nullo modo poteſt, & ſic non eſt peccatum: at ſi ea reſpiciat ignorantia, quæ quis ſcire tenetur, ac poteſt, licet ſecundum ſe peccatum non videatur eſſe: attamen ratione adiuncti, quod eſt negligentia addiſcendi, vel voluntas non addiſcendi peccatum nuncupabitur. Vnde ſecundo velim notetis loco, quodnam diſcrimen ſit inter malum, & peccatum, nam non omne malum peccatum dicitur, ſed illud malum, quod priuationem dicit cuiuſcunq; debitæ perfectionis: peccatum verò priuationem ſecundæ perfectionis, quæ eſt operatio: quare cum ignorantia ſecundum ſe dicat ſcientiæ priuationem, & non operis, vel perfectionis in operatione, niſi pro quanto ignorantia concomitatur addiſcendi negligentiam, vel non addiſcendi uoluntatem, peccatum non cenſebitur. Hoc idem confirmari poteſt per comparationem culpæ ad meritum; nam circa idem ſunt; ſed vt conſtat meritum in actu per ſe conſiſtere videtur, non in habitu: igitur, & culpa ſiue peccatum; & quia ignorantia dicit priuationem habitus non actus: igitur, &c. His in hunc modum premiſſis, ad argumenta nunc accedendum, & ad primum dicendum, quod voluntas non ſolum culpabilis eſt, qua malum culpæ volumus, verum ẽt, qua aliquid volumus, quo proni ſumus ad culpam, & cuius oppoſitum à culpa retraheret; qđ illi euenit, qui ea ignorare vult, quæ ſcire tenetur. Mala ergo uoluntas, quia malum culpæ vult, & quia ea, ad quæ tenetur quis ſcire, ignorare vult. Soluto iam primo argumento, alterũ accedit, ad qđ dicitur, ſano intelligẽdũ eſſe modo illud Apoſtoli dictũ: Si quis ignorat, ignorabitur; ſcilicet de ignorantia non ſecundũ ſe conſiderata, ſiue ratione ſui: at ratione adiuncti, ſcilicet

negligentiæ addiſcendi; quo modo, ſimiles habent gloſari authoritates. Et hęc de primo ſecto. Subſequitur alterum dùm quęritur. An ignorantia peccatum excuſet; quòd non, mihi videtur. Antonius enim ebrius homicidium per ebrietatem committens, dicitur per ignorantiam peccare, ſed talis, nec à toto, nec à tanto excuſari videtur, immo duplices increpationes meretur ſecundum Philoſophi dictum tertio Ethic. igitur, &c. Preterea: ignorantia aggrauat, & non excuſat: ergo, &c. Aſſumptũ patet per D. Ambros. in ſua gloſa ſuper illud Pauli ad Rom. ii. intentum propterea primum, his paucis patet verbis noſtrum. In oppoſitũ ſe habet Paulus, qui i. Thim. ait: Miſericordiam cõſequutus ſum, quia ignoranter feci, excuſat ergo peccatum ignorantiæ contra determinata. Pro dilucidatione huius quęſiti, ſciendum eſt: ignorantiam dupliciter ſe poſſe habere ad actum: vno modo cauſaliter: alio modo concomitanter. Cauſaliter, quando ſi non ignoraret quis, non faceret: cõcomitanter, quando quis ignorans facit, & nihilominus faceret, ſi non ignoraret: nunc dico, quod ignorantia concomitatiua, cum per accidens ſe habeat ad actum, non excuſat peccatum, nec alleuiat, nec aggrauat: at ignorantia cauſalis, vel eſt eorum, quæ non tenemur, aut ſcire non poſſumus, & hęc inuincibilis, vel eſt eorũ, quæ ſcire poſſumus, & tenemur; & talis vincibilis eſt; prima oĩno excuſat, ſi ſit inuincibilis ſecundum ſe, & ſecundum cauſam ſuam; quod dico propter ebrium ex ebrietate peccantẽ, cuius ignorantia ſecundum ſe inuincibilis eſt, quia iudicare quid agendum, aut ꝗd non agendum minimè poteſt: non tamen inuincibilis dici debet ſecundum cauſam ſuam, quoniam potuit ſe non ebriare, & ita non

ignorare:

ignorare: iccirco oĩno talis non eſt excuſatus. His ita poſitis, nunc ad argumentum primũ reſpondendum: Antonium quidem duplices mereri increpationes, quia duo cõmiſit, ſcilicet ebrietatem, & homicidium. Nihil tamen prohibet, quin minus occidendo peccauerit, quam ſi ebrius non fuiſſet, nec ob id totaliter videtur excuſandus, quia eius ignorantia non tollit penitus voluntarium; nam fuiſſe voluntaria eius ignorantia dicitur. Ad ſecundum reſpondetur breui, quod D. Ambroſius loquebatur de grauitate periculi, non peccati, qui enim morbum neſcit, remedium minimè quęrit: nihil tamen prohibet, ſequens peccatum eſſe minus, ratione pręcedentis ignorantiæ, licet periculoſius ſit ignorantia ipſa durante. Et hęc pro pręſenti noſtro ſermone.

QVARE DEVS PERMISERIT HOMIMEM TENTARI, ETC.

Diſtinctio XXIII.
Lectio LXXXIX.

E Nucleata ad laudem Dei Optimi Maximi, noſtramque vtilitatem diſtinctione vigeſima ſecunda: ſubſequitur xxiii. declaranda, circa quam verſaturi, continuationem primo cum pręcedentibus ponemus. Inſuper, ad diuiſionem accedemus. Quantum attinet ad primum, continuatio videtur eſſe talis. Ex quo ſuperiùs ad aures Magiſtri ſent. verba fecimus de primorum parentum tentatione, ex parte tentati, & tentatoris: nunc ſupereſt in pręſenti de eadem loqui ex parte Dei permittentis. Habita

bita his paucis verbis continuatione, vna cum intentione preſentis diſtinctionis, Nũ diuidi vt per breuius, & facilis in ſecta quatuor habet. In concluſionem primò; In queſtiones quinq; ſecundò; In propoſitionẽ cum ꝓbatione tertiò; In notandum cũ dubio quartò. Ad primi ſegmenti dilucidationem venio, & hanc concluſionem propono. Deus hominem, quem preſciuit decipiendum, ad laudabilius bonum tentari ipſe permiſit. Ad quam probandam manifeſtandamq; cõcluſionẽ in altero ſecto in ordine ſecundo, in dubium quinq; reuocantur, & primo ab inclytis viris, vna cum Magiſtro ſolet queri: Cur Deus hominem tentari permiſerit, quem decipiendum preſciuit? huic difficultati arbitror difficile minimè eſſe ſatisfacere; id enim totum permiſit Deus, ad humanæ naturæ dignitatem oſtendendum, nam nonne dignior conditio illa eſſe videtur, poſſe tentari, tamen non conſentire, quã nec poſſe tentari, nec poſſe conſentire? certè ſic. Hec ergo ratio fuit, cur Deus primum hominem tentari permiſſerit. Preterea: queri ſecundo ſolet. Cur Deus illos homines creauit, quos malos futuros preuidit? Nobiliſſimi Auditores, vobis queſo illud bonum inde venturum, quod nouerat Deus, ſuccurrat, tunc ipſa queſtio ceſſabit; nã permiſit illos tentari ad bonum inde eliciendum, quod nouerat venturum. At tertiò, vt magis curioſi, dicetis: cur Deus hominem impeccabilem non fecit? Ad hoc dici poteſt, pro tanto id eſſe factum, quia melius eſſet vtranq; naturam eſſe, ſcilicet eam, quæ peccare nõ poſſet, ſicut in ſanctis Angelis euenit per gratiam in gloria confirmatis, & eã, quæ peccare, & non peccare poſſet, ſi vellet, qualis in hominibus fuit; cum itaq; melius eſſet naturæ plures ponere modos, quã vnum

ſolum:

ſolum: hinc Deus hominem impeccabilem facere noluit. Vlterius dicetis vos: Deus, vel potuit ſola ſua voluntate eos à conſenſu ſaluare, vel non: ſi ſic: cur eos non ſaluauit? Ad hoc reſpondetur: maximo artificio id factum fuiſſe à Deo; ne igitur infructuosè boni viderentur, nec impunè mali: eos naturæ ſuæ relinquere voluit. At adhuc video ſubtilius, intimiuſq; rē perſcrutantes, vos dubitare dicentes. Cum Deus ſit omnipotens, cur eorum ad bonum voluntates non conuertit? Reſpondetur ad hoc, quia ſibi non placuit, nec voluit, cuius nolitionis vlterior cauſa non eſt quęrenda, quia prima eſt, & vltima. His duobus ſectis, tertium vt addatur, talis propoſitio ponetur. Deus mox hominem creatum, omni ſcientia ad ſuum pertinente, ſtatum repleuit; non per temporis interualla, nec per ſucceſſionem, vt accidit nobis. Vnde triplici, vt eſt videre in textu Magiſtri, primus parens cognitione pręditus fuit. Primò rerum cognitione propter ſe creatarum, quarum ipſe curam habiturus erat; & ideo eis nomina impoſuiſſe legitur: quā tamen cognitionem rerum, per ſpeciem non perdidit, ſed peccato perpetrato hanc retinuit; inſuper, ſecundò; Primus homo cognitione ſui creatoris dotatus fuit, non quidem enigmatica: at ꝑ quandam interiorem diuinitus inſpirationē, licet non ita clare, ſicut in patria; hanc non ſecus poſt peccatum retinuiſſe dicitur. Demum ſui ipſius cognitione eſt illuſtratus; nam ipſe ſciuit, ꝙ d ſuperiori debuit, quid alijs, quid ſibi; quam etiam poſt peccatum retinuit cognitionem. Expoſitis iam tribus punctis de quatuor à me propoſitis, accedam tunc ad vltimum, vbi notandum cum dubio declarandum. Quantum ad notandum dico, quod Homo ante peccatum, futurum ſui ſtatus

euentum,

euentum, non prę∫ciuit: pro intellectu cuius, quęri ſolet. Num primus homo ſcientiam habuerit eorũ, quæ circa ipſum futura erãt, ideſt. An prę∫ciuerit qualia bona habuiſſet, ſi perſtitiſſet: Inſuper. Num ante ruinam prę∫ciuerit, ſi lapſurus eſſet. Ad hoc vna cum Magiſtro dici poteſt, quod primus homo eorum ſcientiam acceperat, quæ agenda, & dimittenda fuerant: alias ſibi peccatum iniuſtè imputatum, ſiue aſcriptum fuiſſet: non tamen dici poteſt, quod ſui caſus prę∫cius, cuius ſimile ſupra diximus de Angelis corruentibus; quod teſtimonio beati Aug. ſuper Geneſim confirmatur, vt in textu Magiſtri eſt videre. Et hęc de tota perbreui facili, & vtili, ſatis dicta ſint diſtinctione, quam in ſequẽti examinabimus.

DE SCIENTIAE VARIIS ACCEPTIONIBVS. Lectio LXXXX.

QVoniam primo parenti inditam eſſe quandam ſcientiam ad cognoſcendum, quæ agenda, & dimittenda erant, in calce pręcedentis noſtri ſermonis diximus: iccirco ne quid vitio nobis dari poſſit, varias ſcientiæ acceptiones ſecundũ diuerſos in medium hodierna die adducemus. Solet igitur multipliciter accipi ſcientia vt notat Gerſon, vel pro habitu, vel pro animi ſenſu, & ex tali habitu procedente, quandoq; ẽt pro obiecto illius habitus, vel actus; & hoc dupliciter, ſicut obiectum quod ſcimus duplex eſt. Vnum eſt cõcluſio demonſtrata mentalis, vocalis, vel ſcripta. Aliud uerò eſt res ſignificata per cõcluſionem: vnum materiale obiectum uocatur; aliud formale. Quorum prędictorum

modorum

modorũ adhuc ſcientia dupliciter ſumi ſolet. Vno modo ꝓ unico, vel ſimplici tali habitu, vel actu, vel obiecto; alio modo, pro collectione multorũ huiuſmodi habituum, vel actuum, vel obiectorum; quemadmodum dicimus Phyſicam vnam eſſe ſcientiam, ſic Metaphyſicam, ſic Medicinam, & ſic de alijs. Secundum verò Gabrielem ſcientia ſolet capi quandoq; generaliter pro qualibet notitia, ſiue ſimplici, ſiue complexa, ſiue actuali, ſiue habituali. Et ſecundum eundem dupliciter ſcientia accipitur. Vno modo, pro notitia adheſiua ueri complexi, nata cauſari ex aliquibus pręmiſſis per demonſtrationem. Alio modo generaliter ꝓ omni notitia. Accipiendo ſcientiam primo modo, in nobis ſic per Deum: cõceditur: at in Deo non. Alio verò modo in Deo ſic; quia eſt Deus verè intelligens, & cognoſcens. Secundũ verò Ariſtotelem ſcientia dicitur habitus demonſtratiuus, vt ex primo Poſteriorum libro colligi poteſt, & hęc ex primis ueris, & neceſſarijs acquiritur, quatuorq; ſecundum Scotum includit; primo, quod ſit cognitio certa, hoc eſt, abſq; deceptione, & dubitatione; de cognito neceſſario cauſata; à cauſa euidenti, intellectuali; applicata ad cognitum per diſcurſum ſyllogiſticum. Inſuper ſcientia adhuc duplex eſt, ſpeculatiua, & practica. Speculatiua eſt de ſpeculabilibus: practica verò de operabilibus. Et hęc adhuc duobus dicitur modis: vno modo, ſcientia dicitur practica, quæ eſt de operibus, vt Philoſophia moralis, quæ eſt de operibus ꝓcedentibus à libera uoluntate. Alio modo practica dicitur, quia eſt de opere, & in opere: ſicut faber quando fabricat, dicitur habere cognitionem practicam fabricandi. Scientiæ deinde profectus conſiderari poſſe videtur, quo ad ſcibilia, vel quo

ad cognoſcendi modum, uel quo ad habilitatem maiorem in cognoſcendo; quibus omnibus modis, primus homo, ſi ſtetiſſet, in rerum cognitione profeciſſet, quamuis ad ſcibilia non profeciſſet, quantũ ad noui habitus acquiſitionem. Accepit enim ab exordio omnium rerum plenam notitiam, ſcilicet habitualem, quam Deus ei in principio ſuæ creationis infudit.: omnibus enim rebus nomina impoſuit naturalium rerum expreſſiua; tamen in earum rerum cognitione, quæ fiunt curſu mirabili, aut curſu uoluntario proficere potuiſſet, rerum nouas acquirendo cognitiones, prius non cognitarũ, ut dicit Hugo. Immo etiam quantum ad modum cognoſcendi; quia quod cognouit in habitu, poterat in actu cognoſcere, & quod cognouerat notitia abſtractiua, poterat etiam cognoſcere cognitione intuitiua; & quod intellectu cognouerat, nõ ſecus de nouo poterat cognoſcere ſenſu. Inſuper, quantũ ad habilitatem cognoſcendi profeciſſet, quia paratior ad iudicandum de his, quorum habebat cognitionem, pronior q; fuiſſet. Hęc mihi pauca pro maiori notitia eorum, quæ fuerant in textu à Magiſtro ſent. tacta proponenda, ac declaranda erant. In ſequenti ad alia properabimus.

VTRVM ALICVI CREATVRAE POTVERIT CONFERRI, QVOD IMPECCABILIS.
Lectio LXXXXI.

V*T rectè intuenti patet, circa iam explanatã diſtinctionem, queſita tria excitari poſſunt. Primum quorum eſt: Num potuerit alicui creaturæ conferri, quod impeccabilis*

bilis eſſet; Inſuper, num primus homo Deum per eſſentiam viderit; tertiò, num in ſtatu naturæ inſtitutæ idem decipi potuerit. Quantum ad primum, ſic arguitur: beati ſunt impeccabiles; poſſibile ergo fuit, creaturam inueniri impeccabilem. Deinde, vt Angelus Deum per gloriæ lumen videbit per eſſentiam, cur etiam impeccabilis primus nō potuit fieri homo? tandem Deus eſt omnipotens: ergo creaturam impeccabilem facere potuit: quare, &c. Ex alio latere videtur hoc impoſſibile eſſe reſpectu creaturæ, cui ſecundum naturā ineſt poſſe adhęrere, & non adhęrere ſuæ regulæ: non ergo, &c. Pro determinatione huius primæ queſtionis ſcire debetis: queſitum hoc dupliciter intelligi poſſe; vno modo abſolutè de creatura: an ſcilicet potuerit fieri impeccabilis: alio modo ſtrictè pro creatura intellectuali rationali, quæ eſt liberi arbitrij: ſi primo modo, perſpicuum eſt; Deū multas creaturas impeccabiles per naturam feciſſe, V. g. vt de irrationalibus exemplum habetis creaturis: ſi ſecundo modo, varijs hic dimiſſis opinionibus, hanc cōcluſionem pono, & dico: nullam per naturam creaturam rationalem intellectualem impeccabilem eſſe poſſe, ſaltem quo ad eligibilia, quæ deducuntur ex principijs legis ſupernaturalis fidei, vel diſciplinæ; licet videatur poſſe eſſe impeccabilis, ſolum quo ad dictamen rationis naturalis, ex altiore tamen principio. Nunc ad argumenta, & primo ad primum, dico: beatos quidem impeccabiles, ſed per gratiam, non per naturam eſſe: ſic argumentum ruit. Ad ſecundum, de viſione Angelorum per comparationem ad hominē, de facili habet cōcedi, hoc in primo homine potuiſſe fieri pgratiam ſic, non per naturam; nec hoc ex Dei defectu, at ex repugnantia

rationalis

rationalis creaturæ; & ita his vltimis verbis ad inſtantiam quid dicendum, clarum, & manifeſtum eſt; nam omnipotens quidem Deus eſt, ſed creatura non capax per naturam. Enodato primo quęſito accedit in ordine ſecundum; vbi quęritur. Num primus homo Deum per eſſentiam viderit. D. Aug. xiiii. de ciuitate Dei dicit, quod ſic: ergo. Inſuper Damaſcenus ait, quod in paradiſo primus homo beatam, & omnem diuitem vitam habuit: igitur, &c. Sed in oppoſitum ſe habet illud Ioannis. i. dicentis: Deum nemo vidit unquam: ergo. Pręterea, Deum per eſſentiam videre, comprehenſoris eſt, non viatoris: non ergo, &c. Pro dilucidatione, ac deciſione huius difficultatis, velim ſciatis: dùm loquimur de cognitione Dei, quam habuit Adam, vel habuiſſent alij in ſtatu innocentiæ: hoc duobus concipi poſſe modis. Vno modo ſecundum cõmunem ſtatum; vel ex priuilegio ſpeciali: ſi ſecundo modo, nulli dubium videri hoc debet: Deus enim ſe ipſi Adæ manifeſtare potuit, vel alijs, cui ipſe voluiſſet: at ſi primo modo loquamur de cognitione, quidam opinantur, Adam medio modo Dei cognitionem habuiſſe. His pręmiſſis, ad rationes accedo, & ad primã D. Aug. dico, quod ibi Aug. loco citatò, ita dicit, quod primo homini non deerat quicquam, quod bona uoluntas non adipiſceretur: at nihil melius bona voluntas adipiſci poteſt viſione diuinæ eſſentiæ: ergo hoc in ſtatu innocentiæ non deerat. Modo reſpondeo, quod bona voluntas eſt ordinata voluntas: at non fuiſſet ordinata uoluntas, ſi in ſtatu meriti voluiſſet viſionem Dei per eſſentiam habere, quæ oĩbus pro pręmio promittitur. Ad illud Damaſceni dicitur, quod primus homo in paradiſo beatã quidem habebat vitam, non tamen

ſecundum

ſecundum illam beatitudinem, ad quam erat transferendus, quæ in Dei viſione conſiſtit. Beatus ergo ſecundum quendam modum, quatenus integritatem, & naturæ perfectionem habebat abſq; miſeria, & repugnantia corporis ad animam, & inferiorum virium ad ſuperiores. Hęc illa ergo eſt beatitudo, de qua Damaſcenus intendebat. Duobus de tribus propoſitis quęſitis, accedit in ordine tertium, vbi inquiritur. Num in ſtatu innocentiæ primus potuerit decipi homo. Mihi, quod ſic, apparet; multa enim ignoraſſet in illo ſtatu, puta aliorum cogitationes, & futura contingentia, quare ſaltem circa huiuſmodi decipi potuit. Inſuper, nonne mulier dixit: Serpens me decepit? igitur, & alij potuerunt decipi. Pro intelligentia huius propoſiti negotij, duo conſideranda mihi occurrunt; quorum primum eſt, quod primi parentes mox procreati, ſiue perfecti formati ſunt ſecundum corpus, quantum ad quantitatem, & corporalem virtutem; & ſecundum animam quantũ ad ſcientiam ſpeculatiuam, & moralem, vt ſufficiebat ad regimen vitæ ſuæ, & filiorum ſuorum. Pręterea, quantum ad ſecundum, reſtat videre, Num decipi potuerint; certum enim eſt, quod, quamuis aliqua potuerint neſcire; errare tamen, ac decipi minimè potuerunt reſpectu tamen eorum, quorum cognitionem per ſcientiam habuiſſent; & hoc ratione principij intrinſeci, à quo pręſeruabantur, & reſpectu eorum, quorũ ſcientiam non habuiſſent ex diuina ſibi prouidentia aſſiſtente, ne falſis aſſenſum pręberent, pręſeruati fuiſſent; ex quibus primi ſolutio argumenti pendet. Ad ſecundum dicitur, quod mulieris ſeductio ſequuta eſt peccatum internæ elationis, qua peccauit, non prius ſeducta, ſed ex inconſideratione alicuius circunſtantiæ,

cunſtantiæ, quæ fuerat cōſideranda. Vnde Aug. xi. ſuper Geneſim dicit; quod mulier verbis ſerpentis non credidit, niſi iam ineſſet eius menti amor propriæ poteſtatis, quędam de ſe ſuperba pręſumptio: hinc dixit, Serpens me decepit. Et hęc ſatis; quibus libenter ſuperſedeo, vt in ſequenti ad vigeſimam quartam Deo duce valeam diſtinctionem accedere.

DE GRATIA HOMINIS, ETC.
Diſtinctio XXIIII.
Lectio LXXXXII.

AGgreſſuri hodierna die vigeſimam quartā diſtinctionem in ordine, nexum primo ponemus; deinde ad diuiſionem accedemus. Quo ad primum. Ex quo Magiſter magno verborū apparatu loquutus eſt, de primi hominis tentatione, per quam cecidit: cōſequenter agendum ei erat de potentia, per quam ſtare potuit, cuiuſmodi eſt liberum arbitrium. Paucis his poſito nexu verbis iter faciamus ad diuiſionem; diuidi enim poteſt pręſens diſtinctio in puncta nouem. In concluſionē primò; In inſtantias duas ſecundò; In alteram concluſionem tertiò; In dubium quartò; In corrolarium quintò; In vnum notandum ſextò; In rationis diuiſionem ſeptimò; In propoſitionem vnam octauò; Deniq; in notandum nonò. Quò ad primum, hęc ſit concluſio. Primus homo adminiculo gratię à creatione ſibi inditæ potuiſſet abſq; merito cuilibet tentationi reſiſtere; habuit enim ſibi inditum rectæ voluntatis auxilium, quo poterat reſiſtere malo, licet non ad gloriæ meritum:

meritum: cuius ratio de facili aſſignari poteſt; nam ſi tale auxilium habuiſſet, peccatum iuſtè ſibi non fuiſſet imputatum; Et hęc de primo puncto. In altero ſecundo in ordine, duæ ponuntur contra prędicta inſtantiæ; nam quęritur primò, quo modo talis uoluntas, rectà dici queat, cum primus homo nec meruit, nec ſtetit? inſuper cũ malo reſiſtere dicatur meritorium eſſe, & primus homo potuit reſiſtere, cur ergo non potuit mereri? ad has duas propoſitas dicẽdum uenit inſtantias, & primò ad primam; quòd primi hominis uoluntas recta fuit per mali carentiam: inſuper, quia per eam ad tempus ſtare uoluit. Ad ſecundam inſtantiam dici poteſt, quòd reſiſtere malo ſit quidem meritorium in natura corrupta, in qua q̄d eſſe videtur impellens ad malum; at non ſic euenit in natura integra, in qua ſuit auxilium includens oĩum animæ potentiarum rectitudinem abſq; quocunq; impellente ad malum: Et hęc de punctis duobus. In tertio altera ponitur concluſio, quæ talis. Auxilium, quo homo in illo ſuo primo ſtatu poterat peccatum euitare, liberum fuit arbitrium pertinens ad ſuperioris rationis portionem: ad quã probandam, Magiſter ſent. concluſionem, quarto quęrit loco, per illud auxilium, quo poterat homo peccatum effugere, quid ſit intelligendum: ad quod dici poteſt, fuiſſe liberum arbitrium, quod nil aliud eſt, quam rationis, & uoluntatis facultas, qua bonum eligitur cum gratia, & malum ſine gratia. Et vocatur liberum, quantum ad uoluntatem, & dicitur arbitrium, quo ad rationem, ad quam potentia diſcernendi ſpectat. Hic ergo libenter rationis officium vobis aperirem, ſi me audiretis; nam primum eſt comprehendere; & ſecundum hoc, dicitur intellectus: ſecundum ratiocinari; ſic

dicitur vis rationalis: tertium diſcernere; ſic propriè eſt ratio: quartum media inuenire; ſic ingenium dicitur: quintum eligere; ſic eſt uoluntas: ſextum ſimul diſcernere, & eligere; ſic vocatur liberum arbitrium: ſeptimum cęleſtia cōtemplari; ſic dicitur ſynderesis, ſiue ſuperior pars rationis, vt ſuo loco intelligetis: hoc aūt officium perficit ſapientiæ donum, & intellectus: octauum eſt inferiora diſponere; ſic inferior rationis pars dicitur, quod officium regit ſpiritus cōſilij, & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis. Spiritus verò timoris vtrunq; moderatur. Poſt hęc quinto ſequitur loco corrollarium ad liberum pertinens arbitrium, quod dicitur rationalis naturæ potentia, qua poteſt velle bonum, vel malum vtrunq; diſcernendo: quo bruta carent animalia; & ſic tantùm ſenſum, & appetitum, qui ſenſualitas dicitur, habent. Hinc ſexto venit notandum apponendum loco, de ſenſualitate, & ratione, quæ ſunt vires animæ duæ, abinuicē differentes: ſenſualitas enim corporis ſenſus, & corū reſpicit appetitus: ratio uerò quędam vis animæ ſuperior eſt, omne illud excedens, qđ cum brutis commune habemus. Cuius quidē rationis duplex dicitur eſſe portio, vt eſt uidere in ſegmento ſeptimo; vna inferior, q̄ tēporalia diſponit: altera ſuperior, q̄ bonis ęternis cōſpiciendis intēdit; & licet hæ duæ dictæ ſint portiones; ob id duas animæ eſſe potētias nec credere, nec arbitrari debetis: vna .n. potētia animæ eſt, diuerſa tamen illius sūt officia; Et hęc de ſeptē punctis. In octauo hęc ponitur ꝓpoſitio. Tunc mortaliter, vel venialiter peccare dicimur dū, vel in opus, uel in culpæ delectationē, cōſenſum damus; vt.n. euenit primis parētibus, ita & nobis, quo ad peccare: ibi inueniebatur ſerpens mulieri ſuadens, deinde mulier

uiro:

viro: ita, & in nobis ſenſualitas ꝑ modũ ſerpentis, rationi ſuadet ſuperiori; Nam ratio ſuperior, & inferior ſe habent ſicut vir, & mulier; quia, ut vir à muliere ſeductus fuit, ita ratio ſuperior ab inferiori quandoque; inde de ſuperiori ad inferiorem deducitur; quare, &c. Decipitur. Nono, & vltimo, ut preſens claudatur diſtinctio, notandum nobis proponitur certum, & eſt tale, quòd motus ad peccandum, qui ſolum eſt in ſenſualitate, veniale peccatum eſt, at ad rationem perueniens ſuperiorem, tunc mortale eſt. Vnde conſiſtens non dici in ratione inferiori, licet veniale dicatur, attamen tunc mortale, ſi in eo diu teneatur. Quæ omnia authoritate beati Aug. comprobantur, vt patet in textu Magiſtri: Et hęc ſatis pro pręſenti.

DE RATIONE, ET SENSVALITATE.
Lectio LXXXXIII.

M*Vlta equidem mihi dicenda eſſent pro intellectu prædeclaratæ diſtinctionis; at ne fiat repetitio, principalia transferam in ſubſequentem diſtinctionem, & in pręſenti duo tantùm explicabo; rationis ſcilicet ſignificata primò; ſenſualitatiſq; naturam ſecundò; de quibus mentio facta fuit à Magiſtro. Quantũ ad primum: multis ſolet ratio accipi modis: primò, pro diffinitione, vel deſcriptione, ut patet apud Philoſophũ in ante predicamentis, vbi de ęquiuocis agitur, & vniuocis; ſecundò, ꝓ oratione oſtendente aliquid, vt ſunt ꝓpoſitiones, vel diſputantium rationes: tertiò, pro eſſentia communi pręedicabilis, vt generis, vel*

ſpeciei eſſentia; quartò, ſumitur pro medio concluſionem inferente; quintò, pro forma materiæ, V. g. vt eſt diſpoſitio inducta in ferro, ſecundum quam ille gladius dicitur; poſtremo pro virtute animæ; & dicitur vis intellectiua, quæ ſic ab Aug. libro de ſpiritu, & anima deſcribitur, dùm dicitur; quod eſt mentis aſpectus, qua bonum, malumq; diſcernit, virtutes eligit, & Deum diligit. Vnde ratiocinari, eſt procedere de vno intellecto, ad aliud intellectum ad ueritatem intelligibilem cognoſcendam. Hinc ratiocinatio, quæ eſt diſcurſus intellectus, ab vno in aliud, à principio ad concluſiones, ut in ſyllogiſmis, & conſequentijs; & hęc ſolet diſtingui in ſuperiorem, & inferiorem, ſecundum officia diuerſa; nã ſuperior circa ęterna, & inferior circa temporalia verſatur: ab alijs nuncupatur portio ſuperior, & inferior; portio quaſi partio, nam partem ſignificat; cuius diminutiuum eſt portiuncula. Superior portio eſt dumtaxat reſpectu ęternorũ: portio uerò inferior, ſecundum beatum Aug. xii. de Trin. eſt circa exteriora, ſiue temporalia. Portio adhuc ſuperior dupliciter accipitur, vno modo, largè, alio modo, ſtrictè: primo modo, ſe ad ęterna, & temporalia extendit, ut ad ęterna tamen ordinata; ſi ſecundo modo, dicitur ea uis rationis, quæ circa æterna verſatur, tanquam circa obiecta, non circa temporalia, circa quæ, ratio inferior, ut circa obiecta. Vnde cognitio, qua cognoſco Deum trinum, & vnum, & cętera ad Deum pertinentia, ad portionem pertinet ſuperiorem; at illa cognitio, qua cognoſco creaturam, portio inferior dicitur: unde illa ſuperior recta tunc temporis dicitur, quando diuinæ conformis eſt uoluntati: nõ recta uerò portio, ſiue ratio, quæ culpabilis eſt. V. g.

quando

quando faciendum dictat eſſe, quod tamen non ſit faciendum. Et hęc de primo puncto; vbi ſatis abundè loquuti ſumus de ſignificatis rationis, quæ in textu Magiſtri ſent. ſumebatur pro potentia animæ, alijs dimiſſis ſignificatis. Nunc agendum mihi eſt de ſenſualitate, quæ dicitur eſſe quędam vis animæ inferior, ex qua eſt motus, qui intenditur in corporis ſenſus, atque rerum appetitus, pertinentium ad corpus: cuius deſcriptionis ratio iſta aſſignatur; quia ſenſualitatis motus in duo tendit; V. g. in ea, quæ ſecundum ſenſus exteriores delectabilia ſunt; hinc eſt, quod ex ſenſualitate ſit motus, qui intenditur in corporis ſenſus, aut ad ea, quæ corpori nociua, vel corpori conuenientia, ſecundum ſolam extimationem; & ſic ex ſenſualitate dicitur appetitus rerum ad corpus pertinentium. Sed hic notandum, duo ſenſualitati attribui, motum ſcilicet, & appetitum: & licet vna ſit potentia, nihilominus plures eius ſunt actus, non ęque primi, at ſecundum ordinem ſe adinuicem habentes, V. g. appetitus interior motum cauſat exteriorem; & ita vnus altero mediante à ſenſualitate procedit, ita quod ſenſualitas ſit inclinatio quędam ad corporis ſenſus, dùm ea appetimus, quæ per corporis ſenſus apprehenduntur: vnde duo ad ſenſualitatē pertinent, ſcilicet corporis ſenſus, quaſi pręambulum; & inclinatio, vt motus conſequens apprehenſionem ſenſitiuam. At dicetis vos: cum ſenſualitas ſit appetitus, quiſnā erit appetitus? multiplex enim eſt. Ad huius euidentiam uelim ſciatis, triplicem inueniri appetitum, naturalem; rationalem; & ſenſibilem. Primus naturalis, & eſt inclinatio naturæ in rem, vel in locum ſibi conuenientem, abſq; propria apprehenſione; licet ſequi dicatur apprehenſionem, inſti-

tuentis naturam. Sic appetitus naturalis lapidis dicitur motus, vel inclinatio deorſum. Secundus appetitus rationalis eſt, & talis eſt voluntatis inclinatio ad bonum abſolutè. Tertius appetitus ſenſibilis eſt; & talis inclinatio, ſiue motus appetitus ſenſitiui, in rem ſub tali, vel tali conſideratione, puta vel quia eſt vtilis, vel delectabilis; ita quod appetitus ſenſitiuus inclinatur, vel fertur in aliquid duplici ratione, prima eſt, quia illud, ad quod inclinatur, naturæ cõueniens eſt; vt cibus, vel potus, & alia huiuſmodi corpori neceſſaria. Altera ratio, quia illud ſit cõueniens ſenſitiuæ potentiæ, vt color pulcher, qui viſui delectabilis, & viſui ad videndum cõueniens: ita de ſono, reſpectu auditus dicendum, &c. Ex quibus habet concludi in his tribus appetitibus quidam gradus; nam appetitus naturalis omnibus appetitibus inferior eſt; & ratio aſſignatur; quia abſque apprehenſione in aliquod ſibi conueniens fertur: rationalis verò appetitus ſuperior eſt ſenſibili, eò quia abſolutè fertur in bonitatem rei: ſenſibilis deinde appetitus ſuperior eſt naturali; quia fertur in aliqđ mediante propria apprehenſione, ſcilicet notitia ſenſitiua. Hęc aũt ſenſualitas in primorum parentum tentatione diuerſimodè figurari dicitur ſecundũ Aug. lib. ii. dę Trin. nam vir iſte ſerpentem ſenſualitati comparauit, mulierem verò inferiori rationi, & virum rationi ſuperiori. Quantum ad primũ, quia Serpens non ſolum oſtendit, & propoſuit mulieri peccatũ, vel pomũ, verũ ẽt inclinauit mulierẽ in peccati affectũ. Quantũ ad ſecundũ, q. a Serpenti mulier acquieuit, id eſt ſenſualitati. Quantũ ad tertium, q. a vir occaſione Serpentis ad peccatũ allicientis ratione ſua conſenſit. Et hęc de pollicitis. In ſequenti, ad alia accedemus.

DE SENSVALITATE, ET SENSIBILITATE COMPARATIVE.

Lectio LXXXIIII.

AD maiorem euidentiam eorum, quæ dicta ſunt in ſuperiori ſermone à nobis tria alia in præſenti maxima conſideratione digna perpendemus, quorum primum erit ſpectans ad differentiam ſenſualitatis, & ſenſibilitatis; Alterum, ad ſpecies ſenſualitatis duas; Tertium, & vltimum, ad obedientiam, quam ipſi rationi, cui ſenſualitas ſubijcitur, reddit. Circa primum paucis dico: ſenſualitatem, & ſenſibilitatem inter ſe differre, vt genus, & ſpecies; ſenſibilitas enim oẽs vires ſenſitiuas apprehendit, tàm apprehenſiuas deforis, quàm deintus, quam etiam appetitiuas. At ſenſualitas magis propriè illam tantum partem nominat, per quam animal mouetur in aliquod appetendum, vel fugiendum; Et hęc de puncto primo. In altero conſideranda venit ſenſualitas, vt vna potentia, quæ tamen in iraſcibilem, & concupiſcibilem diſtingui habet: concupiſcibilis uerò potentia ſenſitiua illa, quæ ſibi conuenientis appetitiua eſt, & proſecutiua, & ex cõſequenti inconuenientis fugitiua. Habet ergo talis potentia ꝓ obiecto, quid ſibi conueniens ad proſequendum, & diſconueniens ad fugiendum. Altera, vt iraſcibilis, impedientis expulſiua uis nuncupatur; cuius obiectum arduum eſt, & difficile, ipſum repellendo. Harum autem, quæ nobilior? Reſpondetur, quòd irraſcibilis, q̃ a eſt defenſatrix rationi magis affinis, magiſq; laudabilis: primò, quia ipſa inſurgit contra ea, quæ impediunt conuenientia, quæ ipſa

concupiſcibilis appetit. Secundò, quia iraſcibilis eſt magis affinis rationi, vel magis rationabilis, quoniam voluntati, quam concupiſcibilis, proximior: cuius ratio eſt, quia ad concupiſcibilem pertinet proſequi delectabile; at iraſcibilis derelicto delectabili victoriam appetit, quam cum dolore conſequitur: ergo. Tertiò iraſcibilis eſt magis laudabilis, quam concupiſcibilis, quod per eius oppoſitum patet; nam incontinens iræ minus turpis, quam incontinens concupiſcentiæ. Nunc videre ſupereſt tertiò, quo modo ſenſualitas rationi ſubijciatur, & obediat ei: ut ergo motor inferior à ſuperiori mouetur, & regulatur, ita ſenſualitas habet à ratione, vt à ſuperiori regulari. Inſuper, vt euenit in corporibus cęleſtibus, ita in propoſito; at ibi ſphera ſuperior mouet inferiorem: ergo appetitus ſuperior, ideſt uoluntas habet inferiorem, puta ſenſitiuum mouere: tertiò vt in exercitu, ita hic; at ibi progredi ad bellum, vel non progredi, totum ex ducis uoluntate dependet; ita hic in nobis, ſcilicet exteriora membra, nec mouentur, nec quieſcunt, niſi ad imperium eius, quod dominatur, videlicet ad rationis imperium, & voluntatis, quæ membra inferiora retinere poteſt, ne perficiatur peccatum ſenſualitatis. Vnde ſenſualitati humanæ naturale eſt moueri, ſecundum rationis regulam, & voluntatis. Et hęc de pollicitis.

AN ACTVS, VEL HABITVS, SIVE ANIMAE POTENTIA ILBERVM SIT ARBITRIVM.
Lectio LXXXXV.

QVęſita quędam propoſito inſeruientia noſtro in pręſenti ſermone proponemus. Quorum primum ſic ſe habebit:

an

an liberum arbitrium, actus, vel habitus, ſiue animæ potentia nuncupandum. Inſuper. Num paſſiua potentia purè ta'is libera eſſe poſſit. Circa prima audeo fateri, liberum arbitrium habitum eſſe, nam quo modo redditur facili potentia ad actum, niſi per habitum? liberum itaq; arbitrium, quod ſit habitus dicendum. Non ſolum habitum liberum eſſe arbitrium cenſeo, verum etiam actum; Omnem enim voluntatis actum aliquis rationis actus precedere dicitur: ſi ſic: ergo deliberatio, cõcluſioq; deliberationis; qui actus primi ſunt liberi, minimè in poteſtate noſtra erunt, niſi alijs mediantibus actibus: liberũ ergo arbitrium actus videtur poſſe dici. Ex alio latere, totum ſecundum rei veritatem oppoſitum videtur eſſe dicendum; Omnium enim actuum noſtrorum, qui in poteſtate noſtra ponuntur, principium libera voluntas dicitur, non actus: igitur, &c. Pro determinatione igitur huius difficultatis, velim vnum ſupponatis; liberum ſcilicet arbitrium nequaquam habitũ, vel actum eſſe, ſed bene principium omnium actuum liberorũ: quo ſtante, argumenta formata de facili ruent; & maximè primum, hac diſtinctione premiſſa de facilitate, quæ duplex eſt: vna, quam ponit habitus circa difficilia, de qua in preſenti nõ eſt ſermo: altera verò eſt facilitas intellectus, & voluntatis in acceptando, vel reſpuendo: primo modo, argumentum currit; at ſecundo modo, non: Ad ſecundum argumentum, maior negatur, & ratio aſſignatur; quoniam tàm concluſio deliberationis, quàm deliberatio in noſtra dicuntur eſſe poteſtate per nudas potentias, & nõ per aliquos actus ad hoc ſe habentes in ratione principij actiui; ſic argumentum ex ſuppoſito falſo redditur nullum, & remanet liberum arbitrium,

animæ

animæ potentiam eſſe nuncupandum. Num verò potentia purè paſſiua libera eſſe queat libertate arbitrij hoc ſecundo loco debet inquiri. Mihi ſanè pars affirmatiua ſuſtinenda videtur: vt enim dicunt Phyſici, potentiæ paſſiuæ conditio eſt ſe ad vtrumlibet habere; at liberum arbitrium ſic ſe habet: igitur potentia videtur debere dici purè paſſiua. Inſuper, vt materia ad formas, ita liberum arbitrium ad actus; at illa paſſiuè ſe habet: igitur, & liberum arbitrium ad actus ſuos. In oppoſitum ſe habet D. Aug. de lib. arb. lib.1. vbi apertè fatetur: nos actiuè, quãtum ad bonum, vel malum, quod facimus, concurrere: quare, &c. Pro reſponſione duo prænotanda erunt; primum eſt, quòd quæſtio iſta intelligenda eſt non de libertate abſoluta, at de libertate arbitrij, vt magis patebit in ſubſequentibus, quando agemus de differentia libertatis abſolutæ, & libertatis liberi arbitrij: hęc enim differunt; quia libertas abſolutè capta, in plus ſe habet, q̃ libertas arbitrij: nam illa in omni creatura inuenitur intellectuali; hęc aũt in creatura, quæ in actum poteſt ſuum, & oppoſitum. Alterum in ordine ſecundum prænotãdum reſpicit actus, qui ſunt in duplici diſcrimine, quidam enim imperati dicuntur à voluntate, V. g. vt currere, vt ędificare, vt manum mouere ad bonum: eliciti verò ſunt, vt deliberare, ſiue deliberatio, & deliberationis concluſio, nec non voluntatis electio. His ita poſitis, quęſtio nõ debet intelligi de actibus imperati libertate arbitrij; at ſecundo modo ſic. Sed dicetis, cur non primo modo? Reſpondetur ad hoc; quia tales actus ſunt potentiæ paſſiuæ, & receptiuæ in potentijs organicis, & ſenſitiuis. Intelligatur itaque quęſtio de illa libertate neceſſitatem, & coactionem excludente.

Nunc

Nunc ad argumenta accedo, & ad primum, maiorem ſic expono; quòd conditio potentiæ paſſiuæ, ſe habeat ad vtrumlibet, quæ conditio eſt non valentis aliquid agere ad ſuã determinationẽ: modo liberum arbitrium, ſiue libera voluntas in recipiendo, licet paſſiua dicatur; in eliciendo tamen actumq; ſuum ꝓducendo, nõ paſſiua, ſed actiua eſt: quare non merè paſſiua, vt ſomniarunt quidam. Ad illud, de materia; Reſpondetur: currere quidem argumentum, quantum ad recipere; quantum ad agere neutiquam; vt ergo materia in potentia ad formas, ita liberũ arbitrium. Differunt deinde in hoc, quia non concurrit actiuè materia ad formas, at liberum arbitrium ad actus ſuos ſic; ideo, quid circa materiam hanc tenendum ſit, patet his paucis.

NVM IN NOBIS MAIOR LIBERTAS RESPECTV ACTVS VOLENDI, AVT intelligendi?

Lectio LXXXXVI.

INquiram duo alia hodierna die non magno verborũ apparatu (Nobiliſſimi Auditores) quæ, quantæ vobis vtilitatis futura, intelligetis. Primo ergo dubitatur, penes quem actum in nobis libertas maior eſſe dicatur: an volendi, aut intelligendi. Inſuper, Num ratio ſuperior, & inferiori, de quibus egimus ſupra, vna tantum ſit potentia, vel duæ. Quo ad primum dicitur, quòd voluntas, cuius eſt eligere; cum itaq; electio ſit voluntatis non intellectus, iccirco libertas maior, penes hunc actum, quam intelligendi

actum.

actum. Secundo in voluntate ponitur peccatum: ergo magis liberi per voluntatem, quã ꝑ intellectum. Tertio, voluntas cogi non põt in aliquo actu ſuo; at intellectus ſic, per demonſtrationem: ergo maior libertas attendenda penes actum volendi, quã intelligendi: hoc idem confirmatur per Anſelmum in principio de lib. arb. ergo. In oppoſitum, quidam alij arguentes dicunt: libertatem maiorem deſumendã eſſe ab actu intellectus, quia ipſe cognoſcit, at voluntas nõ. Inſuper, quia intellectus uidetur eſſe potentia magis indifferens ad oppoſita. Tertio, quia intellectus minus pendet à uoluntate, ſed è conuerſo, nam, vt ad actum exeat ſuum intellectus, non videtur actum uoluntatis præexigere; liberior ergo actus intellectus actu uoluntatis, inde maior libertas in nobis penes intelligendi actum, quam volendi, ponenda videtur. Pro determinatione huius quæſiti debetus ſcire: quæſtionem hanc præcisè motam eſſe, & directè, de libertate arbitrij, quæ libertas ad præſens tribus capitur modis: vno modo pro carentia ordinis ad aliud, tanquam ad finem; ſic liber dicitur ille, qui eſt gratia ſui finaliter. Secundo libertas accipitur ꝓ carentia, vel immunitate à coactione in cognoſcentibus. Tertio, pro immunitate à neceſſaria determinatione, reſpectu oppoſitorum; & nihil aliud eſt, quam facultas ad oppoſita, quæ ad voluntatẽ ſpectat. Nunc ad argumenta, vt paulatim, ſufficienterq; reſpondeamus, Ad primum dicemus, ueritatem concludere. Nec obſtat illud aduerſariorum dicentium, electionem primum minimè uoluntatis eſſe actũ, ſed intellectus iudicantis electionẽ; quibus hac perpulchra ſatisfaciendũ eſt diſtinctione, de duplici electione: vna iudicantis, altera terminantis: primo modo intellectui poteſt

aſcribi,

aſcribi, non ſecundo modo, ſed uoluntati. Nec propterea magis liberi nos poſſumus dici penes actum intelligendi, ſed volendi ſic. Argumentum deinde ſecundum verum eſt; & licet aduerſarij dicant, hoc non poſſe fieri ſine actu intellectus regulantis voluntatem, his de facili reſpondentes, dicimus: cõcurrere vt à quo actũ intellectus, non vt in quo: ſic ruit illorum opinio. Tertium argumentum cõceditur, vt verum, dicant aduerſarij quicquid velint, de coactione diſtinguentes propriè, vel communiter, ſcilicet. Pro aſcenſione, ac pro vi: nil enim contra nos habent, quia re vera, dicitur intellectus cogi poſſe, ueritati aſſentire, vt fuerunt Philoſophi veritate coacti. Ad inſtantias uerò adductas, quod maior ſit libertas ex parte intellectus, q̧ a cognoſcit, & quia magis ad oppoſita, indifferens ſe habet; & quia minus dependet à uoluntate; breuibus quid dicturus, audite; nam primam concedo in iudicando, at in eligendo, nego rationem. Ad ſecundam dico, magis indifferentem eſſe ad oppoſita, ad talem potentiam pertinentia; aliter nego. Ad tertiam fateor, uoluntatem intellectũ terminare; ſicq; pręexigere actum uoluntatis, quo ad terminari, licet non quo ad iudicare; & ita quęſtio prima iam dilucida apparet. Altera ſubſequitur, dùm quęritur: an ratio ſuperior, & inferior vna, vel duæ, ſint potentiæ. Quod duæ ſint, luce clarius videtur; nam regulans, & regulatum, ſunt duo: ergo duæ in propoſito ſunt tales potentiæ; quia ſuperior regulat, & inferior regulatur. Pręterea; habent obiecta diuerſa; duæ ergo. Aſſumptum ex prędeclaratis clarum, nam ſuperior intendit ęternis, inferior verò temporalibus. Pro determinatione huius quęſtionis, ſcire debetis: quòd ratio nominat poten-

tiam

tiam diſcurſiuam à principijs ad concluſiones: principia autem ex quibus diſcurrit ratio, quãdoq; practica, vel ſpeculatiua; vel ſunt accepta naturaliter, ſicut in ſpeculabilibus V.g. De quolibet verũ eſt, eſſe, vel non eſſe; & Omne totum eſt maius ſua parte, & in practicis, dùm dicitur, Nihil inhoneſtum eſſe faciendum, vel ſunt accepta ex reuelatione, V.g. quod Deus eſt trinus in perſonis, & in eſſentia vnus, & ſic de alijs articulis, quo ad ſpeculabilia; & ſimiliter, quo ad operabilia, vt puta, quod Nihil ſit cõmittendum, quo uita ęterna amittatur. Vnde ratio ſuperior, & ſpeculatiua dicetur, quando intendet ęternis conſpiciendis, quo ad ſpeculationem, vel conſulendis, quo ad operationem; quo ſecundo modo, practica cenſenda; vtrunq; igitur includunt ſpeculatiuum ſcilicet, & practicũ, ratio tàm ſuperior, quàm inferior; licet cõmunibus eis vtamur, pro ut pertinent ad praxim, ſiue operationem. His pręmiſſis, ad rationes duas formatas reſpondeamus ſic; & primo, ad primam, ſuperiorem rationem regulare inferiorem, non tamen vt potentia potentiam; at ſolum per actum ſuperioris rationis, finem altiorem conſiderantis. Vnde inferior regi dicitur à ſuperiori, vt accedentis ad finem ſub fine. Vel aliter dicatis; quòd ratio ſuperior, & inferior, ſi diſtinctè ſumantur, V.g. pro potentia ſenſitiua, & intellectiua, certè hoc modo inferior habet regi à ſuperiori, & duæ ſunt diſtinctæ, non vna. At ſi ſumatur ratio ſuperior, & inferior pro eadem potentia, diuerſa tamen habens officia, tunc vna, in quo habet eſſe. Diuerſi tamen erunt reſpectus: quare vna; & officia diuerſa. Vna, ſed obiecta diuerſa. Vna ergo re, munere verò duæ; ſecunda ratio, ex dictis redditur manifeſta, nam conceſſum

ceſſum fuit, quod ab intra, ratio ſuperior, & inferior, ſunt vna, non duæ, ab extra verò munera habent diuerſa, & ecce obiecta.

NVM IN SENSVALITATE ALIQVOD MORTALE PECCATVM ESSE POSSIT. Lectio LXXXXVII.

ADhuc alia duo queſita proponenda, ac percurrenda accedunt. Quorum primum ſenſualitatem reſpicit. Alterũ verò moroſam delectationem. Solet igitur primo quęri. An mortale peccatum aliquod in ſenſualitate poſſit inueniri. Oppoſita habent fieri circa idem (vt pro parte affirmatiua arguamus ad queſitum primum) ſed uirtus, & uitium contrariantur, & virtus in ſenſualitate ponitur, ſicut patet de temperantia, & fortitudine per Philoſophum, tertio Ethic. ergo mortale peccatum aliquod in ſenſualitate ponendum. Inſuper, nonne circa ſenſualitatis obiecta, mortaliter peccare cõtingit? ſi ſic: ergo actus ſenſualitatis mortale peccatum eſſe poterit; ut patet circa delectabilia carnis. In oppoſitum ſe habet D. Aug. contra fauſtum, dùm dicit, quod peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem ęternam. At hoc ad portionẽ inferiorem minimè pertinet: quare in ſenſualitate mortale peccatum eſſe non poterit. Pro determinatione huius quęſiti, duo notanda ſunt; quorum primum eſt, quid per ſenſualitatem intelligendum ſit: Inſuper, quid mortale, & quid ueniale peccatum. Quo ad primum. Senſualitas nominat appetitum ſenſitiuum, vt alias fuit dictum, qui in motu minimè expectat ſuo rationis deli-

berationem,

berationem, ſed dicitur eā preueniens: ideo corruptionis perpetuæ eſſe dicitur. Quantum ad ſecundum; mortale peccatum deuiatio eſt à lege æterna, vel naturali, vel quacunq; alia iuſtè poſita, & mortale nuncupatur, quoniam pœnam æternam meretur. Veniale verò illud, quod damnationem minimè æternam meretur. His ita premiſſis, concluſio ponenda venit talis. In ſenſualitate ſecundum ſe, nullum poteſt eſſe peccatum, nec mortale, nec veniale; at ex negligentia rationis, bene veniale ibi poterit eſſe. Nunc ad rationes adductas, vt reſpondeamus, negandum eſt, virtutem habere eſſe in ſenſualitate, propriè loquendo de ſenſualitate; quia uirtus non eſt ſine electione; at ſenſualitatis motus electionem precedunt, nec nō rationis deliberationem, quare, &c. Ad illud verò Philoſophi dicitur, quòd aliud eſt loqui de appetitu ſenſitiuo, & aliud de ſenſualitate: primo modo, intelligi debet Ariſtotiles, dùm temperātiam, & fortitudinē ponit in ſenſu, ideſt in appetitu ſenſitiuo (vt obedit rationi) at ſecundo modo, nequaquam. Primum ergo argumentū laborat in equiuoco. Ad ſecundum de obiectis dico, accidere poſſe peccare mortaliter ex genere actus, non tamen ſenſualitatis motus propter hoc mortale peccatum dici debet, & hoc propter ſuam imperfectionem, quia deliberationem preuenit. Ad illud Aug. dicitur, quòd diffinit peccatum mortale ſolum, quod nunquam committitur, niſi ex conſenſu, vel negligentia ſuperioris partis. Et hec de primo dubio ſatis. Accedit alterum, dùm queritur. An moroſa delectatio, quam quis dicitur habere cogitando de peccato mortali, peccatū mortale ſit. Mihi ſanè, quòd nō, videtur, nam ego cogito de adulterio, vt adulteros reprehendā in cōcione, nec hoc faciendo

pecco:

pecco: igitur, &c. Preterea in actu matrimonij datur delectatio, nec ob id ibi mortale peccatum: quare, &c. In cōtrarium dicetis vos: cur ergo homines damnantur pro delectatione peccatorū, quæ ipſi comittunt, & alias comiſerunt? videtur ergo, quod delectatio moroſa ſit mortale peccatum. Pro determinatione huius queſiti ſcire debetis, quod quemadmodum duplex datur apprehenſio, ita duplex delectatio: quędam enim ſimplex eſt, & eſt hęc obiecti ſolum, V. g. cum quis cogitat de fornicatione: altera dicitur reflexa, q̃ in actu: ſic eſt duplex delectatio hos duos conſequens actus, dupliciq; huic correſpondens apprehenſioni; tunc dicendum, quod quando moroſa delectatio ſimplicem ſequitur cogitationis actum de fornicatione, vel alio peccato mortali, ſemper eſt mortale, & ratio aſſignatur; quia omnis complacentia voluntatis deliberatiua in aliquod mortale peccatum, mortale eſt; at delectatio moroſa ſic ſe habet: ergo. Eſt etiam complacentia delectationis, quia eſt moroſa, voco enim moroſam delectationem, quæ ſupponit deliberationē directè, vel indirectè. Datur etiam complacentia in actum, ſcilicet peccati mortalis, quia in illud ſolum fertur voluntas per delectationem, quod apprehenſum eſt per rationem. Delectatio verò actum ſequens reflexum de duobus, vt norunt periti, eſſe pōt, ſicut & cogitatio, ſcilicet de principali obiecto, puta de fornicatione, & ſecundario, ſcilicet de cogitatione, quæ duo ſe habent obiectiuè ad actum reflexum. V. g. cum aliquis cogitat ſe cogitare de fornicatione. Et ſi ſit cogitatio de principali obiecto, mortale erit peccatū per rationem ſuperius factam. Si verò ſit de cogitatione, tunc non ſemper eſt mortale, ſed veniale. V. g. cum quis ſola cogitatione

talia cogitat, & delectatur de tali cogitatione. Quandoq; etiam non eſt peccatum, immo meritum; vt cum quis vtiliter de huiuſmodi cogitat, volens prędicare, aut diſputare: talis enim non videtur delectari de peccato, ſed benè de rationibus ab eo excogitatis contra peccatum; ſub quo ſenſu currit argumentum primum formatum. Ad illud de delectatione in matrimonio dicitur; quod delectatio, vel eſt ordinata, vel inordinata: ſi primo modo, quia eſt circa illud, quod habet, hinc mortale non eſt peccatum: at ſi ſecundo modo, vt in fornicationis actu patet, aliter dici debet. Argumentum itaq; primo modo conceditur; at ſecundo modo non. Quo modo argumentum in oppoſitum non negatur. Et hęc de pollicitis.

IAM VERO AD PROPOSITVM, ETC.
Diſtinctio XXV.
Lectio LXXXXVIII.

HActenus in genere de libero loquuti ſumus arbitrio, vt̃ habet in oĩbus in generali inueniri. Conſequenter nunc de eodem, vt in quibuſdam inuenitur, in ſpeciali agendum; vbi decem proponuntur, in quæ pręſens vſurpatur diſtinctio. In concluſionem primò: In probationem ſecundò: In illatum tertiò: In vnum notandum quartò: In vnum dubium quintò: In vnum corrolarium ſextò: In alterum notandum ſeptimò: In propoſitionem octauò: In queſitum cum diuerſis opinionibus vnum, vna cum determinatione nonò. Deniq; in concluſionem cum probatione decimò. Quantum ad primum. Hęc ſit concluſio. Liberũ

arbitrium,

arbitrium, quod ſolum eſt reſpectu futurorum contingentium in viatoribus aliter in Deo, aliter in Angelis, & aliter in hominibus eſt. Hanc volens ſecundo probare Magiſter concluſionem loco, docet, quo modo à Philoſophis ſit deffinitum liberum arbitrium; ij enim liberum arbitrium liberum eſſe de voluntate iudicium dixerunt; eo quia liberè queat moueri ad hoc, vel ad aliud. Non ergo videtur arbitrij libertas attendenda reſpectu pręſentium, aut prę-teritorum; quoniam pręſentia, atq; pręterita iam ſunt determinata, nec voluntatis noſtræ facultati ſunt ſubiecta. Solum ergo reſpectu futurorum contingentium, quæ humanæ ſubſunt poteſtati, liberum debet arbitrium ponderari. Hinc tertio uenit illatum apponẽdum loco de libero arbitrio; quod diſſimiliter in Deo eſt in nobis, & in Angelis beatis; nam in Deo oĩno liberũ arbitrium ponitur à ſeruitute peccati: in Angelis uerò beatis confirmatũ per gratiam, in nobis aũt, ut eſt flexibile in bonum, vel in malum. Ex his quarto loco accedit notandũ, de quadruplici libertate, quæ dicitur fuiſſe in homine iuxta ſtatum quadruplicem; in ſtatu enim innocentiæ primo fuiſſe dicitur libertas, qua poterat peccare, & non peccare. In ſtatu verò beatitudinis, ſeu patriæ, in eo erat libertas, qua nullo modo poterat peccare. In ſtatu deinde viæ poſt peccatum ante reparationem, libertatem habuit, qua non potuit non peccare, etiam mortaliter. In ſtatu deinde poſt peccatum, & poſt reparationem ante gloriam dicitur habere libertatem, qua non poteſt nõ peccarę venialiter. Penes ergo hunc quadruplicem ſtatum libertas quadruplex conſideranda eſt. Ex his quinto dubitatur loco ſic, Homo poteſt peccare mortaliter poſt peccatum, & poſt reparationẽ ante

gloriæ ſtatum, non itaq; Magiſtri prius dictum videtur eſſe aſſumendum. Antecedens patet, quia homo potentiam ad oppoſita exiſtentem habet: igitur peccare poteſt; & ita patet intentum. Verũ quia ſolutio ex dictis ſatis patet, iccirco breuitatis cauſa dimittatur; & ad ſextum oratio noſtra dirigatur, vbi corrolarium tale ponitur. Liberium arbitrium, de quo hucuſq; verba fecimus, per peccatum vulneratũ eſt, & expoliatum; quo ad naturalia dicitur vulneratum, expoliatum verò, quo ad gratuita; quæ duo ſine gratia homo nequit reparare: nec id mirum; nam vt homo ſe ipſum interficiens per ſe ipſum, vt vita priuatum, ad reſurrectionẽ vitæ deuenire nõ poteſt; ſic nec peccator gratia priuatus actiuum principium, reſpectu amiſſorum, ſui ipſius productiuum dici poterit ſine virtute diuina: quare, &c. Expoſitis in hunc modũ ſex punctis: iterum aliud ſeptimo notandum additur loco de triplici libertate: à coactione prima; quæ ſemper fuit, & in omni ſtatu in hominibus manet. Altera libertas à miſeria dicitur; quæ in ſtatu innocentiæ liberum arbitrium habuit; & in ſtatu beatitudinis, & gloriæ habebit. Tertia libertas à peccatis, quæ ſolum in hominibus viatoribus reperitur; qui ſecundum gratiam à culpis, ſiue peccatis liberantur. Octauò poſt hæc venit apponenda talis propoſitio. Quamuis homo ſolo libero arbitrio mediante nequeat per ſe perfectè in bonum, per ſe tamen ipſo ſolo mediante poteſt in malum. Hanc volens probare Magiſter, nono dubitat loco; Num in homine ad bonũ, & ad malum faciendum, ſit libertas arbitrij. Circa hoc duæ recitantur opiniones, quarũ prima dicit, qđ ſola libertas arbitrij etiam nullo addita, hominem liberum facit, ad bonum, vel

ad malum operandum. Altera opinio tenet, quòd non ſola libertas arbitrij efficiat, at mediante aliquo alio addito: ita quod, pronitas ad peccandũ, libero addita arbitrio, ipſum ad malũ moueat: gratia verò ipſi appoſita, ad bonũ moueat ipſum. His duabus opinionibus adductis, Magiſtri tandem determinatio ex animi ſententia, quæ talis, ponenda eſt. Dicitur ergo vtrunq; à libero arbitrio eſſe, ſcilicet in bonum poſſe, & in malum; licet diuerſimode. Nam in malum poſſe hoc habet homo de ſe; in bonum verò, gratia mediante: ſine qua in bonum, quis minimè poteſt, niſi debiliter valde. An hoc ſit verum, legite Magiſtrum, qui in textu, beati Aug. authoritate id totum confirmat. Supereſt decimò ponenda concluſio, & enodanda: deinde noſter claudetur ſermo. Sit itaq; talis concluſio. In hominibus liberum arbitrium quodammodo per peccatum minutũ; nam primo in ſuo ſtatu homo, ſine difficultate, poterat moueri in bonum; quod poſt peccatum minimè poteſt, membrorum repugnãte lege: eo quia per peccatum difficultatem recipit ad bonum, & pronitatem ad malum, quibus carebat ante peccatum. Nec etiam naturæ libertas, ideſt à coactione, ſufficere videtur ad bonum perficiendum, ſi non adſit gratiæ libertas, ideſt libertas à miſeria, & à peccato: quare nullus, niſi à peccato liberatus, bonũ velle poteſt, neq; perficere bonum, niſi gratia aſſiſtente ſit adiutus. Vnde dicebat Apoſtolus: Non eſt volentis, neq; currentis, ſed Dei miſerentis, qui operatur in nobis velle, & perficere: Et hęc ſatis.

DE QVIDDITATE LIBERI ARBITRII. Lectio LXXXXIX.

CIrca liberum arbitrium verſaturi, quid ſit diffinitiuè cõſiderabimus primò: Inſuper, cuius ſit ſubiectiuè: Quorũ verò ſit tertiò obiectiuè: Tandem quale ſit informatiuè, vel adheſiuè. Quantũ ad primum. D. Aug. in lib. de gratia, & de libero arbitrio, diffinit liberum arbitrium ſic. Liberum arbitrium eſt facultas voluntatis, & rationis, qua bonũ eligitur, gratia aſſiſtẽte, & malum gratia deſiſtente. Qua in diffinitione tria Aug. tangit: potentiam vt principium: materiam vt obiectum: cauſam vt auxilium. Quantum ad primum, vocat liberum arbitrium voluntatem, non abſolutè, ſed in ordine ad actum proprium, qui eſt eligere: vbi duo importari videntur; quorum vnum reſpicit iudicium diſcretionis, & hoc eſt rationis: alterum verò deſiderium conſecutionis, & hoc eſt voluntatis; nam eligere, eſt alterũ alteri peroptare. Vbi notandum eſt, quòd potentia, quæ facit iudicare; ratio eſt, quæ uerò liberè facit iudicare, voluntas: ita vt iudicium ſit rationis, & iudicandi uoluntas immediatè ſit uoluntatis. Vnde voluntas dicitur rationem mouere, actum eius imperando, qui eſt iudicare; ratio aũt mouet uoluntatem, ei obiectũ proponendo ſuum, quod eſt finis. Fons verò, & origo liberi arbitrij uoluntas; quæ, q ain nobis eſt, iccirco ſubiectiuè manet in nobis. Num uerò una, vel plures, ſit liberũ arbitrium potentia, inferius apparebit; cuius materia, ſiue obiectum tangitur ab Aug. ibi: qua ſcilicet facultate voluntatis, & rationis bonũ eligitur, &c. Sed hic notetis velim;

quòd quamuis liberũ arbitrium ſit poteſtas, qua bonum, & malum eligitur: non tamen poſſe peccare, debet dici de ratione liberi arbitrij; nec pars eius, vt dicit Anſelmus. Cuius ratio aſſignatur, quia ſi poſſe peccare eſſet pars, &c. Tunc Deus, & Angeli liberum arbitrium non haberent; at hoc abſurdiſſimum eſt: igitur, & primũ dicere velle: poſſe igitur eligere malum, & ſic peccare, conſequitur liberum arbitrium ſecũdum quod eſt in natura creata poſſibili, ad defectum. Nunc explicando venit diffinitio tradita ab Aug. dicente; quòd Liberum arbitrium eſt facultas, &c. duplex enim datur facultas vt noſtis: naturalis una ad bonum tantùm determinata, quæ non conuertitur cum libero arbitrio, nec idem eſt cum illo. Altera uerò eſt uoluntaria, vel electiua, quæ ſe habet ad oppoſita, & identificatur cum libero arbitrio, de qua loquimur in propoſito. Pręterea, ad euidentiam illius particulæ, gratia aſſiſtente: in ordine quatuor notanda occurrunt: primum eſt, quòd liberum arbitrium, ſine gratia Dei, bonum minimè facere poteſt: ſecundum eſt, quòd ſine Dei gratia homo non valet ſe ad gratiam diſponere. Tertium eſt, quòd homo cũ gratia, mortale peccatum põt euitare. Quartum, quòd exiſtens in peccato, poteſt homo per liberum arbitrium mortale peccatum vitare. Quantũ ad primum ſic ait Paulus ad Rom. vii. Velle mihi adiacet, perficere aũt bonum nõ inuenio. Iiſdem Apoſtolus dicit, Non enim, quòd uolo bonum, hoc facio; ſed qđ nolo odi, vel malũ odio, hoc ago: quare licet homo naturaliter bonum velit; uoluntas nihilominus hoc effectu ſemper caret; niſi gratia Dei ſuum velle ei addiderit. At dicetis: videtur, quòd homo omne bonum valeat explere per liberum arbitrium, nam ait

D. Aug. quòd homo per liberum arbitrium, poteſt agros colere, domos ędificare, & alia plura bona ſine gratia facere: Reſpondeatis ad hoc, diſtinguentes de duplici bono: quorum vnum humanæ naturæ eſt proportionatum; Alterum verò improportionatum. Si primo modo, conceditur inſtantia, quòd homo illud poſſit, &c. Sine Dei gratia operante. i. gratum faciente; at ſi ſecundo modo, negatur, non enim bonum meritorium ſine Dei gratia pōt operari; immo nec exire ad naturalem operationem ſine Deo; nam cauſa ſecunda non agit, niſi per virtutem primæ cauſæ, vt dicitur in libro de cauſis; & hoc verū eſt, tàm in agentibus naturalibus, quàm in voluntarijs. Alia in ſequenti audietis: hęc interim ſatis.

QVOD HOMO PER LIBERVM ARBITRIVM NON POTEST SE AD DEI GRATIAM habendam pręparare. Lectio C.

VT ſtemus p̃miſſis, duo alia hodierna die perpendemus. Quorum primum, iam propoſitum. Alterum verò, q̄d exiſtens in gratia, mortale quis peccatum ualeat uitare. Circa primum. Ioan. vi. authoritas nobis facere videtur, nam dicitur: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum. Inſuper, ſi homo aliquid de nouo velit incipere, nonne debet habere aliquid, q̄d moueat ipſum? tale, vel ſit ęgritudo, vel actus exterior, vel interior, erit à Deo operante: igitur ſe ſolo ad gratiam habendam non videtur ſe poſſe pręparare. Pręterea, ſicuti qualiſcunq;

cunq; motus uoluntatis non eſt ſufficiens preparatio ad gratiam: ita nec qualiſcunq; dolor ſufficit ad peccati remiſſionem: igitur uidetur, quòd debeat dari aliquis determinatus modus, qui ſoli Deo notus: nō ergo homo ſe ſolo poteſt, &c. At dicetis vos: preparare ſe ad gratiam, eſt facere, quod in ſe eſt; at homo, qui facit, quod in ſe eſt, Deus illi dat gratiam: ergo. Reſpondetur ad hoc, quòd quamuis homo faciat, qđ in ſe eſt, non ob id per liberum arbitrium ſe ad gratiam preparat, ſine aliqua habituali gratia: ita vt, ad gratiam preparatio nequeat eſſe, ſine aliqua gratia preuia, vt puta Dei prouidentia, ad gratiam gratum facientem, ſiue ad habituale donum acquirendum, quæ duo gratiam denotant, licet diuerſimode; & ,vt paucis me expediam, dico, qđ homo licet poſſet ex parte ſua ſe preparare ad gratiam, non tamen ſine gratia, vt dixi, id ſufficienter poſſet. Deus ergo orandus, vt nos dirigat, & nos conuertat, quia conuertemur. Et hec de primo puncto. In ſubſequēti, quo modo exiſtens in gratia ualeat mortale peccatum vitare, inquirendum: extat enim primo, Pauli authoritas ad Cor. Sufficit tibi gratia mea; quia te de infideli fidelem feci; quòd ſi mortale peccatum vitare non poſſet, certè gratia illi non ſufficeret. Inſuper, habens gratiam non uidetur habere inclinationem ad peccatum: igitur, &c. Deinde qui in gratia eſt, fortior dicitur exiſtente in peccato; at in mortali peccato exiſtens mortale cōmittendum non commiſſum vitare poteſt: igitur à fortiori habens gratiam id poterit. Hic tamen ſciendum eſt: aliud eſſe, poſſe à peccato abſtinere, & poſſe perſeuerare vſq; ad finem uitæ in abſtinentia à culpa, ſiue à peccato. Primum enim cum dicitur, tunc potentia fertur ſuper

negationem tantùm; & eſt ſenſus; quod aliquis poſſit non peccare, quòd quilibet poteſt in gratia exiſtens. At ſecundo modo, potentia fertur ſuper aliqđ affirmatiuum; vt ſi aliquis ponat ſe, in tali ſtatu, quod peccatum vlterius in eo eſſe non poſſit, & talis, qui ſic perſeuerat in bono, impeccabilem ſe facit. At quia hoc non eſt ex libero arbitrio, ſe impeccabilem facere; quia virtus motiua ad hoc non ſe extendit, cum hoc facere ſit ſupra naturæ facultatem: ideo homo diu nequit perſeuerare in abſtinentia à peccato, niſi diuino auxilio aſſiſtente: Et hęc pro pręſenti lectione.

AN HOMO IN MORTALI PECCATO EXISTENS, SINE DEI GRATIA peccatum mortale vitare poſſit. Lectio CI.

VT è medio tollamus ea, quæ nobis difficultatem aliquam parere poſſent; hodierna die duo perpendemus. Primò. Num homo in mortali culpa exiſtens abſq; Dei gratia valeat mortale peccatum vitare. Pręterea, oīa intellectualia liberum arbitrium habere, & quare. Circa primum, uia reſſolutiua vt procedamus, ita dicimus: vitare peccatum mortale bifariam conſiderari poſſe: aut iam cōmiſſum: aut cōmittendum. Si primo modo, fateor ſine Dei gratia illud uitare nō poſſe: ſi ſecundo modo, concedo, nam homo quantumcunq; in mortali peccato exiſtat, ēi ſine Dei gratia vitare mortale peccatum pōt, ne ſcilicet ipſum committat. At dicetis: cur primo modo non poteſt? Reſpondetur, dupliciter:

dupliciter: primo, quia nullus ſe ipſum abſoluere põt, & ſe à penæ reatu liberare, nec à culpa, ſine Dei gratia. Secundo, quantum ad conuerſionem: nullus enim in mortali exiſtens, ad Deum poteſt conuerti; ipſique vniri, niſi per charitatem, at charitas non eſt ex libero arbitrio: igitur ſine gratia Dei quis non poteſt ſe à mortali eximere culpa, loquendo de culpa iam commiſſa; de committenda verò aliter dici põt, per authoritates beati Greg. Aug. & Hier. Nam primo aït beatus Greg. Debilis eſt hoſtis, qui nõ põt vincere, niſi uolentem: at id quòd eſt per uoluntatem, non eſt per neceſſitatem: in mortali ergo peccato homo exiſtens ab alio peccato non neceſſario ſeparatur, ſed illud vincere, & ſuperare poteſt. Inſuper, D. Aug. in lib. de lib. arbitrio ita fatur. Nullus peccat in eo, quòd vitare non poteſt, quia hoc iam neceſſarium eſſet: quare exiſtens quis in mortali peccato, ſi vitare non poſſet, tunc peccatum committendo non peccaret, qđ eſt abſurdum dicere: ergo primum concedendum, quòd poſſit vitare. Tertio D. Hier. ad beatum Damaſum ſic dicebat. Nos dicimus, hominem ſemper peccare, & non peccare poſſe: quare dicere velle, quòd homo in peccati ſtatu exiſtens, peccatum vitare nõ poſſit, liberi arbitrij eſſet poteſtatem negare, quod hęreticum eſt: ergo, &c. At forte ingenio pollentes, arguetis dicentes: non videri poſſibile, quod homo in peccato mortali exiſtens ſine Dei gratia peccatum poſſit vitare, inquit enim beatus Greg. Peccatum, quod per pęnitentiam non deletur, mox ſuo pondere ad aliud trahit, at niſi per gratiam peccatũ nõ deletur; ſine Dei gratia ergo peccator peccatum vitare non poteſt. Dictum verò Greg. debet intelligi inclinando: non neceſſitando. Vnde

peccatum,

peccatum, quod per pęnitentiam non deletur, bene ad aliud trahit inclinando, non tamen cogendo: non enim neceſſe eſt, q̃d tali ſemper liberũ arbitrium obediat inclinationi. Rurſus authoritate Aug. dicetis: Liberum arbitrium eſt, quo bonũ eligitur gratia aſſiſtente, & malum gratia deſiſtente: igitur liberum arbitrium, ſine Dei gratia, ſemper malum eligit; & ita non poteſt, &c. Reſpondetur ad hoc, liberum arbitrium quidem ſine Dei gratia per ſe malum eligere poſſe; non tamen dicitur eſſe neceſſe, quòd abſque gratia gratum faciente, ſemper exiſtens in peccato, eligat malum. Pręterea, ſi ſine Dei gratia, homo peccator mortale peccatum poſſet vitare: ſine Dei gratia coronam videretur mereri, at hoc quid abſurdius? non ergo, &c. Reſpondetur ad hoc: mereri coronam, duobus poſſe accipi modis, vel ſimpliciter, vel ſecundũ quid: primo modo, illi corona debetur, qui totum vincit peccatum, mundum, & diabolum; & talis oĩno eſt ab omni peccato immunis. At qui vnum peccatum vitat, in alio perſeruerans, cum ſit ſeruus illius peccati, non erit victor, niſi ſecundum quid: ideo talis coronam, vt dixi, non meretur. Vlterius dicetis: per peccatum in aliquo libertas eſt mutata: videtur ergo, q̃d in mortali peccato exiſtens, per liberum arbitrium uitare nequeat. Reſpondetur, quod eſt immutata; ſed non ablata. Rurſus habens, habitum neceſſario dicitur agere ſecundum illum, at exiſtens in peccato, habitum habet: ergo agendo ſecundum illum, peccatum euitare non poterit. Reſpondetur, quòd liberum arbitrium põt vti habitu, vel non vti. Vnde non oportet, quòd quis ſemper ſecundum habitum agat; immo ẽt aliquando poteſt cõtra habitum agere, licet cum difficultat. Demũ: neceſſitas

neceſſitas moriendi nonne ſequitur ad neceſſitatem peccandi? at homo in hoc ſtatu mortem vitare non poteſt: ergo nec peccatum, quin peccet. Reſpondeo, quòd neceſſitatem moriendi concomitatur quidem neceſſitas aliquo modo peccandi, vel uenialiter, uel mortaliter, à perſonis tamen priuilegiatis, & gratiam habentibus; nulla ob id coactionis neceſſitas in uiatoribus ponenda: Et hęc de primo ſatis dicta ſint puncto. In altero ſpeculandum uenit, quo modo in omnibus intellectualibus liberum ſit arbitrium, & quare inueniatur. Quantũ ad hoc dici põt, quòd ſit in Deo, in Angelis, & hominibus. Ad quod videndum utar communi ratione ſic. Intellectualia oĩa liberum habent arbitrium, at Deus, Angeli, & homines ſunt huiuſmodi: ergo. Quod aũt vbicunq; ſit intellectus, ibi ſit liberum arbitrium, ſic doceo: libertas enim arbitrij in duobus conſiſtit, vt puta in libertate diſcretionis, vt poſſit iudicare, & in libertate electionis, vt poſſit eligere: at intellectualia uidentur ſic ſe habere: igitur, &c. Et per oppoſitum aliqua dicuntur iudicij libertate carere dupliciter, uel quia nullum habent iudicium, ſicut quæ cognitione carent, ut lapides, & plantæ, & huiuſmodi; vel quia habent iudicium à natura ad vnum determinatum: ut irrationalia animalia, quæ naturali inſtinctu, uel ęſtimatione iudicant, V. g. ouis naturaliter iudicat, & ęſtimat ſibi lupũ nociuum; ideo naturaliter fugit ipſum. Ex prędictis ergo in genere patet omnia intellectualia liberum arbitrium habere. Et hęc de pollicitis ſatis pro pręſenti ſermone.

QVOD

QVOD DEVS LIBERVM ARBITRIVM HABET. Lectio CII.

OStenſo, & iam probato in generali, oĩa intellectualia liberum arbitrium habere: nunc idem in ſpeciali dilucidandum; & primo, qđ Deus habeat liberũ arbitrium. D. Ambr. in lib. de Trin. ſic dicit: Spiritus ſanctus diuiſit, pro ut vult. i. pro liberæ uoluntatis arbitrio, non neceſſitatis obſequio; at Spiritus ſanctus eſt Deus: ergo liberũ arbitrium in Deo. Inſuper Deus neceſſario vult ſuam bonitatem, velut vltimum ſuæ diuinæ uoluntatis; alia uerò, ut ordinata ad iſtum finem, ſcilicet ad ſuam bonitatem: in Deo ergo liberum arbitrium. At dicetis vos: liberũ arbitrium in vtranq; flecti poteſt partem, ſcilicet in bonum, & malum, at ut dicit. D. Hier. in Homelia de filio prodigo, Solus Deus eſt in quem peccatum non cadit, nec cadere poteſt: igitur; &c. Ad hoc quatuor poſſum reſpondere modis: primò, qđ Deus licet malum culpæ non uelit, oppoſitum tamen uelle poteſt, ſcilicet in quantum poteſt hoc uelle eſſe, uel non eſſe. Reſpondeo ſecundo: argumentum de libero arbitrio in nobis currere. At non de Deo, in quo liberum arbitrium perfectiſſimũ eſt, ideo in malum tendere non poteſt. Tertio dico, quod quamuis in Deo liberum arbitrium non ſit determinatum ad vnum ſecundum numerum: attamen eſt determinatum ad vnum, ſecundum genus, ut puta ad bonum, & non ad malum. Quartò dico: liberum arbitrium ſe habere ad oppoſita, tribus intelligi debere modis primo, quod poſſit uelle bonum, & malum; & hoc modo Deo minimè conuenit. Secundo poteſt

dici, ſe ad oppoſita habere; ut aliquid primo uelit, deinde illud nolit; nec hoc modo Deo conuenit. Tertio modo, intelligi poteſt, quia poſſit uelle hoc, & non uelle, & in hunc modum Deo aſcribitur: ipſe etenim liberam habet electionem uolendi aliquid, vel nolendi; quoniam multa ita liberè vult, quod poteſt ea uelle, & non uelle abſque omnimoda eius defectibilitate, & mutabilitate. Nunc ſecundo videndum uenit loco, quo modo Angeli liberum arbitrium habeant. Hoc enim prędìti ſunt, quia intellectu non carent: ergo liberum arbitrium habent. Confirmatur, quia diſcretio, & electio eis aſcribitur: ergo & liberum arbitrium. Pręterea, reſpectu inferioris angeli uoluntatem indeterminatam habere dicuntur, quia poſſunt uelle, & non uelle, eligere, & non eligere, liberi ergo ſunt arbitrij. Damaſcenus ſimiliter in diffinitione, quã tradit de Angelo, apertè fatetur, in Angelis liberum inueniri arbitrium; Alenſis non ſecus in Angelis liberum concedit arbitrium. Poſtremo Angelus licet, quo ad eſſe, dicatur non vertibilis, quia immortalis eſt; tamen vertibilis, quantũ ad electionem, at hęc denotat liberũ arbitrium: igitur, &c. Hic video vos maximopere dubitare, & graphicè quidem; quod in Angelis beatis, & damnatis liberum arbitrium minimè ſit concedendum; nam electio eſt eorum, quæ ſunt ad finem. Vnde adueniente fine, ſtatim ceſſare dicitur electio; ſed Angeli beati ſunt vltimo fini coniuncti, & damnati ſimiliter: non ergo in eis, &c. Ad hanc difficultatem doceo vos reſpondere perpulchra diſtinctione pręmiſſa, quæ talis. Illud, quod eſt ad finem ordinatum duplex eſt: vnum vt diſtans à fine, & tale habito fine excluditur: alterum eſt, ut coniunctum fini;

&

& iſtud habito fine manet cum fine, ut in propoſito: primo modo ratio currit; at ſecundo modo minimè. Sed dicetis: Angeli beati malum nequeunt eligere, nec damnati bonum; non ergo in illis liberum uidetur poſſe poni arbitrium. Ad hoc dicitur, quod liberi arbitrij finitio pro hoc ſtatu poterat Angelus conuenire in primo illo ſtatu, at modò non, niſi quantũ ad electionẽ boni. In Angelis ergo liberũ quidẽ bonis ponitur arbitrium, at confirmatum, & in malis ſimiliter: quare quod dicẽdũ circa propoſita, clarũ, & manifeſtũ eſt.

AN HOMO LIBERVM HABEAT ARBITRIVM? Lectio CIII.

T*Ertiò, ordine vt procedamus, Num homo liberum habeat arbitrium ſic, & non, docebimus. Quantum ergo attinet ad partem affirmatiuã, rationes extant octo, quarũ prima Eccl. v x. vbi dicitur, Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui, gloſa. i. In poteſtate liberi arb. ergo. Secundò habet homo intellectum: ergo, & liberum arbitrium. Tertiò ex diſtinctione, ſiue triplici differentia agentis, idem probari poteſt; nam agentium quoddam ex nihilo agit, & non ex neceſſitate, ſed libera voluntate, vt Deus. Aliud agit ex aliquo, vt agens naturale. Tertiò debet dari agens medium, quod nec ex nihilo, nec ex neceſſitate agat; vt agentia ſunt naturalia, quæ ex neceſſitate agunt, &c. Tale aũt agens non ex nihilo, nec ex neceſſitate; ſed ex arbitrij libertate, eſt homo; liberum ergo dicitur habere arbitrium. Quartò ſic: in homine eſt ratio, & voluntas, quæ duo cõcurrunt*

currunt ad finitionem liberi arbitrij, vt ait D. Aug. ergo homo habet, &c. Quintò authoritate Philoſophi in iii. Ethic. idem probo, nam inquit ipſe, quod conſilium non eſt, niſi eorum, quæ ſunt in nobis, ideſt actuum, qui ſunt in noſtra poteſtate, at homines in ſuis actibus conſiliantur, & hoc per liberum arbitrium: ergo. Sextò ex legum conſtitutione idem confirmò; nam pręcepta, & prohibitiones non debent fieri, niſi ei, qui poteſt facere, & non facere, in homine ergo eſt liberum arbitrium, quia ei talia dantur pręcepta, &c. Septimò hoc idem probo ex punitione, vel pręmiatione ſic: nullus debet puniri, vel pręmiari, de eo, vel pro eo, quod in ſua non ſit poteſtate; at homo iuſtè à Deo punitur, & pro ſuis bonis operibus pręmiatur: ergo homo videtur poſſe operari, & non operari: quare liberi eſt arbitrij. Demum ex ſufficienti diuiſione idem ſuadeo ſic: humanorum actuum eſt aliquam aſſignare, & cauſam dare, at talis cauſa non poteſt dici Deus, vt prima, & immediata, quia ſemper actus humani eſſent boni: nec eſt ponenda neceſſitas horum actuum; quia ſemper eodem modo fierent; quod in humanis actibus euenire minimè videmus; nec poſſumus aſſignare cauſam fatum, vel ſtellarum diſpoſitionem; quia tunc humanos actus ex neceſſitate euenire oporteret; nec caſus, nec fortuna humanorũ actuum cauſa dici debent; quia huiuſmodi rarò, & pręter intentionẽ euenirent: homo ergo liber debet poni ad ennarrata incommoda euitanda; Et hęc pro primo puncto. In altero rationes in oppoſitam partem extant octo, quarum prima ſic: quod non mouet, niſi ſit motũ, quo modo liberi arbitrij erit? at mens humana, niſi ſit mota à Deo, non operatur: ergo. Reſpondetur ad hoc duobus

modis, & primò ſic; quòd licet Deus mentem humanam moueat, non ob id eius libertatem tollit. Secundo ſic, quod Deus vt cauſa prima mouet; non vt ſecunda. Inſtatur ſecundò. Homo non eſt ſuorum actuum dominus, vel operum: ergo non eſt liberi arbitrij: aſſumptum patet authoritate Hieremiæ x. Non eſt hominis uia eius; nec uiri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos: igitur homo non eſt, &c. Reſpondetur ad hoc; quòd in hominis opere duo inueniuntur, vnum reſpicit electionem; alterum executionem: primo modo homo liber dicitur, ſecundo modo Hieremiæ authoritas intelligi debet, non primo; & ita ruit ratio; eligere ergo eſt ipſius hominis, at executio electionis non eſt ſemper in hominis poteſtate, ſed in diuina prouidentia gubernante propoſitum hominis; quia ergo homo quandoq; impediri poteſt ab executione ſuorũ actuum, & à fine; hinc quantũ ad hoc liber dici debet minimè, at reſpectu electionis, quæ eſt iudicium de agendis, tunc ſic. Arguitur tertiò, quæ in noſtra poteſtate non ſunt, per huiuſmodi liberi non ſumus appellandi; at merita ſic ſe habent, non enim in noſtra poteſtate ſunt: ergo. Ad hoc duobus reſpondetur modis: primo, quod libera voluntas noſtra, ſiue liberum arbitrium non ſe extendit ad ſupernaturalia, ſed ad naturalia: illa enim naturæ facultatẽ excedunt, hęc nequaquam. Secundo ſic, licet homo ad opera meritoria non ſe extendat, ſine gratia, & charitate, non ob id derogat hoc libertati arbitrij. Quartò inſtatur ab aduerſarijs dicentibus: dari multos gratiam non habentes: quare tales libere bonum minimè poterunt agere: ergo, &c. Reſpondetur ad hoc, quòd qui non habent gratiam, adhuc bonum eligere poſſunt, ſed non meritorium; nec id

propterea

propterea libertati derogat; aliter reſpondetur, quod homo valet ſe ad gratiam preparare; & ſic extra libertatem arbitrij omnino non eſſe dicetur. Quintò ſic arguitur: quicquid Deus preſciuit euenire illud neceſſe eſt, quia Dei preſcientia falli non poteſt; ſi ſic, ergo homo ad predicta bona, vel mala liberum arbitrium non habet. Ad hoc dici poteſt, quod ex Dei preſcientia non poteſt cõcludi, quod actus noſtri ſint neceſſarij neceſſitate abſoluta, quæ dicitur neceſſitas conſequentis; ſed neceſſitate conditionata, quæ dicitur necesſitas conuenientiæ, vt patet per Boethium in fine de conſol. Sextò arguitur: homo habet necesſitatem reſpectu peccatorum: ergo non libertatem: antecedens eſt Aug. dicentis: neceſſe eſſe hominem peccare poſt peccatũ: ergo. Reſpondetur ad hoc dupliciter; & primò ſic; quod poſt peccatum homo dicitur habere neceſſe peccare, id eſt habere peccatum, nõ quia necesſitetur damnabiliter poſt peccatum iterum peccare. Vel dicatis ſecundo, quod poſt peccatum homo dicatur habere necesſitatem ad peccandum ante reparationem; quatenus exiſtens in mortali, diu nequeat vitare, quin peccet, & hęc fuit quorundam opinio. Alij aliter dicunt, q̃d exiſtens in mortali, omne posſit peccatum mortale homo vitare; licet non posſit ſe ipſo vitare, quin ſit ſub peccato, & ita ſaluatur libertas arbitrij. Septimò arguunt quidam ſic, dicentes: ſeruitus libertati opponitur, at qui facit peccatum ſeruus eſt peccati: non ergo, &c. Reſpondetur, quod ſeruitus iſta duobus conſideratur modis: vno modo, quantum ad coactionem; alio modo, quantum ad inclinationem: primo modo negatur, ſecundo modo conceditur; quatenus precedens peccatum inducit, & inclinat ad ſequentia, vel

vt dicit defectũ naturalis virtutis, quæ ſe ſubijcit peccato. Octauò, & vltimò ſic arguitur: Decuit diuinam bonitatem, vt creaturã ſublimiſſimam optimè collocaret, at optimè collocatum eſt, quod immobiliter optimo inhęret: igitur decuit, vt rationalis creatura ſine libero arbitrio fieret. Ad hoc bifariam reſpondeo; & primo ſic; quod quamuis rationalis creatura ſit melior, ſi Deo adhęreret immobiliter; tamen illa bona eſt, quæ Deo adhęrere poteſt, & nõ adhęrere; & ita melius eſt vniuerſum, vbi vtraq; creatura inuenitur, quam ſi altera tantùm inueniretur; Et hęc eſt D. Aug. reſponſio in lib. de lib. arb. Secundò ad mentem D. Greg. Niceni, & Damaſceni dicitur impoſſibile eſſe, aliquam creaturam voluntate immobili adhęrentem per naturam Deo inueniri; & ratio aſſignatur, quia cũ de nihilo ſit producta, flexibilis eſt, ſi tamen daretur aliqua immobiliter adhęrens creatura Deo, non propter hoc, libero priuaretur arbitrio; quia Deo adhęrendo multa facere põt, & non facere: Et hęc de pollicitis duobus pauca ſufficiant.

QVOD IN DEO SIT PERFECTIVS LIBERVM ARBITRIVM, ETC.

Lectio CIIII.

AD maiorem euidentiam prędictorum ſuppoſito, quod in Deo, in Angelis, & hominibus ſit liberum arbitrium, vt ſuperius eſt probatum; quis q. a quęrere poſſet, vtrum liberum arbitrium ſit ęqualiter in eis: iccirco in Deo nobilius, & perfectius, quam in Angelis, & hominibus hodierna die inueniri docebimus:

docebimus: ſupponentes illa tria, quæ liberum arbitrium ſupponit: naturam primò; vim cognitiuam ſecundò; & volitiuam tertiò, quæ tria in Deo ſunt perfectius, quàm in Angelis, & hominibus: ergo. Patet; quia natura diuina increata eſt, & eſt ſuum eſſe, & ſua bonitas. Vnde in eo non poteſt eſſe defectus aliquis, nec corruptibilitatis, quia non eſt ex nihilo, ideo nec in nihil vertibilis: quare, &c. Inſuper, natura intellectualis in Deo perfectior: igitur, &c. Tertiò, liberum arbitrium ſupponit virtutem volitiuam, quæ perfectior in Deo eſt, quia ad bonum ſe habet tantùm, non ad culpæ malum; quoniam impeccabilis eſt: igitur nobilius, ac perfectius in Deo liberum debet poni arbitrium, quàm in Angelis, & hominibus. Num verò facta comparatione inter Angelum, & hominem perfectius ſit in Angelo, quàm in homine, dicam hac in ſecunda parte: certum enim eſt, liberum arbitrium facultatem eſſe intellectus, & voluntatis, at duo hęc in Angelo ſunt perfectius, quàm in homine: ergo. Quantum ad primum patet; nam homo vmbraticam cognitionem habet veritatis cum diſcurſu: ideo ei accidit dubitatio; at in Angelo perfectiori modo eſt veritatis ſimplex notitia abſq; diſcurſu, & inquiſitione: ergo, &c. Nec mirũ, q̃a in eis dubitatio, aut difficultas in diſcernendo, vel iudicãdo nõ inuenitur: ideo Angeli promptã habent electionẽ liberi arb. homo verò in eligendo difficultatẽ patitur, & hoc ꝑp incertitudinẽ, & dubitationẽ: medium itaq; locũ Angeli liberũ arbitr. tenet inter Deũ, & hominẽ; quoniam ergo natura intellectus in Angelo, & voluntas ꝑfectior, q̃ in homine; Inſuꝑ, q̃a facilior ad bonũ; hinc in Angelo ꝑfectius, q̃ in homine liberũ arbitr. eſt ponendũ. Et hęc ſatis.

AD QVOS ACTVS LIBERVM SE EXTENDAT ARBITRIVM, ETC.

Lectio CV.

Circa liberum arbitrium adhuc autumo eſſe cōſiderandum, quorum ſit ſubiectiuè, vel effectiuè. Deinde, num cogi poſſit. Quantum ad primum, quia liberum arbitrium eſt facultas rationis, & uoluntatis, ideo audeo dicere, quòd ſe ad oēs actus humanos liberum arbitrium extendat: Damaſcenus enim lib.ii. dixit, quòd liberum arbitrium appetit, vult, inquirit, atque ſcrutatur; iudicat, diſponit, eligit, impetum facit, agit, & operatur in his, quæ ſunt ſecundum naturam, oēs ergo actus humani ad liberum ſpectant arbitrium. Confirmari hoc poſſe videtur; quia actus aliquis ſolet attribui potentiæ, vt elicit, vel vt imperat actum ipſum. At oēs actus humani hoc modo conſiderati aſcribi poſſunt voluntati: ergo. Verum quia actus quidā ſunt interiores, & exteriores quidam, penes quos liberū dicēdum eſt arbitrium? Reſpondetur, quòd principaliter, & primò, reſpectu actuum interiorum; & ſecundariò, reſpectu actuum exteriorum, vt ab interioribus iſti exteriores ꝓueniunt. Vnde illi impediri nequeunt vi naturæ, at exteriores ſic; quia à virtute motiua actus tales exteriores ꝓueniunt corporali: quo modo nō videtur eſſe libertas reſpectu horum actuum ſub illo tamen ſenſu, ſub quo alias loquuti ſumus. At fortè quis quęret dicendo: libenter ſciremus: an libera voluntas cogi queat: pro cuius intellectu, ſciendum eſt: dari virtutem quandam animæ, quæ cogitur ex ſubiecto: quędam uerò ex obiecto;

obiecto; & quędã nec à ſubiecto, nec ab obiecto, V. g. Oēs animæ vires, quæ coguntur à ſubiecto, dicuntur eſſe potentiæ ſenſitiuæ; quæ, quia organis affixæ, à ſubiecto compelluntur, & hoc quia ſine organis operationes habere nequeunt. Vnde organis compulſis, virtutes ipſæ compelluntur, ac prohibentur ab earum actibus violenter extortis. Altera potentia, quæ ſubiecto non cõpellitur, quia organo non affixa ab obiecto tamen ſicut intellectus compelli poſſe dicitur, dùm vi demonſtrationis cogitur. Virtus verò, quæ nec à ſubiecto, nec ab obiecto cogitur, ipſa eſt voluntas, nec id mirum, quia quantumcunq; oſtendatur ei aliquid eſſe bonum; illud eligere tamen, vel non eligere, remanet in ſua poteſtate. At dicetis: cur ab obiecto cogitur, & non voluntas; at hoc dicitur, q̄a intellectus obiectum, verum eſt, & voluntatis obiectum, bonum; & verum aliquod dari pōt, in quo nulla falſitatis apparentia admiſceri pōt, vt in dignitatibus patet, hinc fit, quòd ſubterfugere nequeat, quin illi veritati aſſentiat, & quieſcat. Oppoſitum dicito de falſo intellectui propoſito, eadem enim via eſt à Thebis ad Athenas, & vice verſa. At dicetis: nonne ſimiliter hoc euenire poſſet in voluntate, cui totaliter bonum repręſentetur? dico, quòd non; nam quãtumcunq; id, quod ad finem ordinatur vltimum, oſtendatur bonum, vel malum, ſemper uoluntas poteſt adhęrere, vel fugere in contrarium ratione alterius, quod in ipſa eſt. Cogi itaq; minimè poteſt, vt ex dictis patet.

QVOD LIBERVM ARBITRIVM POTEST INCLINARI, ETC.

Lectio CVI.

PRO maiori notitia precedentium hodierna die duo maxima conſideratione digna percurram, edocendo primò: liberum arbitrium inclinari, immutari, determinariq; ad aliquid volendum poſſe. Preterea: per peccatum debilitatum eſſe. Quò ad primum; quod ſcilicet liberum arbitrium inclinari poſſit, nulli dubium apparet; nam propter aliquas diſpoſitiones, vel habitus, ex quibus pronius efficitur ad eligendum alteram partem, liberum arb: inclinari ad aliquid volendum, vel agendum dicitur. poteſt inſuper voluntas immutari, vel à ſe ipſa, vel ab obiecto, vel à Deo. Primò, à ſe ipſa mutatur, cum modo vult vnũ, modo aliud. Vnde D. Aug. lib. iiii. de lib. arb. iuxta principium ſic ait: Nihil tàm in noſtra poteſtate, quàm ipſa uoluntas; & ſubdit; uoluntas igitur noſtra nec uoluntas eſſet, niſi in noſtra poteſtate eſſet. Deinde ab obiecto uoluntas mutari dicitur, ſecũdum obiectorum diuerſitatem, quæ ſibi per cognitionem repręſentantur; & talis mutatio fit in ea occaſionaliter ab aliqua creatura repręſentate obiectum. Tertiò mutatur uoluntas à Deo primò, eam mouendo, ſed nõ imprimendo, inquantum ſcilicet uoluntatem mouet ad aliquid uolendum: Aliquando etiam imprimendo, quando gratiam viatoribus infundit, uel gloriæ formam perfectiori modo, ut in beatis. Num verò determinari poſſit ipſa uoluntas, audite: poſſibile enim eſt ſibi pręſentari aliquod bonum obiectum, ad quod uolendum terminabitur

bitur ipſa uoluntas, licet non de neceſſitate, cum aliter uelle poſſit. Explanato iam primo puncto, alterum ſubſequitur, vbi liberum arbitrium poſt peccatum debilitatum declaratur; nam quod ante peccatum ſibi facile erat; poſt peccatum ſine difficultate, & pugna non poteſt; debilitatum ergo in modo eſt, at nō ablatum. His itaq; paucis, quid ad premiſſa dicta tenendum ſit, patet verbis. In ſequenti de libertate arbitrij quędam alia addemus, & ſtatim ad queſtiones de more noſtro, ex dictis Magiſtri ſent. emanantes, accedemus. Hęc in tantum.

QVOD DEVS HOMINI LIBERVM ARBITRIVM DARE DEBVIT, ETC.

Lectio CVII.

S*Peculabimur in pręſenti noſtro ſermone, primò. Num vtile, & rationabile fuerit, quòd Deus homini liberum daret arbitrium. Mihi ſanè videtur eſſe dicēdum, quod ſic; & hoc propter cauſas quatuor. Prima eſt, propter uniuerſi decorem; oīs enim natura creata à Deo bona, at natura uoluntatis libera, eſt huiuſmodi: igitur, &c. Inſuper ob liberi arbitrij commendationē; nam oīs rationalis creatura, cum libero uoluntatis ſua arbitrio ſi maneat in fruendo ſummo bono, & incommutabili, procul dubio laudanda eſt: quare, &c. Tertiò propter Dei laudem; nam ſi rationalis creatura laudatur, quia facta: multo magis laudandus erit Deus, qui talem in eſſe produxit. Quartò rationabile fuit, liberum dari homini arbitrium, vt ad contrarium, & oppoſitum euitandū,*

ſcilicet

ſcilicet vitium, ſe haberet; indeq; in honorem Dei laudaretur. At dicetis: libenter ſciremus, propter quid Deus hominem liberum facere voluerit: cui difficultati de facili erit reſpondere, ſi dixerimus ꝓpter quinq; rationes. Prima eſt manifeſtatio diuinæ potentiæ; voluit enim Deus homini oſtendere, quòd ſicut ſine eo factus non fuerat, ita nec ſine eo perſiſtere poterat: vt igitur homo intueretur D.um oĩs potentiæ cauſatiuum, & conſeruatiuum, ſibi liberum dare voluit arbitrium. Altera ratio eſt diuinæ ſapientiæ manifeſtatio, quæ ex tribus oſtenditur, primò, ex ordine malorũ cum bonis; ſecundò, ex ordine virtutis ad actum; tertiò, ex comparatione meriti ad pręmium: nemo enim coronari dignus eſt, niſi qui legitimè certauerit. Tertia ratio principalis fuit manifeſtatio diuinæ miſericordiæ, quæ potiſſimè manifeſtata eſt, cum vnigenitum ſuum tradidit pro ſerui liberatione. Quarta ratio diuinæ iuſtitiæ manifeſtatio; quæ pręcipuè dicitur manifeſtari in hoc, quia tribuit vnicuiq; ſecundum opera ſua; ſcilicet bonis bona tribuendo, & malis ęterna pęna eos puniendo. Quinta ratio dicitur augmentatio gloriæ beatorum; nam homini glorioſius eſt in vertibilitate ad malum condito quodammodo ex meritis gloriam obtinere, quàm in inuertibilitate conditum fuiſſe. His ergo quinq; rationibus, homini dedit liberum arbitrium Deus. Et hęc pro primo ſecto. In altero ad maiorem notitiam prędictorum erit notandum, quadruplicem dari libertatem: ſcilicet peruerſam, vanam, veram, & plenam. Libertas peruerſa dicitur illa, quando quis ad peccandum libertate abutitur; vana libertas temporalis, ſiue carnalis dicitur; vnde qui peccat in mundo, ſeruus eſt peccati. Tertia libertas uera,

& ſpiritualis, quæ eſt gratiæ libertas, ſcilicet criminibus carere. Quarta libertas plena, atq; perfecta gloriæ nuncupatur; quæ erit in patria, de qua Apoſtolus ad Rom. viii. ait. Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem filiorum Dei; & hoc erit, quia nihil ibi erit ad malum inclinans, nihil opprimens. Nam ibi & à culpa, & à pęna erit libertas: ad quam faxit nos deuenire benedictus Deus, Amen.

NVM LIBERVM ARBITRIVM SIT TANTVM RESPECTV EORVM QVAE tendunt ad finem, &c.

Lectio CVIII.

Conſueuerunt, Inclyti viri, circa prędeclaratā diſtinctionem quęſita quatuor excitare; quorum duo in pręſenti ſermone noſtro enodaturi; Num liberum arbitrium tantum dici debeat reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, primò quęremus. Inſuper: Num habeat in pręditis intellectu concedi tantùm. Quantum ad primum, pro parte negatiua ſolent quidam ſic argumentari. Finis electio dici poteſt: ergo liberum arbitrium non tātùm eorum videbitur eſſe, quæ ſunt ad finem; quòd electio finis eſſe poſſit, audite: nam electio importat pręacceptionem vnius, reſpectu alterius; at ſicut eorum, quæ ſunt ad finem, vnum alteri poteſt pręacceptari: ita etiam diuerſorum finium: igitur electio finis eſſe poteſt, ſicut eorū, quæ ſunt ad finem. In contrarium tamen ſe habet illud Philoſophi iii. Ethic. dicentis: voluntatem eſſe finem, &

eorum,

eorum, quæ ſunt ad finem, electionem: quare pro determinatione huius queſtionis, tria pręmittenda, ex quibus veritas patebit. Primum liberum reſpicit arbitrium, ſiue electionē, quæ liberi arbitrij actus eſt, & eorum tantùm dicitur eſſe, quæ ſunt ad finem, nec vnquam videtur eſſe finis ipſius, ſub ratione finis: alterum conſiderandum eſt; quòd non eſt oīum eorum, quæ ſunt ad finem, ſed eorū ſolum, quæ vel ſunt, vel eligenti poſſibilia eſtimantur. Tertium eſt, quòd eſt tantùm noſtrorum actuum, vel aliorum, vt tamen ſub actus noſtros cadunt. His ita pręmiſſis, nunc de facili ad argumentum poterit reſponderi, ſi dixerimus, electionē quidē merito pręacceptationis vnius, reſpectu alterius, nuncupandā eſſe finem, non ſub ratione finis; at ſub ordinatione ad vlteriorem finem. Inſuper, Ad argumentum in oppoſitū poteſt dici: voluntatē quidem finem appellari poſſe, nō abſolutè, ſed reſpectiuè; q̄ a finis, vt finis, non pręacceptatur alteri fini, ſed quilibet abſolutè acceptatur. Si verò vnus alteri pręaccepte tur, tunc ſub ratione finis non ſumitur; at ſub ordine ad vlteriorem finem; vt patet de ſanitate corporis, & infirmitate; & ſic poſſunt cadere ſub electionē, vt videre eſt in hac prima queſtione. Poſt quam, altera in ordine ſequitur, vbi queritur. Num liberum arbitrium in ſolum intellectū habentibus, ſit ponendum. Mihi primo quidem aſpectu quòd non, videtur eſſe dicendum: nam bruta voluntariè agunt: ergo, & in his, licet intellectu careant, videtur eſſe liberum arbitrium: antecedens clarum eſt per Philoſophum, tertiò Ethic. deinde pręacceptare vnum poſt alterum, liberi arbitrij eſt ſignum, ſed bruta ſic ſe habent: ergo in ipſis erit liberum arbitrium; quòd aūt vnum acceptent, & deſpiciant

ſp[illegible]ant alterum, experientia id docet; non ergo liberũ arbitrium ſolum videtur eſſe ponendum in habentibus intellectum, ſed etiam in brutis ipſo carentibus. Ex alio latere, vt diximus ſuperius, quia liberum arbitrium eſt, quo rectè viuitur, & peccatur; quæ duo brutis cõuenire nequeunt: propterea nec liberũ habere arbitrium: ſolum ergo in habentibus intellectum, vt puta in Deo, in Angelis, & in hominibus, ut abunde diximus ſuperius. Nunc ad argumenta accedo, & ad primum dico: uoluntatem bifariam accipi poſſe: vno modo ſtrictè, alio modo largè. Argumentum hoc ſecundo modo conceditur, at primo modo negatur, nam Philoſophus loco citato dùm dicit, bruta agere voluntariè, ſumit voluntatem pro oĩ eo, quod ſit ſponte, & non per coactionem ab habente cognitionem cum deliberatione. Ad alterum, quod ſolet adduci de pręacceptatione vnius poſt alterum, facile erit reſpondere; contingit enim hoc duobus fieri poſſe modis, vel ex ſimplici apprehenſione conuenientis, ſiue diſconuenientis; vel ex collatione eorum ad finem. Si primo modo, concedo argumentum, nego tamen, hoc liberi arbitrij eſſe munus, ſiue ad liberum pertinere arbitrium, vt hoc ſecundo nos loquimur in pręſenti modo. Solum ergo liberum arbitrium in habentibus intellectum eſt ponendum. Et hęc de queſitis duobus à me propoſitis. Alia duo in ſequenti audietis; interim valete, quia hęc ſunt ſatis pro pręſenti lectione.

NVM

NVM AEQVALITER IN QVIBVS EST LIBERVM DICI POSSIT ARBITRIVM?

Lectio CIX.

DE quatuor queſtionibus proponendis duæ in heſterna mea lectione ſunt declaratæ: ſuperſunt aliæ duæ in preſenti manifeſtandæ, quarum prima ſic ſe habebit. Num liberũ arbitrium equaliter inueniatur in oĩbus, in quibus ponitur. Altera erit. Num cogi poſſit. Circa primam, partem defendentes affirmatiuam dicimus, quòd ſic: nec id mirum, quia libertas immunis à coactione eſt, & equaliter in oĩbus eſt: igitur, &c. Deinde Bernar. de lib. arb. dicit, Quòd arbitrij libertas cunctis pariter ratione vtentibus competit, nec magis, nec minus admittit, nec magis in bonis eſt, quam in malis; equaliter ergo, in quibus inuenitur. Vnum quia ſuperius declarata his aduerſari videntur, quia liberum arbitr. eſt facultas rationis, & voluntatis, quæ facultas maior, & potior in Deo eſt, quã in Angelis, & hominibus: quare, &c. non equaliter in oĩbus. Pro reſponſione, ac queſiti determinatione notandum eſt; quòd cẽ liberum dicitur liberum ab aliquo, & ad aliquid, & penes hoc libertas arbitrij dupliciter habet conſiderari, vel per comparationem ad aliud, à quo dicitur liberũ, vel per cõparationem ad illud, in quo eſt, vel ad quod eſt lib. arb. illud aũt à quo dici ſolet voluntas libera, coactio eſt, quæ duplex eſt: ſimplex vna, & abſoluta altera, quæ impulſio, vel impedimẽtum vocatur. Alia ſecundum quid, quæ & ipſa impulſio dicitur; illud aũt, in quo, vel ad quod aliquid liberũ dicitur, eſt eius actus;

qui

qui duplex eſt, ſcilicet elicitus, & imperatus. His ſuppoſitis aperté, & liberè tenendum: lib. arb. ęqualiter non inueniri in cibus, ſed in Deo perfectius, quam in Angelis, & hominibus. Inſuper in Angelis, quàm in nobis: nec mirum, quia Dei voluntas à nullo impediri poteſt; nec Angelorum à cauſa creata; at noſtra quia ſic; ideo, &c. Nunc ad argumenta venio, & ad primum dico: intelligendum eſſe de immunitate à coactione in vniuocis; at in ęquiuocis nego. Ad illud Bernar. de lib. arb. reſpondetur, qđ loquebatur de libero arb. ſolum exiſtente in hominibus, vt ex illius dictis colligitur, & ita nil contra nos. Enodata paucis prima quęſtione verbis; altera ſubſequitur, vbi quęritur. Num voluntas cogibilis, ſiue cogi poſſit. Primo aſpectu, quòd ſic, mihi videtur: pōt enim creatura corporaliter hominē cogere, vt patet de volente lapidem proÿcere: ergo multos magis Deus voluntatem humanam cogere poterit, qui plus pōt, quam creatura, quæ valet, quantum ad actus corporales, impedire. Prętereа videtur in infirmitatibus, & in ſomno liber. poſſe impediri arb. ergo cogibilis ipſa uoluntas. At dicetis, omne coactum eſt violentum, ſed nullum uoluntarium violentum eſſe poteſt, quia hęc duo opponuntur: ergo. Pro intellectu huius difficultatis duo conſideranda occurrunt, primum eſt circa coactionem, & coactionis modum: alterum reſpicit actus uoluntati, ſiue liber. arb. Quantum ad primum eſt ſciendum, quòd coactio, & violentia differunt; nam coactio ſolum eſt in rebus animatis ꝓpriè loquendo de coactione: uiolentia uerò uniuerſaliter tàm in rebus animatis, quàm in animatis, V. g. cum ſurſum lapis proÿcitur, uiolentari dicitur, at ꝓpriè non cogi. Vtrunq; inſuper ſcilicet,

cet tàm violentia, quàm coactio dupliciter accipi pōt, vno modo, vt dicit ſolum impedimentum ab actu conuenienti, ad quem inclinatur; puta cum lapidi ſupponitur columna, dicitur violentari, quia, ne deſcendat, impeditur. Alio modo, vt dicit impulſionem ad actum inclinationi repugnantē, vt in lapide ſurſum proiecto patet. Ex parte uoluntatis ſimiliter conſiderandum uenit, quod quidam datur actus elicitus, vt uelle, uel eligere; quidam uerò ſolum imperatus, vt ſunt actus potentiarum, quæ ſubijciuntur uoluntatis imperio, vt ſunt apprehenſiuæ, & motiuæ. His ſuppoſitis, concluſio modo ponitur talis: uoluntas, quo ad actus ſubſequētes, ſiue imperatos, impediri pōt; ſed non cogi, quantum ad actus elicitos, neq; quo ad eius intrinſecā inclinationē. Nunc ad argumentū primum dicitur, qđ creatura actus q dē corporales impedire, vt ſubſequētes pōt, nō tamen inclinationē. ſic in propoſito uoluntas, quo ad actus imperatos, impediri pōt, at non, quo ad elicitos; loquendo tamen in his de virtute ſirita. Ad ſecundū de ſomno, & infirmitate dicitur, qđ facile liber. arb. impeditur ab actu ſecundo; non ob id cogitur, quantum ad illam inclinationem primum actum reſpcientē; vel dicatis: hoc non per ſe, ſed per accidens euenire. Et hęc ſatis.

Diſtinctio XXVI. Lectio CX.

H*Aec eſt diſtinctio vigeſima ſexta in ordine huius lib. ſecundi, circa q̃ verſaturi, cōtinuationē primo ponemus: deinde ad diuiſionē accedemus. Quantum ad primum; videtur*

 520

videtur poſſe cum ſuperioribus in hunc modum cõtinuari. Ex quo enim Magiſter verba fecit de tentatione, per quam homo cecidit; nec non de libero arbitrio, per quod ſtare potuit; cõſequenter nunc agendum venit de gratia, per quam ſtare debuit. Habita continuatione vna cum intentione his paucis verbis, de diuiſione quid dicturus, audite. Diuidi hęc diſtinctio poteſt in ſecta nouem. In cõcluſionem primò; In probationem ſecundò; In quorundam errorem tertiò; In illatum quartò; In propoſitionẽ quintò; In probationem ſextò; In nouã concluſionẽ ſeptimò; In dubium octauò; In ſolutionem nonò. Venio ad primum, vbi hęc ponitur cõcluſio. Voluntas humana ad bonum perficiendum operante, & cooperãte gratia iuuatur. Pro cuius intellectu, dilucidationeuè, duplicẽ dari gratiam inſinuat Magiſter ſecundò; quarum prima hominis liberum arbitrium ad bonum operandum iuuat; & operans dicitur, pręueniens voluntatem bonam: ea enim liberatur, & pręparatur hominis voluntas, vt bona ſit, nec non, vt bonum efficaciter velit. Altera dicitur cooperans gratia, quæ ad voluntatem bonam, & pręparatam iam ſequitur adiuuando, ne bonum fruſtra velit, ſed vt bonum cum effectu velit; quod authoritate beati Aug. vt patet in textu, Magiſter probat; & hęc de ſegmentis duobus. In tertio error quorundam adducitur dicentium: hominem poſſe uelle bonũ operari ex libero arb. ſine Dei gratia; quæ opinio quam falſa, futilis, & uana ex Apoſtoli ſententia ad Rom. de facili colligi põt; inquit enim ibi Apoſtolus. Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis ò hęreticè. Super quod D. Aug. ita ait, non enim ideo Deus miſeretur, quia voluit, & currit; at ideo quis vult, &

 currit,

currit, quia Deus ſui miſeretur. Hinc quarto infertur illatum loco de voluntatis deſcriptione ex uoto D. Aug. dicentis, quod voluntas eſt animi motus nullo cogente ad aliquid non admittendum, vel adipiſcendum. Hęc aũt, vt non admittat malum, & adipiſcatur bonum, pręuenitur, & Dei gratia pręparatur. Poſt punctum quartum in ordine ſequitur quintum; vbi propoſitio ponitur talis. Gratia operans, quæ eſt fides cum dilectione, bonam voluntatem non tempore ſed natura, & cauſaliter precedens, ab ipſa voluntate merito non acquiritur aliquo. Ad cuius intellectum ſextò ita dicendum, quòd uoluntas, vt prefertur per gratiam pręuenientem, ſeu operantem ad bonum mota, dignior ſit, non ob id gratiam pręcedit, ſed ipſam ſequitur; nullum enim voluntatis meritũ gratiam pręcedit; at benè ordine cauſalitati ipſam gratiam ſequitur; quæ quidem gratia operans fides eſt cum dilectione, & hęc non eſt à voluntate, ſed Dei donum, ideo à Deo. In uoluntate tamen dicitur eſſe, quia nemo credit, niſi uolens, vt ſuo magis abunde loco dicetur. His ſeptimo concluſio talis addenda uenit loco. Gratia operans, & cooperans vna eſt eſſentialiter; at ſecundum effectus diuerſos aliter, & aliter dicitur. Ad quã ꝓbandã octauo quęritur loco. Nũ operans, & cooperans gratia diuerſæ ſint gratię, vel vna, diuerſis tamen uocabulis ſignificata. Dubio ꝓpoſito, relinquitur ſolutio nonò. Nã reſolutè una, et eadẽ dici debet gratia, idẽque donũ, ꝓpter tamen diuerſos effectus nominibus eſt nuncupata diuerſis; quatenus enim à malo liberat, voluntas operans dicitur: inquãtum verò adiuuat ad bonum vlterius faciendum, cooperans appellatur; Et hęc de tota diſtinctione, & de pollicitis ſatis.

AN

AN GRATIA SIT HABITVS, ETC.

Lectio CXI.

QVia in prędeclarata diſtinctione erat ſermo de gratia operante, & cooperante, quæ duo maxima videntur eſſe conſideratione digna: propterea de his antequam agamus, quęſita duo proponemus; primo quęrentes: Num gratia ſit habitus nec ne? Inſuper: Num gratia debeat dici virtus. Quo ad primum, videtur eſſe dicendum, quòd non ſit habitus creatus, nam homo homini fit gratus ſolo aſpectu, nec dat aliquid homini, cum ſuſcipit illum in gratiam ſuam; non ergo pari ratione quid creatum debet poni, vt homo ſuſcipiatur in gratiam Dei: quarę gratia nõ videtur eſſe habitus. Inſuper, ab ęterno dilexit nos Deus, cuius dilectio nihil de nouo ponit: ergo gratia non eſt habitus, quia tunc Deus aliquid nouum poneret, quod non eſt dicendum. Tertio ſic. Deus ſe ipſo creat: ergo, & ſe ipſo recreat; gratia ergo habitus dici non debet. Pro intellectu huius quęſiti velim ſciatis, gratiam tribus accipi ſolere modis, vt colligitur ex ſanctorum dictis, vltra gratiam increatam: Primo modo communiſſimè; ſecundo modo cõmuniter; tertio modo propriè. Exemplum primi, dicitur omne donum nobis à Deo collatum; quo modo etiam naturæ dona, vt ingenium, & mentis perſpicacitas gratiæ dicuntur; & generaliter quicquid habemus. Vnde Paulus ad Cor. 4. Quid habes, quòd nõ accepiſti? exemplum ſecundi dicitur, quodlibet donum ſuperadditum naturæ, vt dicit Apoſtolus, Diuiſiones gratiarum ſunt, &c. vbi nominat fidem, & ſimilia. Et his duobus modis dicitur gratia

gratis data. Tertio ſumitur ꝓpriè gratia, & dicitur gratũ faciens; q̃ ſic finiri ſolet. Gratia eſt forma à Deo nobis gratis data, ſine meritis gratum faciens habentem, & eius opus bonũ reddens. Secũdo eſt notandum: differentiam inueniri inter gratiam Dei, & hominis: bonum enim creaturæ prouenit ex voluntate diuina; ideo ex dilectione, de qua vult bonum creaturæ, profluit aliquod bonum in creatura; uoluntas uerò hominis ex bono prexiſtente in rebus mouetur; inde eſt, quod hominis dilectio totaliter rei dilectæ bonitatem preſupponat, uel in toto, uel in parte. His ita poſitis, nunc formatæ rationes diluendæ; & primo prima, q̃a ſimilitudo adducta de Deo, & homine eſt nulla, nã quando homo de non acceptante, fit acceptans, mutatur, at non ſic Deus. Inſuper, Deus acceptando non fallitur, at homo quandoq; ſic; ratio propterea nulla, quoniam quatuor non currit pedibus allata ſimilitudo. Ad ſecundam rationem conceditur, quod nos Deus diligat dilectione eterna, at tamen gratificatio ad preſens, ſe extendit, vt dicit S. Bonauentura; gratia igitur habitus. Ad tertiam dicitur, quod recreatio à ſolo Deo eſt, vt à principio effectiuo; tamen quia recreatio eſt rei iam exiſtentis per aliquam diſpoſitionẽ reformatio, ideo habet principium reformatiuum; non ſic aũt eſt de creatione, quæ ſimpliciter eſt de non ente: quare gratia habitus nuncupanda: Et hec de prima queſtione. Nunc videndum eſt; Num gratia virtus ſit dicenda. Mihi prima fronte, quòd non videtur; nã naturale lumen non eſt virtus: ergo nec gratia; conſequentia clara, quia eſt lumen ſupernaturale. Inſuper, ſi uirtus, quæ uirtus? non fides, nõ ſpes, nec charitas, quæ dicitur perfectio ſimpliciter: igitur non uirtus. Verum quia diffi-

nitio

nitio uirtutis gratiæ competit, ipſa enim bonum facit habentem, & eius opus bonum reddit, virtus itaq; erit. Pro huius quæſiti dilucidatione dimiſſis uarijs circa materiam hanc opinionibus, ſuſtinemus gratiam, & virtutem realiter identificari; ſed formaliter diſtingui. Præterea, dicimus virtutẽ tripliciter capi: primo modo, vt ſe extendit etiam ad virtutes naturales, quo modo dicit Philoſophus, qđ virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimũ; ſecundo modo, complectitur virtutem moralem, & politicam; & ſic finitur à Philoſopho. Virtus eſt habitus electiuus in mediocritate cõſiſtens, à ratione determinatus, pro vt ſapiens determinabit. Tertio modo ſola virtus Theologica, vel Theologicis aſſociata dicitur virtus; & ſic ab Aug. finitur. Virtus eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis ſine nobis, ſcilicet agentibus, at non ſine nobis conſentientibus, ac diſponentibus operatur. Vnde clarè patet, quod loquitur de virtute infuſa: Principaliſſima aũt virtus infuſa charitas eſt. His ita diſpoſitis, ad rationes accedo, & ad primam breuibus dico: lumen naturale perficere in ordine ad aliud, ſicut ſunt naturales virtutes, quæ ad prudentiam ordinantur, quæ tamen virtus eſt; ita in propoſito ſuper naturales virtutes dicuntur perficere in ordine ad virtutem, quæ claritas eſt, & illa vlterius in ordine ad finẽ ſupernaturalem: gratia ergo eſt realiter virtus charitatis, licet ab ea formaliter diſtinguatur. Vt ergo naturale lumen ad aliud confert; ita & ſupernaturale, & nobiliori modo, vt diximus ſecundũ Scotum. Ad ſecundam rationem, qua dicebatur, quod gratia, nec eſt fides, nec charitas: ergo nõ virtus: Reſpondetur, quod eo modo, quo charitas

 dicitur,

dicitur, qua habens eam habet Deum clarum, ita gratia dicitur, qua Deus aliquem gratum habet; & vt charitas Deum in ratione diligibilis reſpicit; & gratia Deum reſpicit, vt diligentem: quare virtus, & ipſa charitas re idem, licet formalitate diſtinguatur. Et hęc de quęſtionibus propoſitis, & iam abſolutis duabus.

NVM GRATIAE DIVISIO IN OPERANTEM, ET COOPERANTEM BONA. Lectio CXII.

ADhuc duo alia examinanda ſuperſunt quęſita, quorum primum diuiſionem gratiæ operantis, & cooperantis reſpicit: alterum verò ſubiectum gratiæ cognoſcendi gratia, in quo ponenda; an in eſſentia animæ, aut in potentia. Quãtum ad primum, allata gratiæ diuiſio irridenda uidetur, nam omne cooperans ſecundarium videtur eſſe agens, & non principale; at Deus nunquam tale agens ſecundarium dicitur; non ergo nobis per gratiam cooperatur: nulla itaq; gratia cooperans eſſe dicetur. Ex alio latere D. Aug. in lib. de gratia, & lib. arb. ita fatur. Deus cooperando in nobis perficit, quod operando incipit; quia ipſe, vt velimus operatur incipiens, qui uoluntatibus cooperatur perficiens. At operationes, quibus Deus benedictus nos monet ad bonum, ad gratiam attinent; conuenienter igitur gratia dicitur diuidi in operantem, & cooperantem. Pro determinatione itaq; quęſiti propoſiti ſcire debetis: diuiſionem gratiæ allatam in operantem, & cooperantem minimè eſſe in diuerſa diuiſionem per eſſentiam; at

per

per diuerſa ſolum officia, quo ſtante, quid ad formatū argumentum dicendum ſit, primum queſo audite: cooperari etenim bifariam ſumitur: vno modo, pro addiuuante: alio modo pro ſecundario agente: argumentū currit hoc ſecundo modo; & nos loquimur primo modo; Deus enim adiuuat primariò, non vt ſecundarium agens: Et hęc de primo quęſito. Alterum in ordine ſecundum accedit, dùm quęritur, in quo, vt in ſubiecto, ſit ponēda gratia, an in animæ eſſentia, aut in eius potentia. Quidam ſunt opinati, quod in animæ eſſentia hiſce vijs; primo, quia gratia eſt animæ vita: ergo in eſſentia animæ ponenda. Secundo generatio ad formæ eſſentiam videtur terminari primò; Inſuper ad potentias: igitur gratia, per quā fit regeneratio animæ, eſſentiam reſpicit primo. Inſuper anima dicitur gratificari; itaq; in eſſentia eiuſdem gratia, vt in quo, non in potentia ponenda. In oppoſitum ſe habet ueritas, quæ eſt, quod gratia eſt donum ſuperadditum naturalibus: non ergo in eſſentia animæ ponenda gratia; alioquin non eſſet ſuperadditū naturalibus. Pro dilucidatione ſciendum eſt, quod D. Thomas poſuit gratiam in eſſentia animæ, cuius motiuum originē traxit ex uerbis D. Aug. dicentis, quod gratia eſt radix, & vita oīum bonorum. Ibidem de laude charitatis dicit, quod charitas eſt vita morientium; ſed vita, & mors ad eſſentiam pertinent: igitur, &c. Confirmari hoc idem poſſe videtur; nam gratia eſt ſupernaturale quid dans ſimiliter eſſe ſupernaturale; at hoc attinet ad eſſentiam: ergo. Verū ſi intimius velitis rem perſcrutari, aliter eſſe dicendum intelligetis: quando enim aliqua forma indeterminata eſt ſecundum virtutem actiuam ad plura, id, quod precisè vnam reſpicit actionem determinatam,

non dicitur perficere eam, inquantum indeterminatam, at bene inquantũ potentia determinata eſt reſpectu illius actionis; at gratia tantùm perficit animam in ordine ad determinatum actum, videlicet meritorium, qui eſt ſolius uoluntatis ſecundum Anſelmũ, ergo perficit pręcisè animam, inquantum eſt uoluntas; hoc idem cõfirmari põt; quia, ſi animam perficeret, vt eſſentia eſt, proculdubio redundare poſſet in actum prioris potentiæ, ſcilicet intellectus, & ita actus intellectus, vt uoluntatis actum pręcedit, gratificabilis, & meritorius eſſe poſſet; immo ſi ſolus intellectus eſſet ſine uoluntate in eſſentia, in illo meritum eſſe poſſet; at, &c. Igitur: His pręmiſſis, duæ ponendæ ſunt concluſiones, quarum prima ſic. Gratiæ ſubiectum mediatum eſt animæ eſſentia, inquantum potentiæ ſunt in eſſentia. Altera concluſio. Gratiæ ſubiectum immediatum eſt ipſa uoluntas, quod ex ſecundo notando patet. Nunc formatæ rationes è medio tollantur; deinde erit finis. Ad primam de vita conceditur, quod, & in uiuentibus vita naturæ eſſentiam animæ reſpiciat, & in viuentibus uita ſpirituali; at immediatius operatio uitæ reſpicit potentias; eſt ergo gratia uita animæ mediatè, non immediatè. Ad ſecundam rationem negatur, quod quamuis generatio terminetur ad formam; & gratia ſit quędam animæ regeneratio, quod habeat ob id ad eſſentiam terminari, & vnum eſſe in altero; gratia enim eſt ſuperadditum naturæ: quare ratio nulla.

Ad tertiam dicitur; quod anima gratificatur quidem, ſed mediatè, non immediatè: Et hęc pro pręſenti lectione.

DE

DE VIRTVTE, QVID SIT, ETC.

Diſtinctio XXVII.

Lectio CXIII.

Satis abundè arbitror hactenus actum fuiſſe de liberi arbitrij efficacia in genere: conſequenter nunc in præſenti ſermone loquendũ erit de virtutis efficacia in ſpecie. Diuidatur itaq; præſens lectio noſtra in decem puncta: in cõcluſionem vnã primò; In probationem ſecundò; In contradictionem vnam tertiò; In contradictionis ſolutionem quartò; In illatum quintò; In propoſitionem ſextò; In Magiſter ſent. finalem ſententiam ſeptimò; In nouum illatum octauò; In propoſitionem nonò. Pro cuius probatione opiniones quædam recitantur decimò. Quantum ad primum, ſit hęc cõcluſio. Virtus, quæ bona mentis qualitas eſt, nec actus, nec animi motus uerè dicenda: ad quam probandam ita dicit Magiſter, dari quędam bona minima, vt ſunt temporalia; rurſus quędam alia media, vt animæ potentiæ, quibus minimis, & medijs bonis, dicuntur homines, tàm benè, quàm malè vti poſſe: ex quibus tertio apponenda uenit cõtradictio in verbis D. Aug. loco; Nam fatetur D. Aug. inter prænominata media liberum eſſe ponendum arbitrium, cuius vſum, alicubi uirtutis opus nominat; alibi verò virtutem: quare ſibi contrarius. Ad hanc contradictionem ſoluendam quarto loco Magiſter ſent. rationem quandam adducit, qua probat, uirtutem minimè eſſe actum, ſed potius qualitatem: in nobis ergo cauſa virtutis Deus eſt, & nos ipſi ſumus cuiuſlibet actus noſtri, & ex conſequenti vſus liberi arbitrij, qui eſt actus noſter,

non

non eſt virtus, & gratia cum ſit virtus, vel virtuti ſimilis, actus non dicetur noſter: huius aūt rationis minorem ſupponendo Magiſter maiorem nititur ꝓbare multipliciter, uidelicet, quòd Deus in nobis ſit cauſa virtutis; & quod virtus ſit bona mentis qualitas, qua nullus malè vtitur. Primo ergo in communi per uirtutis diffinitionem, quā beatus Aug. ponit dicens, quòd Deus in nobis ſine nobis operatur virtutem, qua rectè viuitur, & nullus malè vtitur; Deus ergo, &c. Inſuper in ſpecie de virtute iuſtitiæ, de qua beatus Aug. ait, qđ eam nullus efficit, niſi Deus: ergo. Tertio hoc idem magis in ſpecie, ſcilicet de fide manifeſtatur, quam Deus infundit ſecundum Apoſtolum. Hinc ſubdi poteſt, quòd oīs motus, & effectus mentis ex libero arbitrio eſt; at bonus quidem ex gratia, & libero arbitrio ſimul. Motus aūt, & effectus malus ex libero arbitrio, vt eſt uidere in textu, vbi authoritas beati Aug. pro confirmatione adducitur, ex qua loco quinto illatum tale infertur; qđ virtus nō eſt motus, ſiue animi affectus; at benè qualitas animam informans; id quod ēt de gratia cenſet Magiſter eſſe affirmandum: nam & ipſa videtur dici poſſe virtus. His ſextò apponitur talis propoſitio loco: quāmuis abſq; libero arbitrio mereri non poſſumus; gratia tamen (vt norunt inclyti viri) principale merendi erit principium. Ad quam videndam Magiſter ſent. ita procedit dicendo, quòd, quamuis in homine nullum ſit meritum, quod non ex libero procedat arbitrio: attamen gratia principalis merendi eſt cauſa, non oīs gratia, ſed gratum faciens non gratis data, q̄ donum eſt Dei, qua ſanatur, & iuuatur hominis uoluntas, ut ſit bona, & bonas producat operationes; & ita ex gratia, & libero arbitrio,

quòd

quod eſt animæ potentia, procedit primus bonus motus mentis, cui correſpondet primũ hominis meritum: Et hęc dicta ſint ꝓ finali ſententia Magiſtri ad dilucidationem propoſitionis pręmiſſæ in ſexto puncto, & ita ex decem propoſitis iam ſeptem clara tenetis. Accedit octauum, ubi ponitur illatum tale, quòd gratia eſt illa, qua virtutes mereri dicuntur, inquantum ſcilicet per actus ipſa merentur. Vnde ex actibus virtutum deduci poteſt, quod ſumus boni, & iuſtè uiuimus. Quando uerò D. Aug. in initio huius diſtinctionis dixit, vſum liberi arbitrij eſſe virtutem, ibi ſumpſit uirtutem pro actu uirtutis, alioquin ſibi cõtradiceret, & hęc de octo particulis. Subſequitur nona hac propoſitione contentà. Fides, & charitas non ſunt motus, ſiuè mentis affectus; at benè uirtutes mentem mouentes. Ad quam probandam decimo quorundam recitat opinionem loco; quidam enim ex uerbis D. Aug. ſuperius allatis de vſu liberi arbitrij, quòd eſſet uirtus, & vſus uirtutis, ſunt opinati, uirtutes propriè loquendo inſuper eſſe actus potentiarum naturalium, nõ tamen cẽs, at tantummodo interiores in mente: quas licet Deus faceret, nihilominus liberi arbitrij dicerentur eſſe. Actus uerò exteriores, V. g. vt illi, qui per corpus geruntur, dixerunt propriè virtutum eſſe actus, & non uirtutes. Vnde D. Aug. dictum gloſare uolentes, dicebant, ita intelligendum eſſe vſum liberi ſcilicet arbitrij eſſe uirtutem, loquendo de motu, ſiue de actu interiori, quẽ ipſi uirtutem cenſebant: & hanc ſuam opinionem uidebantur confirmare per illud, quod dicebat Aug. ſuper Ioannem, quòd fides eſt credere, quæ non uides: cum ergo credere ſit mentis motus interior: propterea uidetur, q̃d fidei uirtus ſit interior mentis motus.

Hoc

Hoc idem preterea de alijs iudicandũ eſſe uirtutibus affirmabant, quæ opinio non probatur hac in parte Magiſtro, nã dùm D. Aug. videtur innuere, q̃d fides, & charitas per authoritates adductas, ſint motus animæ, ſeu mentis, non ita, ut uidentur uerba illius ſonare, debent intelligi; at ſano modo, V. g. dùm dicit, quod fides ſit credere, quæ non uides, hoc eſt, ac ſi diceret; fides eſt uirtus mouens ad credendum, quòd non uides, & ſic de ſingulis virtutibus conformiter eſt dicendum: Et hęc de tota diſtinctione ſatis.

DE SIGNIFICATIS DIVERSIS VIRTVTIS. Lectio CXIIII.

QVia in prędeclarata diſtinctione tacta fuit finitio virtutis ab Aug. quæ, cum ſit quoddam ęquiuocum nomen, ne propterea in ęquiuoco laboremus; circa multiplicia ſignificata virtutis uerſabimur in prĕſenti, ex quibus intentio vera, & germana ſeligetur. Solet igitur in ſacra ſcriptura varijs accipi modis ipſa virtus: aliquando pro potentia: Vnde Pſal. Verbo domini cęli firmati ſunt, & Spiritu oris eius o͞is virtus eorum. Quandoquè pro fortitudine corporali, ut in Pſal. Aruit tanquam teſta virtus mea: quandoquè, ꝓ uictoria. Iudith. 13. Nobiſcum Deus, qui fecit uirtutem in Iſrael: quandoquè pro armatura bellica. Vnde dicitur, Congregauit uirtutem, & exercitum fortem. Quandoquè pro fructu rei. Ioel 2. Lignũ attulit fructum ſuum, ficus, & vinea dederunt uirtutem ſuam: quandoquè pro operatione, aut actu exteriori. Matth. 6. Non poterat ibi ullam

virtutem

virtutem facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit: quandoquè pro principali agente. Vt Matth. 24. Virtutes cęli mouebuntur: deniq; ſecundum Gabr. accipitur virtus pro qualitate operante, & opus eius bonum, ad quod inclinat, perficiente. Secundum Ariſtotelem virtus dicitur habitus electiuus in mediocritate exiſtens; quæ conſideratio moralis eſt; ad cuius intellectũ, ſiue inueſtigationem, tria ſupponenda ſunt eſſe in anima. Scilicet paſſiones; potentias; & habitus. Inde virtus nuncupanda venit habitus ad excludendos actus uirtuoſos, potentias, & paſſiones. Dicitur deinde electiuus ad reijciendum habitus intellectuales, ſcientiám uidelicet, prudentiam, artem, &c. Hi etenim habitus non dicuntur generari ex actibus electiuis; nam non eligit uoluntas, cui uerò aſſentiat intellectus, ſiue ſpeculatiuo, ſiue practico. Inſuper dicitur in mediocritate conſiſtens, ſcilicet abundantia, & defectus, propter uitia, quæ exiſtunt in extremis, V. g. dùm plus, quam oportet, vel minus agitur. Pręterea, dicitur determinata ratione, quia illud medium ſumendum eſt, ſecundum quod ratio recta, ſiue prudentia ſingula conſiderans determinat, ſiue dictat; & per hoc actus excluduntur indifferentes, qui eliciuntur ad nudam apprehenſionem obiecti, nullo rationis dictamine directiuo pręcedente. Si verò breuius uelitis procedere ad uirtutis cognitionem, in forma tali eius diffinitio ponenda. Quod uirtus moralis acquiſita, ſit habitus inclinans ad actum uoluntarium elicitum, uel imperatum conformiter ad dictamen rationis rectæ: non eſt ergo virtus potentia, quia potentia non dicimur boni, vel mali, nec laudamur, nec vituperamur, at uirtute boni dicimur, & laudamur,

&

& uitijs mali dicimur, ac uituperamur. Nec uirtus paſſio eſt, quoniam eſt ſecundum electionẽ, paſſiones uerò minimè, quia frequenter preueniunt deliberationẽ, & uoluntatis electionem. Nec uirtus debet dici actus; nam actus tranſeunt, & uirtutes firmæ, & immobiles manent, ideſt difficulter mobiles. Virtus ergo dici debet habitus ad rationem rectam conformiter elicitus, vel imperatus, vt latius apud Gabr. videre eſt. In ſequenti alia uirtutis docebo ſignificata, & applicabo omnia propoſito noſtro inſeruientia. Et hęc pro pręſenti ſatis.

ALIA VIRTVTIS SIGNIFICATA.
Lectio CXV.

VErſaturi iterum circa uirtutis ſignificata, tria perpendemus. Primò uaria uirtutis ſignificata; Inſuper docebimus, quot modis corrumpi dicatur uirtus; tertiò, in quo conſiſtat. Circa primum, ſolet uirtus pręter dicta adhuc quadrupliciter capi, cõmuniſſimè primò; cõmuniter ſecundò; ſtrictè tertiò; ſtrictiſſimè quartò. Primo modo, diuiditur in uirtutem moralem politicam, & gratuitam. Secundo modo, in politicam, quæ eſt habitus acquiſitus, & gratuitam, quæ eſt habitus infuſus. Tertio modo, pro habitu infuſo capitur tantùm, ſiue ſit gratis datus, ſiue gratum faciens. Quarto pro habitu gratuito gratum faciente, determinatiuo ad operabilia, quo ſolo modo habitus charitatis, aut charitate formatus eſt uirtus: Et hęc de primo puncto. In altero, quot modis corrumpi dicatur uirtus, uidendum eſt: duobus etenim

modis,

modis corrumpitur, vt ſcribit Gab. vno modo, per habitum contrarium. Vnde introducto errore circa aliquã concluſionem, eius ſcientia corrumpitur. Similiter in uirtute morali, introducto habitu uitioſo per frequentatos actus uitioſos, preexiſtens corrumpitur uirtus. Vitioſi enim actus ſimul ſtare nequeunt, neq; habitus, V. g. vt mortale peccatum, & charitas. Secundo, quaſi priuatiuè dicitur corrumpi uirtus. V. g. per negligentiam, & longam ceſſationem virtuoſorum actuum; nam ut habitus generatur ex actibus, ita ēt ex eiſdem conſeruatur; manet tamen vnus diutius, alius uerò corrumpitur citius, ſecundum quod fuerit magis, vel minus intenſus; & ratio non eſt alia, quam naturæ habitus, de quo latius conſulas Gabr. diſtinctione xxiii. q. i. dubio. vi. lib. iii. Et ſicut ex operibus frequentatis generatur habitus, ita ex eis neglectis corrumpitur. His duobus ſectis tertium ut apponatur, ęquum eſt, vt in quo virtus conſiſtat, declaretur; ſuppoſito primo, quod virtus ſit mediocritas duorũ uitiorum, alterius ſecundum exceſſum, alterius ſecundum defectum, vt eſt uidere apud Ariſtotelem 2. Ethic. Vnde in medio dicitur conſiſtere ſecundum Scotum dupliciter, vel ex parte obiecti, vel ex parte actus, ſecundum quod exceſſus, & defectus; quandoq; contingit circa obiectum, vt in obiecto tẽperantiæ põt eſſe exceſſus, & defectus, nam quòd vni eſt multum, alij eſt paucũ. Quandq; ēt contingit exceſſus, & defectus in actu, ſiue in modo actionis circa idem obiectum, ſicut temperantia moderatur appetitum circa cibum, non ſolum, ne nimis multum, aut nimis paucum ſumatur, ſed ne cibus ꝓportionatus nimis uoraciter, aut nimis leuè ſumatur, ac tedioſè; Et ita virtus moralis dicitur

eſſe

eſſe in medio vtroq; modo, quia moderatur appetitũ circa vtrunque exceſſum, & defectum, vt ſcilicet tendatur in obiectum proportionatum, & etiam actione moderata, ne vtroq; modo quid nimis: Et hęc de tribus pollicitis.

DE VIRTVTE MORALI IN GENERE, ETC. Lectio CXVI.

HOdierna die vobis quinq; dilucidare intendo, quorum primum reſpicit virtutem moralem in genere; alterum virtutem moralem infuſam; tertium modum cognoſcendi, quot modis virtus uera poſſit dici; quartum naturalem virtutem; quintum heroicam. Quantum ad primum, de morali virtute in genere Gerſon ita fatur, qđ virtus eſt habitus acquiſitus, laudabilis, iuuans, & eleuãs animã ad operationes ſuas intellectuales, vel effectiuas elicitas, vel imperatas laudabiliter exercendũ. Quidam generaliter, & communiſſimè loquentes de virtute morali, à more, ſiue à conſuetudine cõſueuerunt oẽm virtutem moralem uocare, oẽm habitum ex frequentia actuum derelictum, & ſic ex cõſuetudine cauſarum perficientem ſubiectum; quo modo oĩs virtus acquiſita eſt moralis, & ſic virtus intellectiua à morali minimè diſtinguitur; at in rei ueritate talis acceptio nimis communis, & larga eſt. Alio modo ſolet accipi pro virtute ex actibus uoluntatis cauſata, quæ reddit hominem laudabilem, atque bonum; Et quia duplex eſt actus uoluntatis, elicitus, & imperatus, elicitus ut uelle, & nolle: imperatus eſt actus cuiuſcunque potentiæ ad imperium

voluntatis

voluntatis productus; hinc virtus quandoq; ſumi dicetur ſtrictiſſimè pro virtute ex actibus elicitis uoluntatis derelicta, & talis virtus eſt virtus intrinſecè. Alio modo largius pro uirtute cauſata ex actibus uoluntatis elicitis, vel imperatis, & illa non ſemper inhęret uoluntati, ut talis eſt, at quandoq; intellectui; quandoq; ſenſui; quandoque potentiæ executiuæ; ſub quo ſenſu, virtus moralis dici non poteſt virtus intrinſecè, at contingenter, & denominatiuè, ideſt denominatione extrinſeca. Et hęc de primo ſecto. In altero agendum uenit de virtute morali infuſa, q̃ ſic diffinitur ab Aug. quòd ſit qualitas bona mentis, qua rectè viuitur, & qua nullus malè vtitur, & ut Deus virtutes Theologicas infundit, ita ut ſumme bonus morales. Gerſon uolens hanc aperire diffinitionẽ virtutis, ita dicit. Virtus eſt bona qualitas, ad differentiam malarum qualitatum, cuiuſmodi ſunt prodigalitas, & auaritia. Addit mentis, ad differentiam corporalium qualitatum, quales ſunt albedo, & nigredo. Subiungit, qua virtute rectè viuitur, ad differentiam ſcientiæ, quæ, quamuis bona ſit qualitas mentis, non tamen neceſſariò ea viuitur rectè, ſed potius ea rectè intelligitur. Inſuper additur, qua nullus malè vtitur, ad differentiam naturalium potentiarũ, quibus contingit & benè, & malè vti. V. g. vt rationabilitas, & concupiſcibilitas, & iraſcibilitas, quæ ꝓpriè potentiæ dicuntur. Prę terea dicitur, quam ſolus Deus in homine operatur, quod totum ponitur, ad differentiam virtutum politicarũ, quæ generari dicuntur ex frequenti benè agere. Secundum uerò Gerſon apparet, q̃d pr ędicta virtutis diffinitio eſt propriè virtutis Theologicæ. Nunc his ita pręmiſſis, ad tertium punctum accedo, ubi videndum eſt,

X quot

quot modis virtus uera debeat dici; duobus ergo modis. Vno modo uera dicitur virtus, quæ verũ virtutis opus habet, vel eſt nata habere, quantum eſt de ſe. Vnde ueritas dicitur eſſe de eſſentia virtutis. Alio modo virtus uera uocatur, quæ perducit ad finem, primo modo pęnitentia dicitur uera, quia verum habet virtutis actum; ſi ſecundo modo, ecce charitas ſine qua, &c. De quinque propoſitis, iam tribus enodatis, quartum accipite modo, vbi, quid ſit virtus naturalis, declaratur: eſt enim bona inclinatio rationalis creaturæ, non acquiſita, ſed innata ad operationes naturæ ſuæ congruas laudabiliter exercendum, inquit Gerſon. Demum de heroica queſo virtute agamus dicentes, excellentiſſimam eſſe, conuenireq; cum beatitudine, ad quam communis hominum uita nõ attingit. Vnde heroica virtus, eſt purgati animi ſupra nos, atq; diuina, qua homines Dij nuncupari ſolent, ideo apud Pſal. dicitur. Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi oẽs. Excelſi dicit, ut non quicunq; iuſtus, Deus uocetur; at qui quadam virtutum excellentia cęteros antecellit. Et hęc pauca ex multis vobis ſufficiant.

DE DIVISIONE VIRTVTIS, ETC.
Lectio CXVII.

VT tandem manus extrema hiſce uirtutibus imponatur, in pręſenti de uirtutis diuiſione primò agendũ: inſuper, ſingulæ declarandæ: deinde erit finis. Virtus ergo diuidi ſolet in intellectualem, in moralem, ſiue cardinalem, & in theologicam. Intellectualis dicitur habitus derelictus, ac cauſatus

ab

ab actibus intellectus apprehenſiuis, uel adheſiuis, inclinans intellectum ad obiecti cognitionem, aut ad veri inquiſitionem, inquit Gabr. & dicitur intellectualis, quia talis virtus, vt in ſuo ſubiecto, ponitur in intellectu, & perficit ipſum, ut aliæ intellectuales. V.g. ſcientia, & ſapientia in intellectu ſpeculatiuo, ars uerò, & prudentia in practico. Cardinales virtutes quatuor ſunt, ſcilicet iuſtitia in ſubueniendo miſeris: prudentia in cauendis inſidijs: fortitudo in perferendis moleſtijs: temperantia in coercendis delectationibus prauis; & cardinales dicuntur ſecundum quoſdam quaſi cordiales, ad differentiam virtutum corporalium. Cardo enim ſecundum Iſidorũ à corde deriuatur, quia apo tis Cardias græcè, qđ eſt cor latinè. Alij uolunt, quòd Cardinales dicantur, quia in eis, ſicut in Cardinibus, oĩs alia virtus maximè ciuilis uoluitur. Secũdum aũt Philoſophum Cardinales dicuntur, quia in his, ſicut in cardine, eſt reuolutio totius uitæ humanæ ſecundum ſtatum ciuilem, & honeſtum. Theologicæ uerò virtutes tres dicuntur. Fides, Spes, & charitas. Virtus aũt theologica, vt ſcribit Gerſon, eſt habitus à Deo ſolo infuſus eleuans liberum arbitrium, ideſt facultatem rationis, aut bonitatis, aut vtriuſque ad Deum immediatè obiectaliter, & laudabiliter attingendum. Sed hic notandum ſecundum Gabr. tria requiri ad hoc, vt aliqua virtus theologica poſſit dici. Primum, quòd Deum reſpiciat pro primo obiecto, & principali. Alterum, qđ habeat ueritatẽ pro prima regula actuum ſuorum, ad quos inclinat, & non regulam aliquam humanitus acquiſitam. Tertium, qđ immediatè à Deo infundantur, vt à cauſa efficiente. Harum conditionum prima reſpicit obiectum; ſecundũ

regulam directiuam: tertia cauſam efficientem; quo modo fides, ſpes, & charitas, acquiſitæ non ſunt virtutes Theologicæ, quia tertia conditio deficit. Quo aũt modo virtutes Cardinales, ſeu morales, & virtutes Theologicæ differant, iam ex prędictis patet, & ẽt ſcribit Bruleſ. lib. iii. quia virtutes Theologicæ Deum habent pro obiecto. Charitas Deum, inquantum ſummum bonum. Fides inquantum ſumma ueritas. Spes inquantum ſumma largitas. Aliæ virtutes de obiectis ſunt creatis, vt obedientia, caſtitas. Secundo differunt, quia virtutes Theologicæ ſuperiorem portionem habent pro obiecto; at virtutes aliæ ſubiectantur in anima ſecundum portionem inferiorem. Tertio differunt, quia virtutes Theologicæ, nõ habent exceſſum in actibus ſuis; nã nullus in amando Deũ põt excedere, in credendo in Deũ, & in ſperando, & cõfitendo Deum. Exemplũ de alijs, quantũ ad exceſſum, vt patet, de liberalitate, & alijs. Pręterea differunt, quia primæ inter duo minimè mala mediant, at aliæ mediant, vt patet de liberalitate. Hęc intantum.

AN VIRTVS SIT HABITVS, ETC. Lectio CXVIII.

M*Vlta diximus in ante habitis lectionibus de virtute in genere, & in ſpecie, in gratiam diffinitionis virtutis allatæ à beato Aug. Inſuper quo modo nulla virtus ſine charitate poſſit dici uera eſſe, & ſi uera, non tamen perfecta. Conſequens modo eſt duo inquirere, & primò. Num virtus nuncupanda ſit habitus. Inſuper Num habens gratiam poſſit mereri*

gloriam.

530

gloriam. Circa primũ, duplici via pro parte negatiua pōt argui, & primo ſic. Virtus eſt vltimum de potentia, vt aperte docet Philoſophus primo cęli: eſt ergo actus, & non habitus. Antecedens patet, quia id, quod eſt vltimum, vt ſit, in potentia actus eſt: ergo. Vlterius, medium ideo dicitur medium, quia participat extremorum naturã, at virtus ponitur medium inter paſſiones: igitur & ipſa erit paſſio, & ita non habitus. Ex alio latere, D. Aug. in oppoſitum ſe habet, dùm dicit, quod eſt bona qualitas mentis, &c. Videtur ergo dicendum, quòd ſit habitus. Pro determinatione huius difficultatis ſciendum eſt, hoc nomen virtutis à vi tractum fuiſſe, ſiue à uiolentia. Vnde motus uiolentus per Ariſtotelem primo cęli dicitur à virtute, ſiue à uiolentia. At quia uiolentiam non poteſt inferre, niſi potentia maior, ideo nomen virtutis tractum eſt ad denominandum potentiæ perfectionem, reſpectu actus, quantum ad eius eſſentiam; tunc dicitur potentia perfecta, quæ pōt, in ſupremum actus ſibi debiti. Aliquando ẽt ſolet dici potentia, uel accipi pro perfectione reſpectu actus, quo ad eius determinationem; quo modo, loquitur Philoſophus de virtutibus in Ethicis, cum dicit, q̃d virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum: perficitur enim tunc intellectus, ſiue uoluntas, cum poſſunt rectè intelligere, & bonum velle: quare illud, quod determinat intellectum, ad rectè intelligendum, uel appetitum, ad rectè appetendum, corũ dicitur virtus. Inſuper, notandum, quod potentiæ inſunt nobis à natura; virtus aũt non, ſed, uel ex acquiſitione, uel infuſione. Prӕterea, ſecundum potentiam, nec boni, nec mali dicimur; at per virtutem ſic: ergo. Inſuper, virtus dici non pōt actus, niſi ſumatur ꝓ actu primo, qui

eſt ipſa forma dans eſſe virtuoſum, at ſumendo actũ pro operatione nequaquam virtus actus dicetur, ſed habitus. Nam homo ꝑ actum non dicitur virtuoſus, at per habitum ſic. Relinquitur ergo, quòd virtus ſit habitus. Nunc ad argumenta reſpondetur, & primo, ad primum, quod currit de uirtute ſumpta à naturali potentia, non à uirtute diſponente ad optimum. Alterum argumentum, vnum ſupponebat falſum, qđ uirtus mediet inter duas paſſiones, non enim hoc uerum, at eſt habitus perficiens potentiam, ad medio modo appetendum, ut ſcilicet nõ appetatur aliquid delectabile, uel fugiatur aliquid triſtè ſuperabundanter, & deficienter, ſed medio modo, vt ratio determinabit: & hęc de primo quęſito. Quęritur ſecundo. Num habens gratiam poſſit mereri gloriam. Mihi equidem, quòd ſic, uidetur, nam ut per peccatum meremur, ex condigno pęnam gehennæ: ergo per bonum opus cũ gratia, gloriam meremur ex condigno; pręterea, uita ęterna redditur ſecundum rectum iudicium: ergo ex condigno, &c. Antecedens patet, quia Paulus ad Timoteũ ſcribens, ita dicebat. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die, iuſtus iudex. In contrarium ſe habet Apoſtolus ad Rom. viii. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, &c. Igitur. Circa quęſtionem hanc uarij uaria dicunt, ego uerò uia reſſolutiua uolens ꝓcedere, ita dicam: hominem gloriam poſſe mereri habentem gratiam, & hanc ex condigno: nec eſt, quod me velint naſo adunco quidam aſpicere ſuo, ratio enim adducta, tales naſum faciet dimittere aduncum. Dico ergo: inter opus gratia informatum, & gloriam, dari ęqualitatẽ, non ſolum proportionis, verũ ẽ: quantitatis.

Nam

Nam licet opus noſtrum, ſecundum operis ſubſtantiam conſideratũ, & vt à noſtro libero prouenit arbitrio, gloriæ aut uitæ ęternæ non ſit condignum, ob maximam inęqualitatem, attamen ſecundũ quod procedit à gratia Spiritus ſancti, ualor eius poterit attendi ſecundum virtutem Spiritus ſancti, mouentis nos, ad uitam ęternam, & ita ibi apparebit ęqualitas quędam inter meritum, & pręmium; ita vt, iam non ſolum ſit meritum de congruo, verum ẽt de condigno. Nunc ad argumenta uenio, & ad primum, ſimilitudinem nego adductam de merito, & demerito reſpectu peccati, cuius ratio aſſignatur, quia licet ex ſua ingratitudine plus demereatur quis, non ob id põt mereri de condigno, quia hoc totum ab alio prouenit, & dependet. Ad illud in ordine ſecũdum, confirmatum authoritate Apoſtoli, de facili reſpondetur, dùm dicitur, quòd Apoſtolus non dicit, quòd corona gloriæ reddatur ſecundum iudicium, ſed quòd reddetur à iuſto iudice, quia à domino, qui iuſtus eſt, & miſericors bonos coronando, qui ex condigno mereri nequeunt, niſi ab alio, vt tactum fuit in corpore, id habeant. Et hęc ſatis.

PRAEDICTA REPETIT, ETC.
Diſtinctio XXVIII.
Lectio CXIX.

IAM oſtenſa in libero arbitrio efficienti gratia adamuſſim: cõſequenter nunc agendum uenit de liberi arbitrij ſufficientia ſine gratia, ad qđ faciendum, vt pręſens diuidatur diſtinctio, ſeptem in ordine perpendemus. Concluſionem primò; Inſinuationem

Hoc idem pręterea de alijs iudicandũ eſſe uirtutibus affirmabant, quæ opinio non probatur hac in parte Magiſtro, nã dùm D. Aug. videtur innuere, qđ fides, & charitas per authoritates adductas, ſint motus animæ, ſeu mentis, non ita, ut uidentur uerba illius ſonare, debent intelligi; at ſano modo, V. g. dùm dicit, quod fides ſit credere, quæ non uides, hoc eſt, ac ſi diceret; fides eſt uirtus mouens ad credendum, quòd non uides, & ſic de ſingulis virtutibus conformiter eſt dicendum: Et hęc de tota diſtinctione ſatis.

DE SIGNIFICATIS DIVERSIS VIRTVTIS. Lectio CXIIII.

QVia in prędeclarata diſtinctione tacta fuit finitio virtutis ab Aug. quæ, cum ſit quoddam ęquiuocum nomen, ne propterea in ęquiuoco laboremus; circa multiplicia ſignificata virtutis uerſabimur in pręſenti, ex quibus intentio vera, & germana ſeligetur. Solet igitur in ſacra ſcriptura varijs accipi modis ipſa virtus: aliquando pro potentia: Vnde Pſal. Verbo domini cęli firmati ſunt, & Spiritu oris eius oĩs virtus eorum. Quandoquè pro fortitudine corporali, ut in Pſal. Aruit tanquam teſta virtus mea: quandoquè, ꝑ uictoria. Iudith. 13. Nobiſcum Deus, qui fecit uirtutem in Iſrael: quandoquè pro armatura bellica. Vnde dicitur, Congregauit uirtutem, & exercitum fortem. Quandoquè pro fructu rei. Ioel 2. Lignũ attulit fructum ſuum, ficus, & vinea dederunt uirtutem ſuam: quandoquè pro operatione, aut actu exteriori. Matth. 6. Non poterat ibi ullam

virtutem

virtutem facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit: quandoquè pro principali agente. Vt Matth. 24. Virtutes cęli mouebuntur: deniq; ſecundum Gabr. accipitur virtus pro qualitate operante, & opus eius bonum, ad quod inclinat, perficiente. Secundum Ariſtotelem virtus dicitur habitus electiuus in mediocritate exiſtens; quæ conſideratio moralis eſt; ad cuius intellectũ, ſiue inueſtigationem, tria ſupponenda ſunt eſſe in anima. Scilicet paſſiones; potentias; & habitus. Inde virtus nuncupanda venit habitus ad excludendos actus uirtuoſos, potentias, & paſſiones. Dicitur deinde electiuus ad reijciendum habitus intellectuales, ſcientiam uidelicet, prudentiam, artem, &c. Hi etenim habitus non dicuntur generari ex actibus electiuis; nam non eligit uoluntas, cui uerò aſſentiat intellectus, ſiue ſpeculatiuo, ſiue practico. Inſuper dicitur in mediocritate conſiſtens, ſcilicet abundantiæ, & defectus, propter uitia, quæ exiſtunt in extremis, V. g. dùm plus, quam oportet, vel minus agitur. Pręterea, dicitur determinata ratione, quia illud medium ſumendum eſt, ſecundum quod ratio recta, ſiue prudentia ſingula conſiderans determinat, ſiue dictat; & per hoc actus excluduntur indifferentes, qui eliciuntur ad nudam apprehenſionem obiecti, nullo rationis dictamine directiuo pręcedente. Si verò breuius uelitis procedere ad uirtutis cognitionem, in forma tali eius diffinitio ponenda. Quod uirtus moralis acquiſita, ſit habitus inclinans ad actum uoluntarium elicitum, uel imperatum conformiter ad dictamen rationis rectæ: non eſt ergo virtus potentia, quia potentia non dicimur boni, vel mali, nec laudamur, nec vituperamur, at uirtute boni dicimur, & laudamur,

& uitijs mali dicimur, ac uituperamur. Nec uirtus paſſio eſt, quoniam eſt ſecundum electionẽ, paſſiones uerò minimè, quia frequenter prȩueniunt deliberationẽ, & uoluntatis electionem. Nec uirtus debet dici actus; nam actus tranſeunt, & uirtutes firmæ, & immobiles manent, ideſt difficulter mobiles. Virtus ergo dici debet habitus ad rationem rectam conformiter elicitus, vel imperatus, ut latius apud Gabr. videre eſt. In ſequenti alia uirtutis docebo ſignificata, & applicabo omnia propoſito noſtro inſeruientia. Et hȩc pro prȩſenti ſatis.

ALIA VIRTVTIS SIGNIFICATA. Lectio CXV.

VErſaturi iterum circa uirtutis ſignificata, tria perpendemus. Primò uaria uirtutis ſignificata; Inſuper docebimus, quot modis corrumpi dicatur uirtus; tertiò, in quo conſiſtat. Circa primum, ſolet uirtus prȩter dicta adhuc quadrupliciter capi, cõmuniſſimè primò; cõmuniter ſecundò; ſtrictè tertiò; ſtrictiſſimè quartò. Primo modo, diuiditur in uirtutem moralem politicam, & gratuitam. Secundo modo, in politicam, quæ eſt habitus acquiſitus, & gratuitam, quæ eſt habitus infuſus. Tertio modo, pro habitu infuſo capitur tantùm, ſiue ſit gratis datus, ſiue gratum faciens. Quarto pro habitu gratuito gratum faciente, determinatiuo ad operabilia, quo ſolo modo habitus charitatis, aut charitate formatus eſt uirtus: Et hȩc de primo puncto. In altero, quot modis corrumpi dicatur uirtus, uidendum eſt: duobus etenim modis,

modis corrumpitur, vt ſcribit Gab. vno modo, per habitum contrarium. Vnde introducto errore circa aliquã concluſionem, eius ſcientia corrumpitur. Similiter in uirtute morali, introducto habitu uitioſo per frequentatos actus uitioſos, preexiſtens corrumpitur uirtus. Vitioſi enim actus ſimul ſtare nequeunt, neq; habitus, V. g. vt mortale peccatum, & charitas. Secundo, quaſi priuatiuè dicitur corrumpi uirtus. V. g. per negligentiam, & longam ceſſationem virtuoſorum actuum; nam ut habitus generatur ex actibus, ita ẽt ex eiſdem conſeruatur; manet tamen vnus diutius, alius uerò corrumpitur citius, ſecundum quod fuerit magis, vel minus intenſus; & ratio non eſt alia, quam naturæ habitus, de quo latius conſulas Gabr. diſtinctione xxiii. q. i. dubio. vi. lib. iii. Et ſicut ex operibus frequentatis generatur habitus, ita ex eis neglectis corrumpitur. His duobus ſectis tertium ut apponatur, ęquum eſt, vt in quo virtus conſiſtat, declaretur; ſuppoſito primo, quod virtus ſit mediocritas duorũ uitiorum, alterius ſecundum exceſſum, alterius ſecundum defectum, vt eſt uidere apud Ariſtotelem 2. Ethic. Vnde in medio dicitur conſiſtere ſecundum Scotum dupliciter, vel ex parte obiecti, vel ex parte actus, ſecundum quod exceſſus, & defectus; quandoq; contingit circa obiectum, vt in obiecto tẽperantiæ põt eſſe exceſſus, & defectus, nam quòd vni eſt multum, alij eſt paucũ. Quandq; ẽt contingit exceſſus, & defectus in actu, ſiue in modo actionis circa idem obiectum, ſicut temperantia moderatur appetitum circa cibum, non ſolum, ne nimis multum, aut nimis paucum ſumatur, ſed ne cibus ꝓportionatus nimis uoraciter, aut nimis leuè ſumatur, ac tediosè; Et ita virtus moralis dicitur

eſſe

eſſe in medio vtroq; modo, quia moderatur appetitū circa vtrunque exceſſum, & defectum, vt ſcilicet tendatur in obiectum proportionatum, & etiam actione moderata, ne vtroq; modo quid nimis: Et hęc de tribus pollicitis.

DE VIRTVTE MORALI IN GENERE, ETC. Lectio CXVI.

HOdierna die vobis quinq; dilucidare intendo, quorum primum reſpicit virtutem moralem in genere; alterum virtutem moralem infuſam; tertium modum cognoſcendi, quot modis virtus uera poſſit dici; quartum naturalem virtutem; quintum heroicam. Quantum ad primum, de morali virtute in genere Gerſon ita fatur, qđ virtus eſt habitus acquiſitus, laudabilis, iuuans, & eleuās animā ad operationes ſuas intellectuales, vel effectiuas elicitas, vel imperatas laudabiliter exercendū. Quidam generaliter, & communiſſimè loquentes de virtute morali, à more, ſiue à conſuetudine cōſueuerunt oēm virtutem moralem uocare, oēm habitum ex frequentia actuum derelictum, & ſic ex cōſuetudine cauſarum perficientem ſubiectum; quo modo oīs virtus acquiſita eſt moralis, & ſic virtus intellectiua à morali minimè diſtinguitur; at in rei ueritate talis acceptio nimis communis, & larga eſt. Alio modo ſolet accipi pro virtute ex actibus uoluntatis cauſata, quæ reddit hominem laudabilem, atque bonum; Et quia duplex eſt actus uoluntatis, elicitus, & imperatus, elicitus ut uelle, & nolle: imperatus eſt actus cuiuſcunque potentiæ ad imperium

voluntatis

voluntatis productus; hinc virtus quandoq; ſumi dicetur ſtrictiſſimè pro virtute ex actibus elicitis uoluntatis derelicta, & talis virtus eſt virtus intrinſecè. Alio modo largius pro uirtute cauſata ex actibus uoluntatis elicitis, vel imperatis, & illa non ſemper inhęret uoluntati, ut talis eſt, at quandoq; intellectui; quandoq; ſenſui; quandoque potentiæ executiuæ; ſub quo ſenſu, virtus moralis dici non poteſt virtus intrinſecè, at contingenter, & denominatiuè, ideſt denominatione extrinſeca. Et hęc de primo ſecto. In altero agendum uenit de virtute morali infuſa, q̃ ſic diffinitur ab Aug. quòd ſit qualitas bona mentis, qua rectè viuitur, & qua nullus malè vtitur, & ut Deus virtutes Theologicas infundit, ita ut ſumme bonus morales. Gerſon uolens hanc aperire diffinitionẽ virtutis, ita dicit. Virtus eſt bona qualitas, ad differentiam malarum qualitatum, cuiuſmodi ſunt prodigalitas, & auaritia. Addit mentis, ad differentiam corporalium qualitatum, quales ſunt albedo, & nigredo. Subiungit, qua virtute rectè viuitur, ad differentiam ſcientiæ, quæ, quamuis bona ſit qualitas mentis, non tamen neceſſariò ea viuitur rectè, ſed potius ea rectè intelligitur. Inſuper additur, qua nullus malè vtitur, ad differentiam naturalium potentiarũ, quibus contingit & benè, & malè vti. V. g. vt rationabilitas, & concupiſcibilitas, & iraſcibilitas, quæ ꝓpriè potentiæ dicuntur. Pręterea dicitur, quam ſolus Deus in homine operatur, quod totum ponitur, ad differentiam virtutum politicarũ, quæ generari dicuntur ex frequenti benè agere. Secundum uerò Gerſon apparet, q̃d prędicta virtutis diffinitio eſt propriè virtutis Theologicæ. Nunc his ita pręmiſſis, ad tertium punctum accedo, ubi videndum eſt,

X *quot*

quot modis virtus uera debeat dici; duobus ergo modis. Vno mo-do uera dicitur virtus, quæ verũ virtutis opus habet, vel eſt nata habere, quantum eſt de ſe. Vnde ueritas dicitur eſſe de eſſentia virtutis. Alio modo virtus uera uocatur, quæ perducit ad finem, primo modo pęnitentia dicitur uera, quia verum habet virtutis actum; ſi ſecundo modo, ecce charitas ſine qua, &c. De quinque propoſitis, iam tribus enodatis, quartum accipite modo, vbi, quid ſit virtus naturalis, declaratur: eſt enim bona inclinatio rationalis creaturæ, non acquiſita, ſed innata ad operationes naturæ ſuæ congruas laudabiliter exercendum, inquit Gerſon. Demum de heroica quęſo virtute agamus dicentes, excellentiſſimam eſſe, conuenireq; cum beatitudine, ad quam communis hominum uita nõ attingit. Vnde heroica virtus, eſt purgati animi ſupra nos, atq; diuina, qua homines Dij nuncupari ſolent, ideo apud Pſal. dicitur. Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi oẽs. Excelſi dicit, ut non quicunq; iuſtus, Deus uocetur; at qui quadam virtutum excellentia cęteros antecellit. Et hęc pauca ex multis vobis ſufficiant.

DE DIVISIONE VIRTVTIS, ETC.
Lectio CXVII.

VT tandem manus extrema hiſce uirtutibus imponatur, in pręſenti de uirtutis diuiſione primò agendũ: inſuper, ſingulæ declarandæ: deinde erit finis. Virtus ergo diuidi ſolet in intellectualem, in moralem, ſiue cardinalem, & in theologicam. Intellectualis dicitur habitus derelictus, ac cauſatus

ab

ab actibus intellectus apprehenſiuis, uel adheſiuis, inclinans intellectum ad obiecti cognitionem, aut ad veri inquiſitionem, inquit Gabr. & dicitur intellectualis, quia talis virtus, vt in ſuo ſubiecto, ponitur in intellectu, & perficit ipſum, ut aliæ intellectuales. V. g. ſcientia, & ſapientia in intellectu ſpeculatiuo, ars uerò, & prudentia in practico. Cardinales virtutes quatuor ſunt, ſcilicet iuſtitia in ſubueniendo miſeris: prudentia in cauendis inſidijs: fortitudo in perferendis moleſtijs: temperantia in coercendis delectationibus prauis; & cardinales dicuntur ſecundum quoſdam quaſi cordiales, ad differentiam virtutum corporalium. Cardo enim ſecundum Iſidorũ à corde deriuatur, quia apo tis Cardias grẹcè, qđ eſt cor latinè. Alij uolunt, quòd Cardinales dicantur, quia in eis, ſicut in Cardinibus, oĩs alia virtus maximè ciuilis uoluitur. Secũdum aũt Philoſophum Cardinales dicuntur, quia in his, ſicut in cardine, eſt reuolutio totius uitæ humanæ ſecundum ſtatum ciuilem, & honeſtum. Theologicæ uerò virtutes tres dicuntur. Fides, ſpes, & charitas. Virtus aũt theologica, vt ſcribit Gerſon, eſt habitus à Deo ſolo infuſus eleuans liberum arbitrium, id eſt facultatem rationis, aut bonitatis, aut vtriuſque ad Deum immediatè obiectaliter, & laudabiliter attingendum. Sed hic notandum ſecundum Gabr. tria requiri ad hoc, vt aliqua virtus theologica poſſit dici. Primum, quòd Deum reſpiciat pro primo obiecto, & principali. Alterum, qđ habeat ueritatẽ pro prima regula actuum ſuorum, ad quos inclinat, & non regulam aliquam humanitus acquiſitam. Tertium, qđ immediatè à Deo infundantur, vt à cauſa efficiente. Harum conditionum prima reſpicit obiectum; ſecundũ

regulam directiuam: tertia cauſam efficientem; quo modo fides, ſpes, & charitas, acquiſitæ non ſunt virtutes Theologicæ, quia tertia conditio deficit. Quo aūt modo virtutes Cardinales, ſeu morales, & virtutes Theologicæ differant, iam ex prędictis patet, & ēt ſcribit Bruleſ. lib. iii. quia virtutes Theologicæ Deum habent pro obiecto. Charitas Deum, inquantum ſummum bonum. Fides inquantum ſumma ueritas. Spes inquantum ſumma largitas. Aliæ virtutes de obiectis ſunt creatis, vt obedientia, caſtitas. Secundo differunt, quia virtutes Theologicæ ſuperiorem portionem habent pro obiecto; at virtutes aliæ ſubiectantur in anima ſecundum portionem inferiorem. Tertio differunt, quia virtutes Theologicæ, nō habent exceſſum in actibus ſuis; nā nullus in amando Deū pōt excedere, in credendo in Deū, & in ſperando, & cōfitendo Deum. Exemplū de alijs, quantū ad exceſſum, vt patet, de liberalitate, & alijs. Pręterea differunt, quia primæ inter duo minimè mala mediant, at aliæ mediant, vt patet de liberalitate. Hęc intantum.

AN VIRTVS SIT HABITVS, ETC. Lectio CXVIII.

MVlta diximus in ante habitis lectionibus de virtute in genere, & in ſpecie, in gratiam diffinitionis virtutis allatæ à beato Aug. Inſuper quo modo nulla virtus ſine charitate poſſit dici uera eſſe, & ſi uera, non tamen perfecta. Conſequens modo eſt duo inquirere, & primò. Num virtus nuncupanda ſit habitus. Inſuper Num habens gratiam poſſit mereri

gloriam.

gloriam. Circa primū, duplici via pro parte negatiua pōt argui, & primo ſic. Virtus eſt vltimum de potentia, vt apertè docet Philoſophus primo cęli: eſt ergo actus, & non habitus. Antecedens patet, quia id, quod eſt vltimum, vt ſit, in potentia actus eſt: ergo. Vlterius, medium ideo dicitur medium, quia participat extremorum naturā, at virtus ponitur medium inter paſſiones: igitur & ipſa erit paſſio, & ita non habitus. Ex alio latere, D. Aug. in oppoſitum ſe habet, dùm dicit, quod eſt bona qualitas mentis, &c. Videtur ergo dicendum, quòd ſit habitus. Pro determinatione huius difficultatis ſciendum eſt, hoc nomen virtutis à vi tractum fuiſſe, ſiue à uiolentia. Vnde motus uiolentus per Ariſtotelem primo cęli dicitur à virtute, ſiue à uiolentia. At quia uiolentiam non poteſt inferre, niſi potentia maior, ideo nomen virtutis tractum eſt ad denominandum potentiæ perfectionem, reſpectu actus, quantum ad eius eſſentiam; tunc dicitur potentia perfecta, quæ pōt, in ſupremum actus ſibi debiti. Aliquando ēt ſolet dici potentia, uel accipi pro perfectione reſpectu actus, quo ad eius determinationem; quo modo, loquitur Philoſophus de virtutibus in Ethicis, cum dicit, qđ virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum: perficitur enim tunc intellectus, ſiue uoluntas, cum poſſunt rectè intelligere, & bonum velle: quare illud, quod determinat intellectum, ad rectè intelligendum, uel appetitum, ad rectè appetendum, corū dicitur virtus. Inſuper, notandum, quod potentiæ inſunt nobis à natura; virtus aūt non, ſed, uel ex acquiſitione, uel infuſione. Pręterea, ſecundum potentiam, nec boni, nec mali dicimur; at per virtutem ſic: ergo. Inſuper, virtus dici non pōt actus, niſi ſumatur ꝓ actu primo, qui

eſt ipſa forma dans eſſe virtuoſum, at ſumendo actũ pro operatione nequaquam virtus actus dicetur, ſed habitus. Nam homo ꝑ actum non dicitur virtuoſus, at per habitum ſic. Relinquitur ergo, quòd virtus ſit habitus. Nunc ad argumenta reſpondetur, & primo, ad primum, quod currit de uirtute ſumpta à naturali potentia, non à uirtute diſponente ad optimum. Alterum argumentum, vnum ſupponebat falſum, qđ uirtus mediet inter duas paſſiones, non enim hoc uerum, at eſt habitus perficiens potentiam, ad medio modo appetendum, ut ſcilicet nõ appetatur aliquid delectabile, uel fugiatur aliquid triſtè ſuperabundanter, & deficienter, ſed medio modo, vt ratio determinabit: & hęc de primo quęſito. Quęritur ſecundo. Num habens gratiam poſſit mereri gloriam. Mihi equidem, quòd ſic, uidetur, nam ut per peccatum meremur, ex condigno pęnam gehennæ: ergo per bonum opus cũ gratia, gloriam meremur ex condigno; pręterea, uita ęterna redditur ſecundum rectum iudicium: ergo ex condigno, &c. Antecedens patet, quia Paulus ad Timoteũ ſcribens, ita dicebat. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die, iuſtus iudex. In contrarium ſe habet Apoſtolus ad Rom. viii. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, &c. Igitur. Circa quęſtionem hanc uarij uaria dicunt, ego uerò uia reſſolutiua uolens ꝓcedere, ita dicam: hominem gloriam poſſe mereri habentem gratiam, & hanc ex condigno: nec eſt, quod me velint naſo adunco quidam aſpicere ſuo, ratio enim adducta, tales naſum faciet dimittere aduncum. Dico ergo: inter opus gratia informatum, & gloriam, dari ęqualitatẽ, non ſolum proportionis, uerũ ẽt quantitatis.

Nam

Nam licet opus noſtrum, ſecundum operis ſubſtantiam conſideratũ, & vt à noſtro libero prouenit arbitrio, gloriæ aut uitæ ęternæ non ſit condignum, ob maximam in ęqualitatem, attamen ſecundũ quod procedit à gratia Spiritus ſancti, ualor eius poterit attendi ſecundum virtutem Spiritus ſancti, mouentis nos, ad uitam ęternam, & ita ibi apparebit ęqualitas quędam inter meritum, & pręmium; ita vt, iam non ſolum ſit meritum de congruo, verum ẽt de condigno. Nunc ad argumenta uenio, & ad primum, ſimilitudinem nego adductam de merito, & demerito reſpectu peccati, cuius ratio aſſignatur, quia licet ex ſua ingratitudine plus demereatur quis, non ob id põt mereri de condigno, quia hoc totum ab alio prouenit, & dependet. Ad illud in ordine ſecũdum, confirmatum authoritate Apoſtoli, de facili reſpondetur, dùm dicitur, quòd Apoſtolus non dicit, quòd corona gloriæ reddatur ſecundum iudicium, ſed quòd reddetur à iuſto iudice, quia à domino, qui iuſtus eſt, & miſericors bonos coronando, qui ex condigno mereri nequeunt, niſi ab alio, vt tactum fuit in corpore, id habeant. Et hęc ſatis.

PRAEDICTA REPETIT, ETC.
Diſtinctio XXVIII.
Lectio CXIX.

IAM *oſtenſa in libero arbitrio efficienti gratia adamuſſim: cõſequenter nunc agendum uenit de liberi arbitrij ſufficientia ſine gratia, àd qđ faciendum, vt pręſens diuidatur diſtinctio, ſeptem in ordine perpendemus. Concluſionem primò; Inſinuatio-*

nem ſecundò; Pelagij increpationem tertiò; Eius reſponſionem quartò; Propoſitionem quintò; Rationes quinq; ſextò; Concluſionem cum determinatione ſeptimò. Quantum ad primum. Sit hęc concluſio. Etſi liberum arbitrium in merito dicatur magnam habere virtutē, tamen ſine gratia minimè ſufficit ad ſalutem. Hanc volentes ſecundo inſinuare loco, una cum Magiſtro ita dicemus: liberū arbitrium homini ſufficere minimè ſine gratia ad ſalutem, quāuis Pelagiana hęreſis oppoſitum ſentire uideatur. Num Pelagius monachus, ſed malus monachus, quia malè ſentiebat, & pertinaciter, à quo talis hęreſis denominatur, intantum de libero arbitrio pręſumebat, ita vt aſſereret, gratiam Dei dari, ſecundum eius merita. Inſuper, hominem poſſe mandata Dei ſine gratia implere. Ad quā opinionem ſequuta eſt increpatio, de qua eſt ſermo tertio loco. Vnde increpatus à cōmonachis ſuis dicentibus, ad q̄d gratia tunc, neceſſaria eſſet, ſi abſq; gratia poſſemus adimplere mandata? qui reſpondit ad hoc, vt homo facilius cum Dei gratia poſſet adimplere pręcepta; addebat pręterea maledictus iſte inconuenientia multa alia, ſcilicet ex hoc ſequentia, V. g. orationes, quas facit Eccleſia, nihil his conferre, pro quibus fiunt, ſaltem infidelibus, & peccatoribus, ſiue fidelibus, quia ex ſua natura, ꝓpriaq; voluntate ad Deum conuertantur, & non ex orationibus noſtris. Inſuper, paruulos naſci ſine peccato originali dicebat, quod totum hęreticū eſt: igitur, & ipſe hęreticus: quare eat in malam crucem, quia in tantam deuenit cęcitatem, vt diceret, quæ nec ſenſui, nec ullo modo rationi erant cōſona, & hęc de punctis quatuor. In quinto ponitur talis propoſitio. Licet viatoribus liberum ſit innatum arbitrium,

tamen

tamen ſine Dei gratia nullus poteſt adimplere preceptū, nec uitare peccatum. Pro cuius intellectu rationes quinque, ſexto loco adducuntur: quarum prima ſic ſe habet ad confirmandam opinionem pelagianorum iam prętactam. Homo, dicebant iſti hęretici, per ſolum liberum arbitrium, ſine gratia, poteſt uitare peccatum, & facere bonum: ergo per ſolum liberum arbitrium pōt mereri: conſequentia uidetur eſſe clara ex hoc, quia homini culpa nō imputatur, in eo qđ uitare non pōt; aſſumptum per Aug. manifeſtum uidetur; nam ait ipſe, quòd voluntas eſt, qua peccatur, & rectè viuitur. At errant iſti, ex falſo intellectu authoritatis D. Aug. quæ habet intelligi cum additione, V. g. qua rectè viuitur, aſſiſtente gratia, ò hęretici maledicti; & qua peccatur deſiſtēte gratia. Altera ratio ſic ſe habet: ſi mandata Dei ſine Dei gratia ſeruari non poſſent, tunc aliqui non ſeruantes eā, nō peccarent, vt patet de paruulis in originali peccato natis, at conſequens falſum eſt; & conſequentia patet authoritate beati Aug. dicentis, quòd nullus debet reputari reus, ideo quia non fecit, quod facere non potuit. Cui difficultati occurrens ipſe Magiſter, inquit: beatum Aug. hoc verbum ſcripſiſſe contra Manicheos, duas in homine ponentes eſſe naturas, bonam vnam, alteram malam. Bonam à Deo; malam aūt à diabolo: quod ſi ita foret, tunc ſecundum malam illam naturam, homo bona facere non poſſet; nec vnquam velle bonum: & tunc huiuſmodi, non eſſet ſibi imputandum, qđ non faceret bonum, nec etiam, quod malus eſſet. Tertiò arguebant ſic. Homo pōt à peccato reſurgere, ſine gratia: ergo, & bonū facere ſine gratia: patet hoc per Aug. dicentem, quòd mutare voluntatem, eſt in noſtra poteſtate. Re-

ſpondet

ſpondet Magiſter ad Aug. authoritatem, dùm ait: eſſe intelligendam hoc modo, qđ quamuis mutare voluntatem in noſtra ſit poteſtate, hoc nihilominus à Deo eſt per gratiam. His tribus rationibus, quarta in ordine ſic additur. Homo dicitur poſſe credere in Deum ſine gratia: igitur, &c. Patet per Aug. ita dicentem, qđ credere, & velle, eſt noſtrũ. Ad hoc dici põt, qđ aliud eſt credere principaliter, & aliud ex conſequenti; primo modo concedo, qđ credere, Dei ſit, & velle principaliter, noſtrum aũt ex cõſequẽti, ſic ratio nulla. Huic nectitur vltima in ordine ratio quinta, ſic. Habere fidem, eſt naturale homini: ergo ſine Dei gratia, in Deum homo credere põt, & fidem habere, ſi ſic: ergo ex conſequenti poterit benefacere. Reſpondetur ad hoc, eſſe quidem naturale homini, ſecundum inclinationem, fidem poſſe habere, quia dicitur inclinari ad credendum, & diligendum Deum, attamen credere, & intelligere meritoriè, non fit, nec eſt ſine gratia, ò hęretici. Poſtremo ex prędictis, ſeptimo venit apponenda concluſio loco, hiſce verbis. Aberrant toto cęlo omnes illi, qui dicunt, nos ad bonum Dei auxilio non indigere. Errant ſimiliter illi, vt Manichei, ponentes hominem propter malam naturam, non poſſe peccatum vitare: errant ſimiliter illi, qui ponunt homines peccare minimè poſſe propter naturam bonam, ſicut maledicti Iouiniani, quia hoc dicentes, & perperam aſſerentes, liberi tollunt arbitrij libertatem; ſecundum quam, vt tenet ſententia Catholica, homo ſemper poteſt peccare, & non peccare. Et hęc de tota diſtinctione, pro pręſenti.

Lectio

Lectio CXX.

IAM planè declarata fuit prçcedens diſtinctio ad aures Magiſtri ſent. Nunc verò examinanda venit, vbi duo principalia ſeſe nobis offerunt inquirenda: quorum primū. Num ſine gratia, veritatem valeat homo aliquam cognoſcere, ſiue intueri. Alterum eſt: num aliquod bonum ſine eadem gratia queat facere. Circa primum, extant rationes quędam pro negatiua parte, quarū prima ſic ſe habet: ſenſus viſus non poteſt videre ſine extrinſeco lumine: igitur nec intellectus quid intelligere, abſq; lumine ſuperaddito, quod gratis datum eſt. Inſuper, poſſibile non eſt veritatis ſcientiam acquirere per doctrinam exterius, niſi Deus doceat interius, ait D. Aug. lib. de Magiſtro; ergo multo minus per inuentionem, & ſic nullo modo: quare, &c. In contrarium video vos, argumentari poſſe dicentes: ſi abſque gratia non poſſemus aliquod verum cognoſcere; tunc intellectus ſua ꝓpria careret operatione, at hoc inconueniens eſt: ergo, &c. Inſuper, nullum noſtrum intelligere eſſet purè naturale; hęc incommoda ſunt, ad quæ tollenda, erit dicendum, q̄d homo ſine gratia poſſit aliquid veri cognoſcere. Pro intellectu huius queſtionis, diſtinctio de duplici gratia prçmittenda eſt, vno enim modo ſumitur gratia ꝓ Dei grata prouidentia, qua Deus gratis rebus oībus ea impendit, quæ ipſis conuenire dicuntur: alio modo, ꝓ habituali dono in potentia animæ recepto. Primo modo, nulli dubium eſt, q̄d ſine Dei gratia, nequaquam quid poſſumus intelligere, quia eſſet velle tentare impoſſibile oībus modis: non enim poſſibile eſt ſine intellectu intelligere, quē Deus

hominis dedit, ex ſua prouidentia, tanquam neceſſarium ad finem ſuum: ſine gratia itaq; primo modo ſumpta, homo veritatem non valet cognoſcere. Si verò gratia accipiatur ꝓ dono habituali, tunc diſtinguo; illud enim donum, vel erit gratum faciens, vel ſolum gratis datum. Si primo modo, ſine gratia veritatem poſſumus cognoſcere: loquendo tamen de ueritate habente eſſe in ſenſibilibus; at de illa ſupernaturali, & prima, ſic, & non: ſic, coniecturaliter; non, perfectionaliter abſq; gratia, & gratis data, & gratũ faciente. Nunc argumenta formata de facili ruent, ſi ad primum dixerimus: lumen requiri ad viſionem corporalem, non per modum cooperantis, at diſponentis medium, ſic. Ita in propoſito, de cognitione veritatis per collationem ad gratiam dicendum. Concurrit ergo lumen tanquam quid viſui ad operandum, diſpoſitiuè, at non per modum cooperantis. A ſimili, de intellectu põt dici, cuius obiectum eſſe preſens põt, ſine quocunq; dono habituali: quare, &c. Ad ſecũdum dicitur: nullum poſſe ſcientiam exterius acquirere per doctorem extrinſecum, niſi per verba, & nutus mouentes adiſcentem, at intrinſecus à Deo cauſante veritatem perfectè; cõceditur ergo, quòd nullus perfectè exterius poſſit veritatem acquirere, niſi in mouendo; at in cauſando à ſolo Deo: quare, &c. Iam prima paucis enucleata verbis queſtione, accedit altera in ordine ſecũda, dùm queritur. Num homo, ſine gratia, valeat aliquod bonum facere. Mihi certè videtur eſſe dicẽdum, quòd non, cogitare etenim bonum non poſſumus abſq; gratia: igitur nec illud facere, antecedens patet per Apoſtolũ ad Cor. dicentem. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, &c. Ergo patet intentum, nec mirum:

nam

nam cogitatio boni precedit operationem eiuſdem. Inſuper arguitur teſtimonio Ioan. ita dicentis, Sine me nihil poteſtis facere; non itaq; bonum, ſine Dei gratia. In oppoſitum dicetis vos, vt intellectus ad cognitionem ueri, ita & voluntas ad eius amorem, at intellectus verũ cognoſcere ſine gratia põt, vt iam diximus: igitur & voluntas bonum appetere, & facere. Pro determinatione huius queſtionis diſtinctionem de duplici bono premittam, deinde ad argumenta reſpondebo: datur ergo duplex bonum, morale vnum, alterũ meritorium. Primo modo dicitur; hominẽ poſſe operari opus bonum concurrentibus principijs ſufficientibus ad aliquam operationem, & ex conformitate ad rectam rationem; at ſecundo modo, abſolutè negandum, quòd homo ſine Dei gratia bonum meritorium ualeat operari. Hinc expreſſus apparet Pelagij error, dicentis: liberum arbitrium ſufficere ad merendum ſine Dei gratia; quod minimè verum eſt: nam, quamuis dicatur ſufficere per ſe ad eliciendum opus morale bonum ex genere, ob id generalis Dei influentia tolli non debet, qua rerum principia in eſſe conſeruat, & ſine qua nihil eſſet, aut fieret. Nunc ad primam rationem paucis dico, nos minimè ſufficienter, nec faciliter poſſe cogitare, quæ ad fidem pertinent ſine Dei dono habituali, ità nec bonum ſine Dei gratia meritorium operari. Illud uerò Ioan. dicitur eſſe verũ; nam ſublata generali Dei influentia, nihil eſſet, nec fieret, ſine Dei gratia: ergo bonum opus meritorium ex nobis operari neutiquam poſſumus.

AN QVODCVNQVE MORTALE PECCATVM HOMO SINE GRATIA POSSIT VITARE?

Lectio CXXI.

PRędeclaratis duabus queſtionibus tres aliæ addendæ erũt in pręſenti: quarum prima. Vtrum quodcunq; mortale peccatum ſine gratia poſſit homo vitare. Altera, Vtrum ſine gratia diuina quis valeat implere pręcepta. Demum, Vtrum ad gratiam ſe pręparare ſine dono ſpeciali, ac motione Spiritus ſancti. Quo ad primam, audeo partem his vijs tueri negatiuam; à pede enim defectuoſo actus defectuoſus prouenit, at voluntas ſine gratia defectuoſa: ergo actus illius, vt defectuoſus, peccatum erit: quare ſine gratia quodcunq; mortale vitare minimè poterit. Inſuper inſtatur ſic: neceſſe eſt mori: igitur ibi neceſſitas peccandi, non ergo ſine gratia homo mortale quodcunq; pōt vitare. Antecedens, quia forſitan ſuſpectum vobis apparet, propterea authoritate Apoſtoli ad Rom. v. probatur, ibi enim dicitur, quod mors à peccato eſt conſequuta. Pro intelligentia huius difficultatis ſcire debetis: nos de homine verba duobus modis poſſe facere: vno modo, ſecũdum ſtatũ ſuæ naturæ integræ, in quo potuit carere gratia, & culpa. Alio modo, ſecundum ſtatum naturæ corruptæ, pro quo ſine gratia exiſtens homo inuenietur in culpa. Si primo modo, nulli dubium, quin homo ſine gratia quodcunque non potuerit mortale peccatum deuitare, ratio huius aſſignatur, quia tunc plenè actus deliberationis, in quo ſolo mortalis culpa exiſtere pōt, in hominis dominio erat: potuit itaq; in tali ſtatu naturæ integræ homo circa

hunc

hunc actũ non exorbitare, & ita non peccare mortaliter. In ſtatu verò naturæ corruptæ, vt puta poſt peccatum parentum, neceſſe eſt in gratia, vel in peccato eſſe: quod duobus intelligi habet modis, vel de peccato cõmiſſo, uel cõmittendo: ſi primo modo, ſine gratia non põt homo vitare peccatum, cũ nequeat de peccato ſatisfacere ſine gratia. Si verò loqui uoluerimus de peccato committendo, tunc diſtinctione opus erit, vel enim peccatum erit contra pręcepta iuris naturalis, vel contra pręcepta diuina: primo modo poteſt concedi pars affirmatiua, at ſecundo modo minimè. His ita pręmiſſis, rationes modo ſoluendæ, deinde erit finis primæ queſtionis: dicitur ergo ad primam, quod voluntas defectuoſa dupliciter dici põt, vel quantum ad actum, vel quantum ad reatum. Primo innitendo, & adhęrendo malo fini, tunc illius actus defectuoſus, & peccatum; at quantum ad reatum, non inconuenit, quod voluntas poſſit opus bonum eligere, & quodcunq; malum euitare. Quia licet defectuoſa ſit, quantum ad actum, & in eo, quod nititur malo, non propter hoc tollitur ratio, quin ei poſſit inniti, & ita malum futurum deuitare; conceditur ergo, quod voluntas defectuoſa actum ꝓducat defectuoſum, qui ſit peccatum, quantũ ad actum, actu ſcilicet malo adhęrendo: negatur nihilominus, quod malum, quantum ad reatũ, vt diximus, nequeat euitare, & hęc de prima ratione. Ad ſecundã reſpondetur: moriendi neceſſitatem ex originali culpa quidẽ eſſe conſequutam, at non ex actuali peccato, qđ oẽs committunt: ratio ergo primo mòdo conceditur; at ſecundo modo negatur, & ſic queſtio prima finitur: Altera ſubſequitur, dùm quęritur. Num ſine Dei gratia diuina quis valeat adimplere pręcepta. Homo, vt

primo

primo aſpectu mihi videtur, in gloria ſine gratia eſſe non poteſt: igitur nec diuina pręcepta ſine gratia implere, alioquin malum nunquam committeret, & ex conſequenti damnationem ſe ipſo effugeret, at hoc dici nō debet, neq; primum tenendum erit: quare ſine gratia diuina homo non ualet adimplere pręcepta. Inſuper, inquit Aug. de hęreſibus, hoc pertinere ad hęreſim Pelagianorum credentium pertinaciter, naturaliter hominem ſine gratia adimplere diuina poſſe pręcepta, ad quā malam peſtem euitandam, pars hilari vultu hęc tenenda, qđ homo nequeat huiuſmodi ſine Dei gratia, &c. In oppoſitum dicetis vos: cur ergo ad Rom. ita fatur Apoſtolus: Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt? videtur itaque, qđ legis pręcepta ſine gratia poſſint impleri. Pro determinatione huius difficultatis duo ſunt pręmittenda: quorum primum eſt, quod in omni pręcepto duo conſiderantur, ſcilicet pręcepti materia, & finis. Materia pręcepti, ſub obligatione cadit, eſt enim illud, quod pręcipitur. Finis aūt pręcepti ſub intentione cadit, nā pręcipiens intendit, vt mediante pręcepto ad illud perueniatur. V.g. legiſlator pręcipit non percutere ciuem, & intendit per hoc inter ciues fouere amicitiam: ſic Deus dando fidelibus pręcepta, intendit ſummum bonum. Alterum in ordine ſecundum memoriæ tradendum, diſtinctionē reſpicit principiorum, ideſt pręceptorum; quędam enim ſunt iuris naturalis, quędam alia iuris ſupernaturalis. His pręmiſſis, duæ ponendæ ſunt cōcluſiones, deinde rationes ſoluendæ. Prima cōcluſio talis. Homo ſine ſpeciali gratia valet implere iuris naturalis pręcepta; nec mirum, quia potentia dicitur poſſe in actum ſibi proportionatum,

vt

vt in propoſito eſt. Altera concluſio. Homo ſine Dei gratia iuris diuini, ſiue ſupernaturalis, adimplere minimè pōt prȩcepta, cuius ratio eſt duplex: primò, quia potentia non eſt proportionata in talem actum: quare, vt proportionetur, eget gratia, nō ergo iuris ſupernaturalis homo diuina ſine gratia, pōt adimplere prȩcepta: quibus actus virtuoſi prȩcipiuntur, & actus vicioſi prohibentur per prȩcepta negatiua, vt illi per affirmatiua. Altera ratio aſſignatur, & eſt, quòd habere gratiam ſub p̃cepto cadit: materia itaq; prȩcepti, ſiue prȩceptum ſine gratia poteſt impleri. Nunc ad rationem primā adductam paucis dicendum, quòd homo ſine gratia preuia qualitercunq; data non poteſt eſſe in gloria, ſic nec diuina ſeruare, & adimplere prȩcepta ſine diuina gratia. Ad illud Aug. de facili dicitur argumentum, quòd habet intelligi de mandatorū impletione cum peruentione ad finem à legiſlatore intentum: illo etenim modo ſine Dei gratia impleri nequeunt. Et hȩc de duobus punctis. In tertio quȩritur. Num ſine dono ſpeciali homo ſe ad gratiam valeat prȩparare: mihi, quòd non, videtur, nam homo mortuus corporaliter ſe ad vitam corporalem recuperandam prȩparare non pōt: igitur nec mortuus ſpiritualiter poterit ſe prȩparare ad vitam ſpiritualem, quæ eſt per gratiam. Inſuper, qui trahitur ab alio, per ſe ipſum ad gratiam prȩparare non pōt, at nemo trahitur, niſi à Deo: igitur. Hoc Ioan. authoritate declaratur ita dicentis. Nemo pōt venire ad me, niſi pater, qui me miſit, traxerit illum: quare, &c. At dicetis vos: cur ergo Prouerbiorum xii. Cap. dicitur: Hominis eſt animum prȩparare? ſed homo hoc per ſe ipſum poteſt, ita & ex conſequenti poterit ad aliquam ſe prȩpa-

rare gratiam. Pro determinatione huius queſiti, dimittam varias in medium adducere hic opiniones; illud tamen ſilentio minimè inuoluam, quod videtur ad noſtram pertinere vtilitatem. Dico ergo, quod gratia, vt alias tactum fuit, quandoq; ſumitur pro dono habituali infuſo animæ rationali, quandoquè ẽt pro dono naturali. Tertiò pro Dei prouidentia. Si primo modo de gratia loquamur, homo dicitur poſſe ſe preparare ad gratiam; at alijs duobus modis nequaquam, nec ẽt ſine gratia primo modo capta dicitur poſſe ſufficienter, ſed leuiter, & inſufficienter, quia non efficaciter; ſic ergo, & non, vt ex dictis patet. Nunc rationes è medio tollendæ, deinde erit finis. Ad primã de morte corporali, & ſpirituali ſimilitudo, ſiue cõparatio negatur, & ratio eſt, quia in morte corporali attenduntur duo: ſcilicet priuatio actus vitæ, & potentiæ; at in morte ſpirituali, licet tollatur actus, remanet tamen potẽtia, et aptitudo ad vitã gratiæ recuperãdã; nõ aũt naturæ. Secũdũ argumẽtũ dicitur currere de gratia pro dono habituali infuſo à Deo, ſine quo nullus põt ad Deũ ire. In attingendo itaq; finẽ vltimũ, gratia exigitur, at in ꝑparãdo ſe ad talẽ finẽ, hoc ſiue ſpeciali dono, de quo dictũ fuit à nobis non eſt negandũ. Primo ergo modo ſine gratia non põt homo, at ſecundo modo ſic ſe ad gratiam preparare. Et hęc ſatis.

VTRVM HOMO ANTE PECCATVM, ETC.
Diſtinctio XXIX.
Lectio CXXII.

H*Aec eſt diſtinctio vigeſima nona in ordine huius lib. ſecundi: circa quam uerſaturi continuationem primo loco tangemus,*

gemus, deinceps ad diuiſionem accedemus. Quantum ad primum. ex quo determinatū fuit ſuperius de gratia abſolutè, nunc de cadē per comparationem ad ſtatum primi hominis agendum. Habita in hunc modum continuatione, vna cum intentione, diuidi modo pōt hęc diſtinctio in puncta nouem. In quorum primo ponitur vna concluſio; In altero duæ quęſtiones; In tertiò reſponſiones; In quartò noua cōcluſio; In quintò inſinuatio; In ſextò ſolutio cuiuſdam authoritatis Genes. In ſeptimo propoſitio; dubium in octauò; ſolutio in nono. Quo ad punctum primum, concluſio talis eſt. In ſtatu innocentiæ primus homo gratia non videtur indiguiſſe ad malitiam expellendā, at bene gratia, & charitate ad exercendum iuſtitiam. Hanc manifeſtaturus Magiſter ſent. in altero puncto duas inquirit quęſtiones, quarum prima ſic ſe habet. An primus homo in ſtatu naturæ inſtitutæ gratia tàm operante, quàm cooperante indiguit? altera queſtio eſt. An primus parens habuerit ēt virtutes? ꝓpoſitis difficultatibus, ſuperſunt reſponſiones in tertio apponendæ loco. Quantum ad primam, dicitur vtraq; gratia indiguiſſe, licet gratia operante oībus modis, ideſt ſecundū oēm modum operandi non eguerit: illa enim gratia duobus dicitur operari modis: primò liberum arbitrium à malo liberando, & ſeruitute peccati; ſecundum quē operandi modum gratia operante non indiguit primus homo, q̃a tunc temporis in illo ſuo primo ſtatu ſine peccato erat: alio modo talis gratia operari dicitur, hominis voluntatem ad bonum pręparādo: ſub quo ſenſu indiguit gratia primus homo in illo innocentiæ ſtatu, & huius ratio aſſignatur, quia eius uoluntas efficaciter per ſe in bonum moueri nō poterat. Nam bonū abſq;

gratia mereri minimè poterat, vt apertè teſtatur D.Aug. in Enchi. Accedo nunc ad ſecundam quęſtionem de virtutibus iam propoſitam, vbi pro reſponſione, quid ſenſerint quidam, non omittendum: ſunt enim opinati nonnulli, primum parentem virtutes minimè habuiſſe, quoniam Dei pręceptum contempſit, ideo iuſtitiam non habuit, nec prudentiam, quia ſibi non prouidebat: non temperantiam, quia aliena petijt: nō fortitudinem, quia prauæ ſugeſtioni non reſtitit. Huic perſuaſioni volens reſpondere Magiſter, ita ait. Licet Adam, quando actualiter peccauit, tunc temporis virtutes illas non habuerit: ante nihilominus eius peccatum eas habuiſſe dicitur, qđ multis ſanctorũ teſtimonijs affirmatur: ait enim D.Aug. in quadam Homelia; Adam perdita charitate malus inuentus eſt. D.Ambr. de hoc eodem ad Sabinum ait. Quando Adam ſolus erat non eſt pręuaricatus, quia mens eius Deo adhęrebat. Non eſt ergo dubitandum, hominem ante peccatũ nō habuiſſe virtutes, ſed benè illis per peccatum expoliatum fuiſſe; Et hęc de tertio ſegmento. In quarto ponitur hęc ꝓpoſitio, ſiue cōcluſio. Primus parens propter peccati indignitatem de paradiſo eſt expulſus, & de ligno vite comedere prohibitus: propter quod poterat, ſi perſtitiſſet, viuere in ęternum: hanc uolens in quinto membro inſinuare Magiſter ita dicit: Primum hominem in ſui peccati pęnam à paradiſo loco uoluptatis eiectum, nec non ab eſu ligni, per cuius eſum viuere poterat in ęternũ: nō ſic poſt peccatũ, ſed ante; & hęc de quinta parte. In ſexta ſoluenda uenit authoritas Gen. qua innui videtur, qđ ẽt poſt peccatum, ſi de ligno uitæ comediſſet in ęternum vixiſſet ergo talis authoritas: Videte ne forte manum ſuam mittat ad lignum uitæ, &

viuat

uiuat in æternum. Quæ ſic gloſanda eſt. Videte vos Angeli, ne comedat de ligno uitæ, quo indignus eſt, de quo tamen, ſi perſtitiſſet, & comediſſet, proculdubio in æternum uiueret. His ſeptimo loco venit addenda talis propoſitio. Licet probabile ſit, Adam in illo innocentiæ ſtatu de ligno uitæ comediſſe, attamen, quia frequenter eius vſum minimè habuit, iccircò immortalitatē non obtinuit. Pro cuius probatione octauo dubitatur loco. Vtrùm de ligno uitæ ante peccatum comederit. Si ſic, cur non ſit factus immortalis? poſt dubium nonò ſequitur reſponſio loco, dùm dicitur, quod Adam ante peccatum de ligno uitæ comedit, quia ſibi ad vſum oīa fuerāt ligna conceſſa preter vnum, de quo frequenter quia non guſtauit, ideo lignum illud immortalitatem ſibi conferre non potuit: quare immortalis carens vſu frequenti illius ligni effici non potuit. Quæ oīa perbellè in preſenti habentur diſtinctione. Et hęc ſatis.

AN IN STATV NATVRAE INSTITVTAE, HOMO INDIGVERIT GRATIA?

Lectio CXXIII.

E*Xaminaturi diſtinctionem ſuperiorem iam declaratam tria nobis inquirenda erunt, & primò. Num gratia in primo ſtatu eguerit homo. Inſuper, Num tunc temporis Adam oēs habuiſſet virtutes. Tandem, Num opera magis meritoria fuiſſent, quàm modò. Circa primum ad partem negatiuam declinantes quidam ita arguunt: gratia ſupponit culpam, at in illo ſtatu non erat culpa: ergo nec indigebat gratia: In contrarium ſe*

habet Apoſtolus ad Rom. 6. Gratia Dei vita æterna; in quolibet ergo ſtatu videtur fuiſſe neceſſaria gratia ad vitam æternam conſequendam. Pro determinatione quęſiti velim uos ſcire: hominem primum in gratia fuiſſe conditum, eaque eguiſſe ad meritum vitæ ęternæ, quo ſtante ad rationem adductam de facili erit reſpõdere; diſtinctione p̃miſſa de duplici ſtatu, ante peccatũ, & poſt. Gratia pro hoc ſtatu ſupponit peccatum, at pro illo ſtatu non; & ſic ruit ratio formata: non ergo eguit gratia, quo ad culpam, quæ ibi non erat, nec quo ad illum conſeruandum ſtatum; at benè ad vitã ęternam conſequendam. Explanato paucis, & enodato uerbis primo puncto, accedit alterum in ordine ſecundum, vbi inquiritur. Num oẽs habuiſſet virtutes primus homo. Mihi certè, quod ſic, videtur eſſe dicendum; nam fuiſſet maximè perfectus: ergo oẽs habuiſſet virtutes: Inſuper, ſi caruiſſet virtutibus pro illo ſtatu, cũ poſt peccatum eas acquirat, de incommodo, & peccato commodum reportaſſet, at hoc inconueniens eſt: ergo. Pro intelligentia determinationeuè huius quęſtionis ſcire debetis: virtutes in triplici gradu reperiri, quędam enim ſunt Theologicæ; quędã intellectuales; quædam uerò morales. De illis primo, & ſecundo modo captis nulli dubium; fuiſſent enim in primo ſtatu; quia melius eſt eſſe, quã non eſſe. De moralibus uerò dubitarunt quidam, quia ibi paſſiones moderandas non ponebant; cum oĩa rationi eſſent ſubiecta; at pro ueritate rei velim uos ſcire: virtutum moralium quaſdam eſſe circa operationes, vt eſt iuſtitia, & liberalitas, & huiuſmodi; alias uerò circa paſſiones moderandas. De primis dicendum, ſicuti dictũ fuit de intellectualibus; ibi enim fuiſſet ratione ſuperius allata. De alijs

verò

verò pōt dici, quod ibi ēt fuiſſent, vt pertinentes ad rationem originalis iuſtitiæ, vel formaliter, vt quidam putant, vel virtualiter; & ſic acquiſitæ nō fuiſſent, ſed innatæ, vel infuſæ. Nunc ad rationes duas formatas quid dicendum, audite; nam prima currit de perfectione innata, & infuſa, nō de acquiſita. Vnde tunc non fuiſſent habitus acquiſiti, vt modo. Secunda ratio currit de commodo ex peccato, quia nullum in hoc commodum reportare dicitur, nam perfectionem, quam nunc habet tractu temporis, & difficultate acquirendo, tunc habuiſſet à principio plenius, & altiori modo, quo ad illa paſſiones appetitus ſenſitiui reſpicientia. His tertio quęrendum venit loco: Num pro tunc opera meritoria magis, quā tunc fuiſſent; mihi videtur, qđ non; quia nunc difficilius eſt benè operari, quàm prius: ergo. In oppoſitum dicetis uos: nonne quāto aliquid eſt purius, melius eſt? at in ſtatu innocentiæ merita fuiſſent puriora: igitur, &c. Pro dilucidatione huius difficultatis quędam pręnotanda ſunt; & primò, quod meritum duplex eſt, eſſentiale, & accidentale: inſuper, quod comparatio fieri pōt ſtatus ad ſtatum, & hinc inde æquale meritum reſpectu pręmij eſſentialis. Quantum uerò ad pręmium accidentale ſiue meritum, qđ ex difficultatę operis ꝓuenit, ut in martyrio, & virginitate nulli dubium, quin merita moderna excedant, quæ tunc fuiſſent. Si verò fiat cōparatio meritorū perſonarum ſingularium ſtatus priſtini, & moderni, dicendum eſt, qđ tantùm poſſunt homines mereri nunc, quātum tunc, ſed non ita facile. His ita pręmiſſis, nunc ad rationem adductam reſpondeo, & dico, quod meritum in pręſenti ex difficultate operis non augetur, nec ex eius natura, ſiue conditione, at

ſolum ex conditione operantis. Vel ſic, ſi meritum augetur, hoc ad meritum dicetur accidentale attinere, non eſſentiale, & ita ratio remanet ſoluta. Ad illud in contrarium dicitur, quod puriora quidem fuiſſent, at non eſſentialiora: Et hęc ſatis.

QVOD PER ADAM, ETC.
Diſtinctio XXX.
Lectio CXXIIII.

IN ſuperioribus inſinuatū eſt (licet ex parte) qualiter primus deliquerit homo, & quam pro peccato pęnā ſubierit. Quibus nunc adijciendum eſt, peccatum, ac pęnam per eum tranſiſſe in poſteros. Poſita in hunc modum continuatione vna cū intentione, ſupereſt conſiderare modò pręſentis diſtinctionis diuiſionē: mihi etenim apparet, quod in octo hęc vſurpari poſſit partes. In concluſionem primò; In propoſitū pro dilucidatione cōcluſionis ſecundò; In alteram concluſionem tertiò; In inſinuationem quartò; In ſolutionem duarum difficultatum quintò; In ꝓpoſitionem ſextò; In quęſitum ſeptimò; In vnū circa uerba Magiſtri notandū octauò. Quò ad primum concluſio hęc eſt: Primorum parentum originale, actuale peccatum fuit mortale, & ab eis in poſteros deriuatum. Ad cuius intellectum ſecundo loco proponit Magiſter, & peccatum, & pęnam peccati in poſteros tranſire; quòd peccatum dixerunt quidā eſſe actuale ipſius Adæ, qđ authoritate Apoſtoli nitebantur probare, ita dicentis: Sicut per incbedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita, &c. videtur itaque, quod fuerit

peccatum actuale. Quidam alij, vt Pelagiani, exiſtimarunt peccatum, quod intrauit in mundum per Adam, et actuale peccatum eſſe, at non ipſius Adæ, ſed cuiuſlibet hominis, introductum tamen in mundum per Adam, nõ introductione originis, at tantùm ſimilitudine preuaricationis, eò q̃a ille vnus oĩbus exemplum reliquit: at hoc conſonũ minimè videtur, nobiliſſimi Auditores: dato enim, quod originale peccatum ſolum diceretur exemplum peccati pręſciti ad peccandum, tunc ẽt deberet dici, quod tranſiret à dęmone in homines, qui primum peccandi reliquit exemplum: at hoc quid abſurdius? tenẽdum igitur eſt peccatum ab ipſo Adam in poſteros tranſiuiſſe, non ſolum imitationis exemplo, at propagationis, & originis vitio; vt apertè fatetur D. Aug. ita dicens, qđ originale peccatum, tranſiuit ab Adam in oẽs per eius carnem vitiatam, cõcupiſcentialiter generatos. His tertio venit addenda loco talis cõcluſio. Originalis culpa eſt quędam habitualis, & vitioſa concupiſcentia excitans in nobis contra rationem deſideria. Ad quam inſinuandam Magiſter quarto ita dicit loco. Peccatum primi hominis ſecundum veritatem eſſe culpam à primis parentibus per originem in poſteros traductã, quæ culpa hominis actus non eſt, at benè quędam habitualis, & vitioſa concupiſcentia in homine mala excitans deſideria, quæ quandoq; in ſacra pagina à ſanctis Doctoribus languor naturæ nominatur; quandoq; lex membrorum; quandoq; fomes peccati; quandoq; lex carnis; quandoq; tyrannus; tãdem concupiſcentia, vel cõcupiſcibilitas. Nunc quinto loco ſoluendæ ſunt difficultates duæ cuiuſdam maledicti hęretici Iuliani quęrentis primò, quo modo originale peccatũ paruulos ſubintret, cum

nec

nec ipſe genitus, nec generans peccet, nec conditor. Inſuper quęrebat. Num tale peccatum ſit à natura, vel à uoluntate. Quo ad primam de facili dicitur, ſecundum mentem beati Aug. quod odioſa primi parentis inobedientia fuit cauſa, quare in nobis natus ſit fomes peccati, & concupiſcentia. Ad ſecundam reſpondetur, q̃d in nobis quidẽ tale peccatũ neceſſarium eſt, in primo tamen parente voluntarium fuit. His propoſitio ſexto venit ponenda loco talis. Omnes, qui deſcendunt ab Adam, propaginis lege in lumbis eius fuere ſeminali, ſeu materiali ratione. Ad quam probandam queſitum proponitur ſeptimò. Quęritur enim, quo modo in Adam potuerint eſſe ſecundum carnem oẽs homines, cum nec tot atomi in ipſo eſſe potuerint, quot homines ab ipſo proceſſerunt. Propoſito queſito, q̃d nunc dicendum, audite. Quatenus ergo aliquid ab ipſo primo parente deciſum eſt, à quo ſine alterius additione per ſolam multiplicationẽ materiæ in ſe ipſam corpus filij eius generatum, & actum eſt, à ſimili per deciſionem in poſteros factũ humanum genus multiplicatum eſt, & ita patet, quo modo materialiter, & cauſaliter oẽs homines in ipſo Adam fuerint. At quia hic dictum eſt, genus humanum multipalicatum per illud deciſum ab Adam, propterea vnum octauo circa Magiſtri verba venit notandum loco; quod eſt tale: nihil extrinſecum conuerti in humanã ſubſtantiam, quæ ab Adam eſt, quod dupliciter probari poteſt, primò Euangelij authoritate dicentis, Omne, q̃d intrat in os, in uentrem vadit. Inſuper per hoc, quod omnes in reſurrectione habebunt quantitatem perfectam ſine alterius materiæ additione, qua in parte Magiſter non probatur; at rectè intuenti ſaluabitur, nõ enim negat exiſtis,

quod

quod alimentum non tranſeat in carnem: benè negat tranſire in humanæ naturæ veritatem, & ita clauditur preſens diſtinctio.

DE ORIGINALI PECCATO.
Lectio CXXV.

EX verbis Magiſtri ſent. occaſionem nacti tria hodierna die contemplabimur. Quid originale peccatum, quantum ad nomen primò; Inſuper idem, quantum ad quid rei; tertiò modos, quibus in prolem tranſire dicitur. Quantum attinet ad primum. Originale peccatum multis vocari ſolet nominibus: ſecundum enim quod ad animam comparatur, vocatur infirmitas, quia animã reddit impotentem ad reſiſtendũ motibus; quandoq; dicitur fęditas, quia per ipſum anima maculatur. Inſuper vocatur pronitas propter continuam appetitus inclinationem ad malum. Dicitur quandoq; corruptio, quia ad nihilum ducit, & peccatum aliquando appellatur vitium, quia eſt diminutio bonorum naturalium. Vocatur ẽt languor naturæ, quia in natura durat corrupta: Habet ẽt nomina ſecundum qđ comparatur ad corpus; nam quandoq; lex carnis vocatur, eò ꝙ a lege diuina ſit carni inflicta. Vnde quandoq; lex membrorum dicitur, quia mouet organa ad concupiſcentiæ operationẽ. Vocatur & tyrannus propter dominationem, quaſi violentam in ipſa concupiſcentia. Quandoq; fomes dicitur, & huius ratio aſſignatur: vt enim ignis fouet ignem, ita per ipſum fouetur in carne peccatum ſecundum actus generatiuæ, & nutritiuæ. Aliquando ẽt ſtimulus carnis nuncupatur, quoniam ſtimulus

carnem ad primos motus, & animũ ad conſenſum. Preterea tale peccatum, quatenus comparatur ad delectabiles actus, non ſecus nomina habet; nam quandoque dicitur concupiſcentia, quæ ſonat vitium in actu, prout eſt in adultis. Item concupiſcibilitas, quæ ſonat vitium in potentia, prout eſt in paruulis. Deinceps comparatũ ad primum hominem, à quo contrahitur habet ẽt nomen, quia ſic dicitur originale; quod eſt carentia debitæ iuſtitiæ: Gerſon hęc: Secundum verò Gab. originale peccatum, quantum ad debitum iuſtitiæ originalis, eiuſq; carentium mediante carne trahitur, & non mediante anima à primo parente; q̃a mediante carne, inquit Gabr. eſt filius naturalis Adæ; & non mediante anima, & hęc de primo ſecto. Accedit alterum, vbi videndum, quid ſit originale peccatum, ſuppoſito, quod tale peccatũ illud ſit, q̃d à noſtra vitioſa origine trahimus, quodq; ſic, ſecundum Gerſon. finitur, dùm dicitur, auerſio quędam habitualis à Deo, qua anima prona effecta eſt ad non reddendam iuſtitiam, quam debet. Secundum verò Magiſtrum ſent. dicitur originale peccatum qualitas morbida, animæ vitium, ſcilicet concupiſcentiæ; & contrahitur à parentibus, quia cauſatur à qualitate morbida carnis, quam caro contraxit ex libidinoſa cõcupiſcentia, ſiue ardore parentum coeuntium in prolis ſeminatione. Secundum Anſelmum de conceptu virginali, & Scotum, & Occam originale peccatũ non dicit aliquid poſitiuum, ſed eſt carentia iuſtitiæ originalis debitæ, vt acceptæ in primo parente, & in ipſo amiſſæ: cum enim peccatum formaliter ſit iniuſtitia; iniuſtitia aũt non eſt, niſi carentia iuſtitiæ debitæ: igitur eſt priuatio originalis iuſtitiæ debitæ ineſſe, quam Adam accepit pro ſe, &

tota

tota ſua poſteritate, at ipſe peccando ſe nudauit, & totam poſte- ritatem. Hic Alex. docet originale peccatum habere vtrunque, culpam ſcilicet, & pęnam; ecce culpa carentia iuſtitiæ, ſeu deformitas quędam, qua anima ipſa deformatur: concupiſcentia deinde eſt ipſa pęna; ſed notandum, quod originale peccatum non eſt pura priuatio, at quidam habitus corruptus, non tamen infuſus, aut acquiſitus, at habitus per vitiorum originem innatus, inquit beatus Thomas, quod materialiter captum cõcupiſcentia dicitur, formaliter verò carẽtia, ſiue priuatio iuſtitiæ originalis, &c. Cuius mali viperei tabes duplex eſt. Vnũ genus eſt, in quo à perſona natura inquinatur: alterum, in quo perſonarum natura contaminat, quo quidem humanum genus tanquã natiuo quodam morbo uexatur; & hęc de puncto ſecundo. Nunc ſupereſt videre peccatum tale tranſire in prolem, quod tribus intelligi põt modis; aut punitione, aut imitatione, aut transfuſione; punitione, ita quod proles puniatur ꝓ peccato parentis, & hoc, vel punitione tẽporali, vel ęterna. Imitatione, ſiue exemplo, vt quãdo ad exemplar peccatorũ priorũ aliqꝭ in ſimile peccatũ labitur, quo modo diaboli peccatũ tranſiuit in genus humanũ, ſecundũ illud Sapien. 2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbẽ terrarũ. Vnde imitantur illum, qui ſunt ex parte illius, nec tranſit peccatũ, niſi in eos, qui ſponte eũ voluerint imitari. Transfuſione deinde, quãdo ꝓpter peccatũ parentis, ẽt proles conſtituitur debitrix apud Deũ, quo modo parentum peccata proximorũ imitatione tranſeunt in prolem: frequenter enim proles, licet non ſemper, imitatur parentum mores. Hinc filij quandoquè puniri dicuntur pro parentum peccatis. Ex hęc ſatis.

DE

DE ORIGINALIS PECCATI GRAVITATE. Lectio CXXVI.

AD maiorem euidentiam eorum, quæ in heſterna lectione ſunt tacta, in pręſenti quatuor rimaturi. Originalis culpæ grauitatem primò; quod quid eſt concupiſcentiæ ſecundò; ſomitis naturam tertiò; quid actuale peccatum quartò. Circa primum. Originale peccatū grauius, quàm veniale eſſe nulli dubium: nam, vt mortale eſt, à Dei cōſortio ſeparat, veniale aūt minimè. Et ſecundum Guil. Scotiſtam dicitur originale peccatum pęna damni æterna puniri; veniale aūt pęna temporali. Dicitur & originale peccatum caput draconis, vt ſcribit Iacobus de Valentia, ideſt diaboli, quo primò mordet in libidinoſa noſtra generatione: ſeptem aūt vitia capitalia ſunt capita in cauda draconis, quibus mordet hominē per proceſſum temporis, & in adulta ętate. Et ita paucis patet verbis grauitas culpæ originalis per comparationem ad veniale peccatum in hoc primo puncto. In ſecundo eſt videndum, quid ſit cōcupiſcentia: & primò, quot modis ſumatur, venit declarandum; nam tripliciter dicitur ſumi: vno modo pro appetitu vegetabili; & talis concupiſcentia, prout eſt inordinata, à ſomite mouente habet eſſe, ideſt à corruptione originalis culpæ, quo modo non eſt peccatum, nec prohibita. Alio modo dici poteſt appetitus ſenſibilis, & hoc prout eſt inordinata à ſenſualitate mouente cum ſomite; ita q̄d prima concupiſcentia eſt in ſuggeſtione, ſecunda in delectatione, quæ diuino pręcepto ſimpliciter non prohibetur, ſed tantùm ſecundum quid, quia nō erat prohibendum, ne

concupiſcentiæ ſint in nobis, cum hoc ſit impoſſibile nobis; benè prohibentur, ne ſequamur eas in conſenſum. Tertio concupiſcentia dicitur cum voluntatis conſenſu, & ſic in diuino præcepto prohibetur à domino dicente, Ne concupiſces vxorem proximi tui. D. Bonauentura de cõcupiſcentia loquendo dicit: duobus accipi poſſe modis: vno modo pro deſiderio nimis intenſo, & immoderato, ſiue reſpectu boni interioris, ſiue exterioris, ſiue inferioris; & hæc dicitur eſſe in carne, & in ſenſualitate, & in rationali parte; at in carne cauſaliter, & in rationali parte formaliter; in ſenſualitate verò vtroq; modo, ſcilicet cauſaliter, & formaliter: nec id mirum; quia actus, qui eſt cõcupiſcere, propriè eſt ipſius animæ, ideo cauſaliter dicitur eſſe in carne, quia caro infecta iuncta animæ ex ſua infectione eam reddit concupiſcentem. Vnde ſi quis propriè concupiſcentiæ carnalis ſubiectum aſſignaret, nec tantùm carnem diceret, nec animam tantùm, ſed ipſum coniunctum; ſicut enim ſentire eſt actus coniuncti, ſic & actus coniuncti carnaliter eſt concupiſcere, & delectari. Num verò concupiſcentia rationem culpæ poſſit habere, quæſo hac in parte Bonauenturam conſulite, qui perpendendo ſatis plenè concupiſcentiam, duo dicere inſinuat, appetitum primo immoderatum boni commutabilis, quo in caſu, vel ratio captiuatur, & anima peruertitur, ita vt neceſſitatem habeat præponendi bonum commutabile bono incommutabili, & ſic intenſa vocatur concupiſcentia; & ita rationem culpæ tenet, videlicet illius immoderantiæ. Alio modo, concupiſcentia dicit immoderantiam, non quia ratio ſuccumbat ſenſualitati, ſed quia ſenſualitas non perfectè obtemperat rationi, & hoc modo habet rationẽ

pœnæ;

pęnæ; culpæ verò, quando directè opponitur gratiæ, & hęc de ſegmentis duobus. In tertio, quid ſit fomes, ſpeculandum venit ſecto. Fomes ergo ſecundum Occam, & Gabr. poſt eum, dicitur qualitas carnis inordinata appetitum inclinans ſenſitiuum ad actum difformem, & vitioſum in habente rationis iudicium. Quod ſit inordinata patet; quia non inclinat, niſi poſt peccatum, non enim erat in primis parentibus ante peccatum; quod ſit qualitas patet; quia accidens eſt, non ſubſtantia diſponens ſubiectum ad peius: quare de prima, vel de ſecunda eſt qualitatis ſpecie. Qđ in carne patet; quia alioquin nõ cõtraheretur à parentibus: fomes aũt eſt à Deo primis parentibus propter peccatum inflictus, & per eos traductus eſt in poſteros. Secundum alios fomes dicitur inclinatio quędam ſenſualitatis, & deuiatio quędam legis rationis. Hanc aũt inclinationem ad actum abſtulit Deus à beatis, & à beata virgine, vel ſic per gratiæ plenitudinem ita debilitauit, quod virginem neq; ad peccatum potuit inclinare, nec à virtutum ꝓfectu quomodolibet impedire. A quibuſdam ergo ablatus dicitur fuiſſe fomes; & auferri à quibuſdam per habitum voluntatis bonum impedientem illam inclinationem ad actum. In quibuſdã verò alijs mitigari dicitur fomes, per dignam ſcilicet Euchariſtiæ ſumptionem, & per gratiam, licet nõ totaliter tollatur, & hęc de ſectis tribus. In quarto, & vltimo, eſt de actuali peccato agendum, & hoc in gratiam eorum, quæ in textu Magiſtri ſent. declarata ſunt. Duplex ergo peccatum actuale datur: mortale ſcilicet, & veniale. Actuale eſt dictum, vel factum, vel cõcupitum contra legem Dei, vt inferius magis abundè dicemus. Veniale illud, quod legi diuinæ immediatè

non

non contrariatur; & ideo veniale dicitur, quia nihil de ſe, & in ſe habet, quod dignum venia non ſit. Et hęc ſatis.

AN DEFECTVS IN NOBIS A NATVRA?
Lectio CXXVII.

SColaſtici Doctores rimari volentes prędeclaratam diſtinctionem, conſueuere nonnullas quęſtiones excitare, quorum nos veſtigia volentes ſequi, breuitatis cauſa quęſita duo nobis explicanda proponemus, quęrentes primò. Num defectus in nobis à natura dicendi. Inſuper, Num per originẽ in nos defectus tranſiens culpæ nomen poſſit habere. Quãtum attinet ad primum, ſic arguitur ꝓ parte affirmatiua: in brutis ſunt à natura defectus: igitur, & in nobis. Conſequẽtia patet, quia ſunt eiuſdem rationis. Prętereaper naturam oẽs mortales ſumus; defectus itaq; quos experimur in nobis, à natura eſſe fatendum. Ex alio latere, quo nam modo paſſio per culpam inflicta erit natura, cũ ſit pena? at mors ſic ſe habet: igitur non à natura. Pro dilucidatione huius difficultatis velim ſciatis, quod mors, fames, ſitis, ęgritudines, & huiuſmodi defectus duobus conſiderari poſſunt modis. Vno modo in nobis à natura tanquam à cauſa per ſe, alio modo à culpa, vt à cauſa remouente prohibens. His ita ſe habentibus obiectis nunc reſpondere difficile non erit. Ad primum ergo in ordine diſtinctione illa premiſſa poterit cõcedi defectus, quos experimur in nobis à natura eſſe tanquam à cauſa per ſe, & ita eiuſdem fore rationis in nobis, & in brutis, quia cauſari dicuntur ab eiſdem principijs. Ad ſecun-

dum dicitur, qđ quamuis per naturam, oẽs mortales ſint, attamen quia ſpecialiter in homine videtur cauſari mors à culpa primorum parentum non per ſe, ſed vt à cauſa remouente prohibens: propterea, quantum ad hoc, pęnæ rationem dicitur habere; licet primo modo capta non ſit pęna, ſed natura. Iam dilucidato, & abſoluto primo quęſito, alterum ſubſequitur, dùm quęritur. An quis defectus per originem in nos tranſiens culpæ nomen poſſit habere. Pro parte conſtructiua; ſic ratiocinamur. Ex natiuitate ſumus filij iræ, intentum itaq; noſtrum habemus. Inſuper Anſelmus ita ait: ſi in iuſtitia perſtitiſſet primus homo, eam in filios tranſfudiſſet; at quia non perſtitit, idcirco culpam ſuam generando in alios transfudit: quare defectus per originem in nos tranſiens, culpæ nomen habere dicitur. Ad hanc quęſtionem terminandam, fateri operepręcium eſt, in nobis per originem aliquod peccatum, ſiue culpam inueniri, & qui aliter teneret, proculdubio in Pelagij, nec non Iuliani errorem incurreret. His ita poſitis, ad argumenta accedo, & ad primũ paucis dico: nos filios iræ dici, duobus modis id poſſe conſiderari; vel quo ad affectum, vel quo ad effectũ. Primo modo argumentum nullum eſt, at ſecundo modo eſt bonum: nã propter pęnæ reatum, quem incurrimus ex peccato primi parentis, iræ filij dicimur naſci. Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quod Adam, quia peccauit, ideo in poſteros ream naturã carentiæ iuſtitiæ originalis transfudit, ſed non culpam, ſecundum propriam culpæ rationem, eo modo, quo actuale peccatum, propriè culpa dicitur, quæ defectus eſt voluntarius propriè, ex illius, cuius eſt peccatum, ꝓpria voluntate: & ita, quid ad Anſelmum dicendum ſit, his paucis verbis patet.

patet. Nam eius ſententia, intelligenda venit de rea natura, vt iam diximus, non alio modo ſecundo. Et hęc ſatis.

AN ORIGINALE PECCATVM SIT CARENTIA IVSTITIAE ORIGINALIS, vel quid aliud. Lectio CXXVIII.

QVoniam, ſi rectè recolitis, in ante habita diſtinctione de tribus erat ſermo pręcipuè: ſcilicet de culpa originali de alimento, & ſemine: propterea iuxta iſta tria excitabo in pręſenti tria quęſita. Quorũ primum ſic ſe habebit. Num originale peccatum iuſtitiæ originalis carentia ſit, vel quid aliud. Pręterea, Num in veritatem humanæ alimentum conuertatur naturæ. Denique, Num de alimenti ſuperfluo ſit ſemen. Quo ad primum: pro parte negatiua mihi videtur eſſe dicendum, q̃d carentia, &c. non ſit: illud enim, quod in nobis à Deo eſt, peccatum minimè eſt; at talis carentia originalis iuſtitiæ ſic ſe habet, nõ ergo, &c. Minor patet; q̃a vt per ſuã Deus influentiam cauſa gratiæ eſt, hoc idem de carentia originalis iuſtitiæ erit dicendum per ceſſationem ſuæ influentiæ. Nec mirum, quia vt fuit donum ſupernarale, ita potuit per ipſum ceſſare. In oppoſitum arguunt quidam ſic dicentes. Talis iuſtitiæ originalis carentia, ſiue priuatio malum, & peccatum eſt: non ergo in nobis à Deo, ſed ex nobis, ideſt ex libera noſtra voluntate: quare carẽtia iuſtitiæ originalis culpa dicenda. Circa difficultatem hanc nonnullas ego inuenio opiniones tã longè

à veritate, vt toto videantur aberrare cęlo has ſequentes. His itaq; omiſſis, quid tenendum, ex ſolutione primi argumenti cognoſcetis; nam iuſtitiæ originalis carentia in nobis à Deo, vt à ſubtrahente licet ſit (dico ſubtrahente donum ſuum propter primorum parentũ demeritum) in hac tamen carentia, Domini, pręcisè originale peccatum non conſiſtit, nec formaliter, at benè in eſſe reum talis carentiæ; qui reatus non eſt in nobis à Deo, ſed ex primorum parentum peccato. Nunc ad formã argumenti dico: talem carentiam iuſtitiæ, &c. in nobis formaliter nõ eſſe à Deo, ſed à primorum parentum peccato. Donum quidem à Deo, & ceſſatio à Deo, ſuppoſito tamen primorum parentũ demerito, vt eſt videre in hoc primo ſegmento. Poſt qđ alterum ſubſequitur, vbi quęritur. Num alimentum in naturæ humanæ conuertatur veritatem. Mihi equidem videtur, quod non, quia ſi ſic: tunc in carnem humanam ſecundum ſpeciem tranſiret, at hoc non videtur: igitur, &c. Pręterea alimentum ſi tranſiret in veritatem humanæ naturæ, tunc in homine, quicquid deperditur, reſtaurari poſſet, at mors naturalis non accidit, niſi ob alicuius deperditionem, quod non reſtauratur, non ergo alimentum videtur poſſe conuerti in humanæ naturæ veritatem alioquin homo per alimenti ſumptionem mortem naturalem poſſet euitare, quod eſt falſum. Ex alio altere dicetis vos: nonne per Philoſophum alimentũ potentia caro eſt? videtur ergo, quod conuertatur, &c. Pro dilucidatione huius quęſiti diuerſæ, ac variæ eſſent opiniones adducendæ, quæ quia ſunt meræ, iccirco à nobis omittendæ, & pro veritate rationes adductæ, ſiue formatæ ſoluendæ; ex quibus clarè veritas patebit. Ad primam ergo, quod

non

non tranſeat in carnem humanam alimentum de facili, dico, bifariam hoc accipi poſſe, vel ſecundum ſpeciem totaliter, vel partialiter; primo modo conceditur ratio, ſecundo modo negatur. Ad alteram rationem conceditur, quod mors naturalis poſſet per ſumptionem alimenti euitari, ſi totaliter in humanæ veritatem naturæ conuerteretur, at quia virtus conuerſiua alimenti primo fortis exiſtens poſtea debilitatur, deinde deficit, ita vt nequeat amplius ad conuertere, propterea fit conſumptio ſine reſtauratione. Hinc animal naturaliter mori eſt neceſſe; & hęc de duobus ſegmentis. In tertio, & vltimo quęritur. Num ſemen pręter ea, quæ dicta ſunt ſuperius, de ſuperfluo alimenti debeat dici. Damaſcenus hic videtur ad partem declinare negatiuam, dùm inquit, quod generatio eſt opus naturæ de ſubſtantia generantis producens id, quod generatur, &c. At in viuentibus generatur ex ſemine: non ergo alimenti ſuperfluum videtur debere dici ſemen. Inſuper filius nonne videtur patri aſſimilari ſecundum id, quod accipit ab ipſo? atqui ex ſemine videtur hoc totum habere, non ergo de ſuperfluo alimẽti debet dici. Ex alio latere, quia natura per ſeminis deciſionem alleuiatur, & non grauatur, hinc apparet, quod ſemen ſit de ſuperfluo alimenti. Circa queſtionem hanc, & Philoſophi, & Theologi multa de ſemine dicunt, quæ breuitatis cauſa hic omittuntur, & veritas breuibus declaratur; quòd ſcilicet ſemen eſt ſuperfluum nutrimenti tertiæ digeſtionis, quo ſtante ad argumenta, & primo ad primum, de facili ita dicendum, ex ſemine quidem, quod generatur, generari materialiter, at formaliter non. Generatio ergo licet ſit de ſubſtãtia generantis materialiter, nõ tamen formaliter.

Ad ſecundum dicitur, quod aſſimilatio nõ attenditur penes ſemen, ſed penes formam: quare, quid tenendum, ex his patet. In ſequenti accedemus ad xxxi. diſtinctionem. Hęc interim ſatis.

QVO MODO PECCATVM ORIGINALE, ETC.
Diſtinctio XXXI.
Lectio CXXIX.

EX quo de natura originalis peccati ſatis exactè, & ſi itè ad aures Magiſtri ſent. ſuperius ſumus loquuti, cõſequenter de ipſius traductione loquendum erit in pręſenti. Primo tamen diuidenda nobis occurrit hęc diſtinctio in puncta ſeptẽ. In quorum primo ponitur concluſio; quęſitum in altero; modus cognoſcendi, quo culpa originalis contrahitur in tertio; propoſitio in quarto; dubium in quinto; noua propoſitio in ſexto; tandem probatio in ſeptimo. Quantum attinet ad primum, hęc ſit cõcluſio. Per carnem, quæ vitioſa concupiſcentia concipitur, & animæ vnitur, & non per animam, originale peccatum traducitur. Ad quam cõcluſionem probandam, ſecundo quęrit ipſe loco. Vtrum macula originalis in filios traducatur à parentibus per ſolam carnem; vel ſecundum ſolam animam; vel ſecundum vtrunque. Hic quidam ſunt opinati, vt nobis fidem faciunt verba Magiſtri, q̃d originalis culpa ſecũdum animam traducatur, ponentes animam incipere ex traductione, ita quod ſicut in prolis generatione, filij caro ſubſtantialiter de patris carne trahitur, ita ẽt anima filij de patris anima eſſentialiter generetur. Quæ opinio, Domini, tanquam Catholicæ

fidei

fidei contrária reſpuenda, propterea quod peccatũ non ſecundum animam, at ſecundum carnem ſolum à parentibus contrahitur, in feruore enim libidinis concipitur caro in corpus formanda, inde incorrupta polluitur, & ex contactu anima, cum infunditur, maculam contrahit, qua & ipſa polluitur, ſiue fędatur. Vnde vitij concupiſcentiæ rea efficitur, quod originale peccatum vocatur, & in carne manere dicitur; non quidem vt in ſubiecto proprio, cum culpæ caro proprium nequeat eſſe ſubiectum, at vt in cauſa, ſiue in carne virtualiter contentũ q̃d authoritatibus D. Ambr. & Aug. comprobatur, vt patet in textu Magiſtri, & hęc ꝓ puncto tertio. In quarto hęc ponitur propoſitio de originali peccato, q̃d quidem defectus, & fomes peccati eſſe aſſeritur, quo anima carni vnita (vt benè norunt periti) inficitur. Ad q̃d videndũ dubium quinto ſub his ꝓponendum verbis venit loco. Vtrum ſcilicet huiuſmodi carnis infectio culpa, vel pęna cenſenda. Primo aſpectu dubio ꝓpoſito, videtur eſſe tenendum, quod non ſit culpa, & huius ratio de facili aſſignatur, quia eſt in ſubiecto irrationali, in quo culpa eſſe põt minimè; nec ẽt videtur poſſe dici pęna, quia pęnalitatibus non connumeratur communiter. Pro veritate tamen Magiſter reſpondendo ait: eſſe carnis quendã defectum, nec non pollutionem, quæ rectè vitium, ſiue carnis corruptio appellari poteſt; hinc anima, dùm infunditur, ex corporis corruptione maculari dicitur, q̃a talis fęditas in carne ante animæ coniunctionem fore approbatur: nec mirum vobis videri debet, filios à parentibus iam mundatis, originale peccatum contrahere: ſicuti nullus miratur, quod ab homine circunciſo preputiatus naſcatur, & ex grano depurato grana cre-

 ſcant

ſcant paleis circumſepta. Enodatis iam quinq; ſegmentis, in ſexto, noua ſub talis verborum forma proponitur propoſitio. Originale peccatum ideo vocatur, quia in ortu ex libidine contrahitur. Ad quam ꝓbandam vna cum Magiſtro ita dicemus: illud peccatum adeò originale vocari, quia ex vitioſa lege originis noſtræ, qua concipimur, contrahitur, ſcilicet ex carnis ſeminali commixtione, cum libidinis feruore. Et quia natura ſolus ipſe Chriſtus talem libidinem non habuit, propterea originale peccatum non contraxit. Et hęc de tota diſtinctione ſatis.

AN ORIGINALE PECCATVM PER CARNIS ORIGINEM TRADVCATVR.

Lectio CXXX.

V*T video, circa prędeclaratā diſtinctionem quęſita tria excitari poſſunt, iuxta q̃ ſermo noſter erit tripartitus, nam primo queremus: num per carnis originem originale peccatum traducatur: inſuper, num quis ex carne hominis miraculosè formatus originale peccatum contraheret. Demum, an in eſſentia animæ, vt in ſubiecto, aut in potentia ponendum. Quantum ad primum, negatiuè arguentes quidam ita fantur. Caro culpæ originalis non eſt ſubiectum: igitur per carnis originem non traducitur. Pręterea, anima per carnis originem, in homine non traducitur: ergo, nec originale peccatum; conſequentia patet, quia maior eſt conuenientia carnis ad animā, ex quibus fit vna natura, quam carnis ad culpam: ergo, quod ab initio fuit dictum, verum.*

Ex

Ex alio latere, quia homo propagari dicitur ab alio homine ſecundum carnem; Inſuper, quia in contrarium ſe habet Apoſtolus ad Rom. v. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, &c. Ergo, qđ ſic, tenendum. Pro reſſolutione huius difficultatis, varijs opinionibus dimiſſis, ita dicendum, quod originale peccatum ſit carentia iuſtitiæ originalis debitæ ineſſe cum debito carendi ea, quod debitum ſolent quidā reatum appellare, vt aliàs fuit dictum. Quo ſtante, facile erit modū traductionis eius aſſignare, videtur etenim traduci, traductione naturæ ſic. Natura, cum nihil agat ultra ſuam ſpeciem; deficienſq; ab illo bono, quod ſibi gratis ei fuerat impenſum, alteri communicare donum, quo caret, minimè poterat, & qđ ſupra naturam collatum fuerat, ideo ſolum videtur communicare, quod ad naturam pertinet, cum carentia doni ſupernaturaliter à principio toti naturæ collati: iſta aūt carentia, quia in relatione ad primi parentis peccatum iuſta eſt, & reatus, qui dicitur iuſta obligatio ad pęnā propter culpam, ideo hoc modo traduci videtur, nec aliter, niſi quia natura defectuoſa ab eo traducitur, qui ſe, & nos huiuſmodi defectibus, ſua culpa ſubiecit. Nunc his pręmiſſis, ad argumenta reſpondendum, & primo ad primum ſic, qđ caro originalis culpæ, formaliter non eſt ſubiectum, at virtualiter: nam contentum eſt tale peccatum originale in carne virtualiter, licet non vt in ſubiecto formaliter: ratiocinium itaq; formatum conceditur, vt in ſubiecto, at negatur, vt in contento. Ad ſecundum ſimilitudo animæ ad carnem reſpectu tertij concedenda eſt, ſed non ex modo ꝓducendi, nam deforis ipſa venit, & peccatum à voluntate, quæ intus: quare, licet anima ex homine non traducatur, ori-

ginale

ginale tamen peccatum, magis traduci ſecundum carnem dicitur, quã ſecundum animã; quia caro compoſitum vocatur, cui traduci competit; & hęc de primo puncto. In altero quęritur. Num de pede, vel de manu q̃s miraculoſe formatus parẽtis primi originale peccatum contraheret. Primo mihi aſpectu, quod ſic, apparet, quia ex corrupto non põt opus niſi corruptum fieri: ergo. Aſſumptum patet, quia in Adã humanæ naturæ tota maſſa fuit corrupta: igitur, &c. In oppoſitum ſe habet D. Aug. in x. ſuper Gen. ad literam, q̃d deſcendere ab Adam ſecundum rationem ſeminalem eſt cauſa cõtrahendi peccatum originale, at miraculosè formatus, de manu hominis non diceretur ab Adam deſcendere ſecundum rationem ſeminalem, ſed ſolum ſecũdum corpulentam ſubſtantiam: ergo. His ita poſitis, accedunt duæ concluſiones. Quarum prima ſic. Miraculosè formatus de manu primi hominis originale peccatum non cõtraheret, quia hoc ſecundum rationẽ ſeminalem non eſſet. Altera concluſio. Miraculosè productus nõ videtur ad Adæ poſteritatem pertinere, quia talis, nec patrem, nec matrem Euam, vel aliam haberet in tota humana ſpecie. Nunc ad argumenta q̃d dicendum, audite: primum enim ſupponit, totam humanæ naturæ maſſam, in Adam eſſe corruptam, quod virtualiter eſt verum, at formaliter falſum. Dico virtualiter, inquantum in ipſo oẽs erant, vt in principio generationis actiuo, q̃d vocat beatus Aug. fuiſſe ſecundum rationem ſeminalem, quo modo miraculosè productus in ipſo Adam minimè fuiſſet, niſi ſecundum corpulentã ſubſtantiam, quæ in prole non eſt cauſa originalis corruptionis, vt ipſemet D. Aug. dicit, & hęc de ſecundo puncto ſatis. Nunc videndum. Num originale peccatum

catum

catum in animæ eſſentia, vel in potentia vt in ſuo locandum ſit, ſubiecto. Quibuſdam viſum eſt, q᷈d in eſſentia animæ, quia originale peccatum dicitur natura peccatũ: ergo. Conſequentia patet, quia natura prius de eſſentia animæ dici ſolet, quã de potentijs. Deinde, corpori anima uidetur vniri immediatius, quam potentia per eſſentiam: ergo, &c. In contrarium, quia inclinat ad actum originale peccatum, ſe habet veritas ipſa: quare videtur immediatius potentiam reſpicere, quam animæ eſſentiam. Pro intellectu huius quæſtionis, quid originale peccatum ſit, & quot modis ſumatur, dicendum eſſet, at quia alias diximus, propterea eadẽ nõ repetemus, ſed ſolũ rationibus formatis libentiſſimè occurremus, Ad primã primò dicentes. Originale peccatũ dici naturæ: hoc duobus modis concipi poſſe. Vno modo, q̃a primo reſpiciat naturã animæ, alio modo, quia tollat id, q᷈d toti naturæ fuerat collatum, ſcilicet iuſtitiam originalem. Hoc ſecũdo modo argumentũ currit, at primo modo nullũ eſt; immò dicendũ eſt, q᷈d magis in uoluntate, ut in ſubiecto, habeat eſſe, vel uirtualiter in carne. Ad ſecundũ argumentũ dicitur, q᷈d quamuis originale peccatũ contrahatur ex vnione animæ ad corpus, q̃a ad talem vnionẽ ſequitur talis defectus, non ob id is dicitur eſſe in eſſentia animæ, ſed primò in voluntate. Et hęc pro p̃ſenti lectione.

QVO MODO ORIGINALE PECCATVM, ETC.

Diſtinctio XXXII.

Lectio CXXXI.

MIrabili equidẽ artificio, & ordine in hiſce diſtinctionibus diſponendis Magiſter procedit, qui poſt quã verba fecit,

de

de quod quid eſt peccati originalis, nec non traductione, iam modo intendit loqui de eius remiſſione: circa quod nobis octo pollicetur; propoſitionem primò; quæſita duo ſecundò; reſponſiones tertiò; concluſionem quartò; duas quæſtiones quintò; dilutiones ſextò; propoſitionẽ ſeptimò; quæſtiones deniq; quatuor octauò. Quantum ad primum ſic ſe habet propoſitio. Quamuis in baptiſmo exercitij cauſa, vt eius pęna remaneat concupiſcentia, attamen libidinis poteſtas per Chriſti gratiam minuitur, ne regnet, vt culpa. Ad quam probandã, duæ ſecundo accedunt quæſtiones loco. Quarum prima eſt, quo modo originale peccatum per baptiſmum remittatur, cum in baptiſmo, & poſt baptiſmum concupiſcentia remaneat? altera quæſtio eſt. Num caro purgetur à fęditate ſua, quam à libidinoſa concupiſcentia traxit in baptiſmo. Iam propoſitis duabus difficultatibus, ſupereſt illis in tertio reſpondere puncto. Ad primã itaq; dicitur: originale peccatum, quantum ad reatũ trãſire, licet actu videatur remanere, inquantum concupiſcentia manet, quæ, vt veritas docet, minuitur, eò quia rẽgnare, & dominari ꝓhibetur. Ad ſecundam reſpondendum eſt ſecundum quoſdam, quod ſic, cum ad animæ, & carnis purgationem baptiſmi aqua ordinetur. Secũdum aliquos verò carnis fęditas non dicitur purgari, ſed animæ ſolum. His quarto venit ponenda talis concluſio loco. Pęnæ, qua iuſtè punitur poſt baptiſmum peccator, Deus ipſe principalis eſt conditor, & imperator. Ad quam probandam quæſtiones duæ quinto accedunt loco eplicandæ: quarum prima ſic. An originalis concupiſcentiæ ſit cauſa Deus. Inſuper, cur animæ peccatum originale imputatur, quæ tamen eius cõtradictionem vitare non poteſt

ordine

ordine vt procedamus, nunc ſexto apponemus reſponſiones loco. Dicitur ergo ad primam, quod illa concupiſcentia, quæ remanet poſt baptiſmum, & pęna, & culpa eſt. Inquantum ergo pęna proculdubiò à Deo authore tanquàm iuſtè inflicta eſt. At inquantum culpa, ſic à diabolo ſuggerente eſt. Inſuper à primo parente peccante. Ad ſecundam, cur animæ imputetur peccatum originale, breui dicitur: hoc ideo non fieri, quia anima carni infectæ condelectetur, cui ea infunditur, ſed ex primi parẽtis peccato, id euenire dicitur: cuius anima peccatrix carnem efficit corruptibilem, & peccatricem, quia ſi eſſet ex animæ delectatione, quãdo carni vnitur, ſeu infunditur: tunc nõ originale, ſed magis actuale peccatum eſſet? accedit poſt hęc propoſitio ſeptimo enodanda loco, quæ talis. Quamuis originale peccatum ſit malum neceſſarium: eò tamen, q̃a à prima hominis voluntate proueniſſe tenetur, propterea voluntarium dicitur. Ad hanc ꝓbandam octauo ſunt quęſtiones quatuor apponendæ loco. Quarum prima ſic ſe habet. An originale peccatum voluntarium, vel neceſſarium. Inſuper, cur Deus animam carni infudit, per quam maculandam eſſe pręſciuit? Prętereà; an anima, dùm corpori infunditur, talis ſit, qualis à Deo creatur? Denique, an oẽs animæ ęquales à Deo ꝓductæ? Vt ſingulis ſingulæ correſpondeant ſolutiones, ita ad primam dicemus, & neceſſarium nunc, quia vitari non poteſt, & voluntarium, quia à primi hominis voluntate proceſſit. Ad ſecundam dupliciter reſpondetur, primò, quòd Deus animã carni infudit, vt humanæ propagationis inſtitutio ſaluaretur; inſuper, quia ſic ſibi placuit, vt hoc diuino iuditio dimittatur. Ad tertiam dicitur, quod anima non eſt oĩno

talis,

talis, qualis à Deo eſt, quia munda creatur, at ex coniunctione ad carnem maculatur. Ad quartam dicitur, quòd nõ, quia naturalia inęqualia receperunt in ipſarum creatione, ſicut Angeli: aliæ ergo præ alijs pollent in naturalibus donis, at poſt baptiſmi ſuſceptionẽ, ęqualem ſortiuntur coronam à corpore diſcedentes; Et hęc de tota diſtinctione.

AN IN BAPTISMO ORIGINALE PECCATVM TOLLATVR. Lectio CXXXII.

SAcri Theologi ad euidentiam p̃declaratæ diſtinctionis tria quęrere ſolent, & primò; Num in baptiſmo originale tollatur peccatũ: inſuper, Num ſit in anima à Deo: demum, An ab origine animæ ſint ęquales. Quantum ad primum, ad partẽ negatiuã declinantes quidam in hunc ratiocinantur modum; poſt baptiſmum concupiſcentia manet: ergo & peccatum: cõſequentia tenet; quia manente concupiſcibilitate habituali, originale non videtur dimitti: ergo. Preterea, ſi tolleretur, originalis iuſtitia reſtitueretur, at non ita euenit, non ergo tolli in baptiſmo dicitur. Ex alio latere, quia ſimul nullus põt eſſe filius iræ, & gratiæ, & per peccatum originale naſcimur filij iræ, & per baptiſmum in filios gratiæ regeneramur; tollitur ergo in baptiſmo originale peccatum. Pro determinatione huius quęſiti debetis ſcire, quid ſit peccatum remitti: eſt enim ad pęnam non imputari; hic tamen notetis, peccàtum ſolere remitti tribus modis, vel quo ad offenſam; vel quo ad

maculam; vel quo ad pęnam; nec quid aliud cōſiderandum circa peccatum occurrit: remiſſio ergo peccati, quantum ad offenſam, nil aliud eſt, quàm ipſum peccatum ad pęnam non imputari. Quantum aūt ad culpam, eſt quando gratia reſtituitur: tertium ex dictis eſt manifeſtum. Inſuper notetis quid ſit peccatum originale remitti; nam nihil aliud eſt, quam ipſum ad pęnam non imputari, culpæ originali debitam, quæ duplex eſt, ex parte animæ vna, & eſt gratiæ in pręſenti carentia, & gloriæ in futuro; altera eſt pertinens ad corpus; & eſt carentia rectitudinis virium inferiorum ad rationem, & paſſibilitas, & mortalitas corporalis. Vnde quantum ad primam pęnā originale peccatum per baptiſmum remittitur, quia baptiſmus eſt quędam regeneratio ſpiritualis, per quam eſſe gratiæ acquiritur: ergo. Pęna tamen ſecunda minimè tollitur, quæ naturę eſt, non perſonæ; at quādo infectio tollitur, illa perſonę eſt, non naturę: quare, &c. His ita pręmiſſis, quid ad formatas rationes dicendum ſit, audite. Nam prima currit, quantum ad pęnam, non quantum ad reatum. Non tollitur ergo concupiſcentia, vt quid conſequens ad originale peccatum, tollitur tamen originale peccatum pręcedens. Ad ſecundam, minor gloſari habet; nam quando dicitur, iuſtitia originalis reſtitueretur, &c. Reſpondetur, quod in eſſe formali, & in ſe non reſtituitur, at in ęquiualenti; primo ergo modo ratio conceditur, at ſecundo modo negatur. Poſt hanc primam quęſtionem, altera ſequitur, dùm quęritur. Num originale peccatum ſit in anima à Deo. Mihi, quòd ſic, videtur, quia in eo, quod anima carni vnitur, contrahitur, at à Deo anima corpori vnitur, vt ab illo creatur: ergo. Deinde, vt Deus in nobis gratiam

poſſe

poſſe cauſare dicitur: ergo & culpam: quare, &c. In oppoſitum ſe habet D. Aug. lib. lxxxiii. queſtionum: Deo authore nemo fit deterior, at per peccatum homo fit deterior, non ergo eſt in nobis à Deo. Nunc ad argumenta reſpoudendum, ſuppoſito quid ſit in paruulo, & in adulto originale peccatũ, vt alias fuit determinatum. Dicitur ergo ad primum, quod anima quidem vnitur corpori à Deo, at non contrahitur originale peccatum, vt dicit reatum ex hoc, quod anima carni abſolutè vnitur, ſed per hoc, quod totum cõpoſitum, ex anima, & corpore traducitur modo, quo dictum eſt ſupra, ab eo, qui peccauit. Ad ſecundum argumentũ conſequentia negatur; & ratio aſſignatur, quia licet Deus gratiam cauſare in nobis dicatur; ob id non ſequitur, quod & culpam in nobis, nam originale peccatum non contrahitur ab alio agendo in natura preſuppoſita: at benè contrahi dicitur cum natura traducta, quã pater in filium traducit, quatenus pater naturam habet in actu, & filius in potentia: quare ratio nulla. His duobus queſitis tertium eſt apponendũ de animabus. Queritur ergo, Nũ ab origine ſint equales anime. Mihi, quòd non, primo aſpectu apparet. Nam vnus homo ſubtilior altero naturaliter, quo ad ingenium dicitur: ergo. Preterea, quis negaret Chriſti animam nõ eſſe anima Iude nobiliorem? igitur eadem ratio de alijs animabus eſſe videtur. In oppoſitum ſe habet Philoſophus tertio diuinorũ, dùm ait, quod ſpecies equaliter predicatur de indiuidius, at hoc non eſſet, ſi ſecundũ ſe forme ſubſtantiales eſſent inequales: ergo. Pro intellectu huius queſiti, ne in equiuoco laboremus, ita dicemus. Aequalitatẽ, vel inequalitatem animarum penes duo poſſe attendi, vel penes perfectiones earum

gratuitas,

gratuitas, vel naturales: ſi primo modo, ab origine non ſunt ęquales, ſed inęquales, quod totum à libera Dei pendet voluntate. Si ſecundo modo: tunc adhuc diſtinguendum, quia vel comparantur ad ſuas eſſentias, vel quo ad proprietates naturales eſſentiam conſequentes, aut quo ad proprietates communes toti compoſito, vel ſubiecto, ſicut ſunt potentiæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, aut quo ad proprietates ꝓprias ipſi animæ, in quibus non cõmunicat corpori, vt ſubiecto, ſicut ſunt intellectus, & voluntas. Si cõparentur quo ad proprietates toti compoſito communes, ſic non omnes ab origine animæ ſunt ęquales, immo in vna ſunt nobiliores, & perfectiores potentiæ ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, quàm in alia, vt ex actuum diuerſitate patet. Vel dicatis, inęquales animas eſſe, non determinãdo in quibus. Si verò comparentur quantum ad proprias proprietates ipſi animæ, vt intellectus ſunt, & voluntas: ſic difficile erit videre, quo modo inter animas duas ſit inęqualitas perfectionis; Inſuper inęquales uidentur poſſe dici quãtũ ad diſpoſitionẽ, deinde quantum ad finem attingendum. Ex his ſuppoſita animarum inęqualitate quantum ad operationes, quid ad argumenta formata dicendum, de facili patebit, nam primũ currit quantũ ad dona naturalia inęqualia. Solutio ſecũdi colligitur ex ꝓdictis. Et hęc ſatis.

AN PECCATA, ETC.
Diſtinctio XXXIII.
Lectio CXXXIII.

HVC acceſſi in oĩum veſtrum gratiam, & commoditatem, diſtinctionem trigeſimam tertiam interpretaturus. Sed id

antequam faciam, ob oculos veſtros nexum huius primo ponam; inſuper ad diuiſionem accedam. Ex quo ergo de peccati originalis quidditate, traductione, & remiſſione egimus: iam modo de eius in poſteros augumentatione propoſitum, & hęc de nexu, ſiue de cõtinuatione preſentis cũ ſuperioribus diſtinctionibus. Diuidi nũc ꝑſens diſtinctio habet in ſecta nouem. In concluſionem primò; In quęſitum ſecundò; In argumẽta tertiò; In ſolutionem quartò; In concluſionem quintò; In dubium ſextò; In ſolutionem ſeptimò; In propoſitionem octauò; tandem difficultatẽ nonò. Quo ad primũ, ſit hęc cõcluſio, ſiue propoſitio: Quamuis primis parentibus plura poſſunt aſſignari peccata, vnum tamen precisè peccatũ imputatur, & non plura originalia. Ad quam probandam propoſitionem quęſitum ſecundo accedit tale loco. Vtrum ſcilicet, peccata actualia aliorum parentum filijs imputentur, ſicut primi parẽtis peccatum. Dubio propoſitio argumenta ſubſequuntur tertio ꝑ parte affirmatiua. Nam Exodi xx. dicitur, q̄d Deus viſitat peccata patris in filios vſq; ad tertiam, & quartam generationem. Vnde ſequi videtur, plura ab origine vnum contrahere peccata, q̄d confirmatur per illud Pſal. Ecce enim in iniquitatibus cõceptus ſum, & in peccatis, &c. Vbi apertè peccatum originale pluraliter exprimitur. In contrarium verò poſſe argui videtur: nam ſi peccata parentum ab origine contraherẽt paruuli ſequeretur, q̄d pęna paruulorum in huiuſmodi ſolũ morientium mitiſſima nõ eſſet, cuius tamen oppoſitũ dicit Aug. non ergo, &c. Argumentis ꝓpoſitis ad vtranq; partẽ: nunc quarto occurrendum venit loco; dicamus itaque, peccata actualia aliorũ, & ẽt primorũ parentũ ab origine paruulos nõ cõ-

trahere;

trahere: & quamuis quędã beati Aug. authoritates inueniantur, quæ hoc ſonare videntur, non tamen inuenitur hoc determinatiuè poſitum fuiſſe. Nec obſtat illud dictum Pſal. allegatum ſecundum morem ſacræ ſcripturæ, quæ quandoq; pluraliter, & vicæ verſa, his vtitur, ſcilicet plurali pro ſingulari: pro cuius notitia extat illud in Euangelio: Mortui ſunt enim, q quęrebant animã pueri. Vel dicatis, qđ illud Pſal. ſit intelligendum inclinatiuè, nam per originale peccatum ad multa homines alia inclinantur. In iniquitatibus ergo. Et ita patet, quòd parentum nulla peccata filijs imputantur, niſi quæ ab eis per originem contrahuntur. His quinto addenda venit talis concluſio loco. Inobedientiæ primorũ parentum peccatum oĩum peccatorum non fuit grauiſſimum. Ad quod videndum, ſexto loco ſub his verbis dubitatur, Num cęteris peccatis Adæ peccatum grauius fuerit: quo propoſito, ſtatim in ſeptimo ſequitur ſegmento ſolutio. Quamuis enim quibuſdam ſic videatur, quia totam corrumpebat naturam, & maius malum nocumentum ue, quã quodcunq; peccatum inferat, teneri tamen põt, qđ cęteris oĩbus grauius non fuerit, eo quia non fuit grauius in Spiritum ſanctum peccatis, quod confirmari poteſt ex hoc, quia Adæ peccatum ſuum eſt remiſſum, at peccatum in Spiritum ſanctum non remittitur in hoc ſeculo, neq; in futuro. Et dùm dicitur, qđ Adæ peccatũ totam corrumpebat naturã, reſponderi põt, hoc non fuiſſe ratione ſuæ grauitatis, ſed ideo, quia ab homine committebatur, in quo tota natura ſimul exiſtebat. Intulit ẽt plura, & mala maiora, quam alia peccata ſequentia, non quantum ad pęnam ęternam, at ſolum quãtum ad multiplices defectus ex ipſo plus, quàm ab alijs peccatis, ſe-

 cutos.

cutos. Poſt ſeptē puncta octauum ſubſequitur vna propoſitione contentum, quæ talis. Peccata parentum in filijs minimè puniuntur, niſi quibus eos imitando ſequuntur. Ad quam probandam nono difficultas hęc accedit loco. Quo modo ſcilicet peccata parentum in filios viſitentur, cum in Ezechiele dicatur: filius non portabit iniquitatem patris? ad hanc difficultatem reſpondere vos in hunc modum doceo, quod illa parentum peccata viſitantur tantū, ideſt in filijs puniuntur, in quibus filij ſuos parentes imitantur. Illud verò Ezechielis dictū de his peccatis, in quibus filij paternæ maliciæ imitatores nō exiſtūt, intelligēdū. Et hęc de tota diſtinctione.

AN PECCATA PARENTVM IN FILIOS REDVNDENT.
Lectio CXXXIIII.

VT video, circa diſtinctionem iſtam tria poſſunt excitari quęſita: quorum primum, an parentum peccata in filios redundent. Alterum eſt, an originale peccatum vnum ſit in vno, vel plura. Inſuper, Num è vita pręſenti cum ſolo originali recedentes pueri de viſionis diuinæ carentia doleant. Circa primum, pro parte affirmatiua ſic arguitur. In habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus: ergo parentū peccata redundant in filios: conſequentia patet, quia maior conuenientia eſt prolis ad patrem proximum, quàm ad remotum: igitur, &c. Pręterea Adæ peccatum tranſijt in nos, quia quando ipſe peccauit, in eo eramus; at eodem modo ſumus in proximis parentibus: ergo. In cōtrarium videtur

eſſe

eſſe dicendum, nam qui iuſtitiam transfundere non pōt, neq; culpam, non ergo, &c. Pro reſponſione ſciendum eſt, queſtionē hanc non intelligendam eſſe de primo parente, de quo ſuperius ſumus loquuti, at de proximis parentibus. Inſuper notandum: parentum peccata in filios redundare, bifariam poſſe id conſiderari, vel quo ad culpam, vel quo ad pęnam: ſi quo ad culpam, hoc adhuc dupliciter conſiderari poteſt, quia culpa duplex, originalis, & actualis. Si primo modo, non negatur, ſi ſecundo modo, eſt diſtinguendum, vel enim filij parentū imitatores ſunt, vel non: ſi ſic, tunc parentū peccata in filios redundare dicuntur, quatenus ſimilia ſcelera parentum imitantur, inde quantum ad pęnam cruciantur. His ita pręmiſſis, ad argumenta nunc dicendum, & primo ad primum, quod in habentibus ſymbolum tranſitus eſt facilior, quantū ad eſſe naturæ, at non quantum ad defectus culpabiles. Ad ſecundum de peccato Adæ originali, redundare in filios non nego, at de actuali ſubterfugio, dummodo filiorum non adſit ſcelerum parentum ſuorū imitatio. Et hęc pro ſecto primo. In altero quęritur, Num originale vnum in vno peccatum, aut ſit plura. Quod plura, mihi videtur, q̄a ad plura inclinat, non ad vnū: ergo. Inſuper penæ plures: ergo non vnum, ſed plura peccata: antecedens patet. Nam ad peccatum ſequitur mortalitas, paſſibilitas, & huiuſmodi: ergo. In oppoſitū dicetis vos: quo modo plura in eodem poſſunt eſſe ſubiecto? oīa enim originalia peccata eiuſdē ſpeciei ſunt: vnum ergo in vno, & non plura. Pro dilucidatione queſiti ſcire debetis, duplicē dari vnitatem: numeralem ſcilicet, & ſpecificam: hoc ſecundo modo originale peccatum vnum eſt, & primo modo, vnum in vno. Ad

argumenta, quid dicẽdum, audite. Primum enim, quo dicebatur, ad plura inclinare peccatũ originale primo, & per ſe, & directè, vnum niſi ad vnum inclinat, at ſecũdario poteſt ad plura inclinare tanquam remouens prohibens, ſub quo ſenſu originale ad plura dicitur inclinare. Nam tollens gratiam à voluntate, & ex conſequenti rectitudinem virium inferiorum ad rationem, tunc dicitur per modũ remouentis prohibens ad multa inclinare. Ad ſecundum argumentum ſimilitudo negatur adducta de originali, & actuali peccato, nam primum põt admitti, ſed alterũ negari. His tertio venit addenda loco hęc quęſtio, a pue i morientes cum ſolo originali, de viſionis diuinæ carentia doleant. Mihi primo aſpectu videtur eſſe dicendum, qđ ſic, baptizati gaudent de merito Chriſti, per quod ad diuinam perueniunt viſionem: igitur, non baptizati vidẽtur dolere de demerito. Deinde, nonne qui viſu caret, vellet videre, & non videndo dolet? certè ſic. Ergo & paruuli dolorem concipere videntur de diuinæ viſionis carentia. In cõtrarium videtur ſe habere D. Aug. dùm dicit, quod paruulorum pęna in originali decedentium eſt mitiſſima, at hoc non eſſet, ſi dolerent de carentia viſionis diuinæ. Pro reſponſione concors doctorum ſententia eſt, quod paruuli, &c. non doleant de viſionis diuinæ carentia; nec id mirum, quia tales nullam de beatitudine cognitionẽ, ſeu viſione diuina habent. His in hunc modum poſitis, ad ſoluenda argumenta accedo, & ad primum dico: comparationem adductã nullam eſſe de baptizatis, & morientibus ſine baptiſmo. Nam illi per meritum Chriſti ad Dei viſionem veniunt, ideo gaudent, at non baptizati ſui demeriti cognitione carent: quare nec dolent de

viſionis

viſionis diuinæ carentia. Ad ſecundum argumentum paucis dicendum, quod puerorum voluntas peruerſa dici non poteſt, ſi Deum videre vellent, & non videant. Nam ad eā non eſt acceſſus creaturæ, niſi per gratiam, cuius ipſi non ſunt capaces? Et hęc ſatis.

QVAE DE PECCATO ANIMADVERTENDA SINT.

Diſtinctio XXXIIII.

Lectio CXXXV.

H*Aec eſt diſtinctio trigeſima quarta in ordine huius libri ſecundi enodanda: cuius continuatio primo ponenda, inſuper diuidenda. Quo ad primum. Ex quo ſumus loquuti ſuperius de peccato actuali primorum parentũ, quo perſona corrumpit naturā, inſuper de originali, quo natura corrumpit perſonā: nunc agendũ venit de adultorũ actuali peccato, quo ſe ipſam perſona corrumpit. Habita cōtinuatione vna cũ intentione, diuidi modo habet pręſens diſtinctio in ſecta octo. In quorum primo ponitur cōcluſio. In altero ꝓbatio. In tertio peccati origo. In quarto propoſitio. In quinto probatio. Concluſio noua in ſexto. Probatio in ſeptimo. Dubium tandem cum ſolutione in octauo. Qđ attinet ad primum, hęc ſit concluſio. Malum primum, quo primus homo fędatus fuit, non proceſſit, niſi à bono. Ad quam ſecundo loco probandam Magiſter, vt intuenti patet, ſententialiter ꝓcedit dicendo: creaturæ rationalis primum peccatum propriè cauſam efficientem non habuiſſe, at voluntatem obliquam contra regulam iuſtitiæ*

cligentem. Hinc tertio origo peccati detegitur loco, dùm dicitur, quod cauſa primi peccati malum minimè fuit, ſed bona natura, & incorrupta. Aliorum verò malorum ſequentium, mala voluntas. Nam ordo iſte mali in mundum fuit ingreſſus, quia bona natura primæ voluntatis malæ cauſa: deinceps prima voluntas mala fuit cauſa ſequentium prauarum voluntatum, nec non malorũ operum. Vnde apertè patet, q̄d cauſa prima, & origo peccati fuit bonum. Secundaria verò cauſa voluntas mala, quæ ortum habuit à bono, vt colligi habet ex reſponſionibus D. Aug. contra Iulianum hęreticum. Iam tribus de octo propoſitis punctis declaratis: quartum accedit hac propoſitione contentum. Tàm malùm culpæ, quàm malum pęnæ non videtur eſſe poſſe, niſi ſubiectiuè in re bona. Cuius probatio inde deſumitur, vt quinto videre eſt loco, quia mali ſubiectum non eſſe poteſt, niſi bonum. Malum etenim, nil aliud eſt, quã boni corruptio. Cum itaque, vbi non eſt bonum, boni priuatio nequeat eſſe, conſequens eſt, malum non niſi, vt perbellè norunt docti, in bono ſubiectari. Vnde vt morbi, & vulnera requirunt corpora, in quibus vt in ſubiecto ſunt: ita malum dicetur, vt in ſubiecto, in re bona eſſe. Vnde dùm dicitur, homo malus, idem eſt, ac ſi diceretur, bonũ malum: o͞is enim natura e͞e: ſi vitioſa ſit, inquantum natura eſt, bona dicitur; quid ergo eſt malus homo, niſi mala natura, quia homo natura eſt? Porro ſi homo aliquod bonum eſt, quia natura eſt, quid aliud eſt malus homo, niſi malum bonum? malus tamen, quia iniquus: bonus verò, quia homo, vt hęc duo diſtingui cognoſcamus. Poſt hęc ſequitur cõcluſio talis in ſexto ſecto. Dyalecticorum regula dicitur falli, qua ipſi tenent, in eadem re

ſimul,

ſimul, & ſemel exiſtere contraria non poſſe. Cuius probatio ſic ſe habet, quia bonum, & malum ſunt in eodem ſimul, malum etenim in bono ſubiectatur, & malum à bono originatur, qđ tamen de alijs non videtur dici poſſe contrarijs, puta albo, & nigro, dulci, & amaro. Et hęc de ſeptem punctis. In vltimo dubium proponitur cum ſolutione, quod tale eſt. Si dicamus, vt tactum fuit ſuperius, hominem malum bonum eſſe, non poterimus illud propheticum euitare. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum: non ergo illud tactum veritati videtur conſonum. At huic quęſo occurratis difficultatis ex verbis D. Aug. dicentes: nos minimè ſententiam prophetæ incurrere, non enim malum formaliter dicimus bonum, V. g. fornicationem, vel quid huiuſmodi, quia hoc modo eſſet ꝓphetæ ſententiam incurrere, & ex conſequenti pęnam inferni, ſiue damnationem, ſed benè dicimus: hominem, qui natura bonus eſt, malum, ſcilicet quantũ ad vitium, & ita loquutio noſtra ꝓphetæ nequaquam contrariatur. Hęc intantum de diſtinctione pręſenti.

AN BONI RATIO, QVID ABSOLVTI, VEL RESPECTIVI DICAT. Lectio CXXXVI.

AD vberiorem doctrinam eorum, quæ dicta fuere in ſuperiori diſtinctione à Magiſtro ſent. duo quęremus in pręſenti, & primo. Num ratio boni ſit quid abſolutum, vel reſpectiuum. Inſuper, Num malum quid poſitiuum ſit, vel priuatiuum. Circa primum, pro parte affirmatiua formari ſolent rationes

tiones quędam probantes boni rationem dicere quid abſolutum, non reſpectiuum, quarum prima ſic. Relatio formaliter perfectionem non dicit, vt bonum: igitur quid abſolutum ratio boni, non reſpectiuum. Inſuper, bonum cum ente conuertitur, at vnum abſolutum, alterum quoque. Tertio ad alterum non videtur dici bonum, vt relatio: ergo quid abſolutum. Deinde, bonum mouet: ergo abſolutum. Antecedens patet, quia appetitum mouet: igitur quid abſolutum. Ex alio latere, quia bonum, & conueniens formaliter idem importare videntur, ideo quia conueniens refertur: ergo & bonum. Pro dilucidatione huius quęſiti ſciendum eſt, quod boni ratio formalis eſt ratio conuenientis, ita quod ipſa bonitas ſit formaliter conuenientia ipſa, contrahens entitatem ad ſubiectiuam partem, quæ relatio eſt: bonitas itaque omnis eſt entitas reſpectiua. His ita pręmiſſis, ad rationes modo diluendas, iam formatas accedo, & ad primam dico: antecedens eſſe falſum. Nam datur relatio cõuenientis, quæ perfectionem dicit: perfectio enim, & perfectibile dicunt relationes, ſiue habitudines. Ad ſecundam rationem, interimitur antecedens, quia impoſſibile eſt, qđ aliquid poſitiuum cum ente eſſentialiter conuertatur, niſi purè ſynonimũ cum eo ſit. Tertiæ ſimiliter rationis antecedens negandum, quia illud, quod formaliter dicitur bonum, reſpicit vnius ad alterã conuenientiam. Ad rationem vltimam, de facili dicitur: abſolutum cum reſpectu mouere tàm intellectum practicum, quàm voluntatem: non ergo ſolus reſpectus, ſed vt iam diximus, abſolutũ cum reſpectu, & hęc de primo dubio. Poſt quod inquirendum venit. Num malum dicat quid poſitiuum. Mihi certè videtur, quòd ſic,

quia

quia agit: ergo. Conſequentia patet, quoniam q̃d in alterum agit, natura quędam poſitiua eſt, at malum, inquãtum malum, agit effectiuè corrumpendo bonum: igitur, &c. Inſuper, entium quoddam bonum, & aliud malum: ergo eſt quod poſitiuum, vt diuiſi natura in diuidentibus ſaluetur. Ex alio latere dicetis vos: ſi mali natura poſitiua foret, vel per ſe, vel in alio exiſteret, at horum nullum dicendum: igitur, nec quod malum ſit quid poſitiuum. Pro determinatione huius quęſiti dicendum eſt: mali rationem formalem eſſe priuatiuam, ad quod videndum, ita dicendum, quod ſicut bonum per prius pronunciatur de eo, quod eſt conueniens rei intrinſecè ad eius integritatem pertinens, deinde ꝑ habitudinem ad tale bonum, dicitur de eis, quæ conueniunt rei intrinſecè, tanquam cauſantia, vel conſeruantia, vel aliter ſe ad primam bonitatem habentia: ſic malum per prius dici debet de priuatione cõuenientiæ, vel eorum, quæ rei intrinſecè conueniunt, ſicut carentia ſanitatis, quæ eſt malum hominis, vel alio modo extrinſeco. His ita pręmiſſis, nunc diluendæ ſunt rationes, deinde erit finis. Ad primam itaq; rationem dici poteſt, malum agere duobus poſſe concipi modis: vno modo inquantum malum: alio modo, inquantũ prędominans. Primo modo, ratio negatur, at ſecundo modo, conceditur; deinde in eo, q̃d corrumpit, malum dicitur: ſic priuatiuum eſt non poſitiuum. Ad ſecundam rationem reſpondetur, q̃d bonum, & malum concretiuè ſumpta diuidunt ipſum ens, & ſic aliquid ſub ratione ſubiecti ponunt, at non malum ſub ratione mali. Et hęc ſatis pro pręſenti.

NVM

NVM CAVSA MALI SIT BONVM. Lectio CXXXVII.

Olent duo alia excitari quęſita circa prędeclaratam diſtinctionem: quorum vnum eſt. Num bonum cauſa mali ſit dicēdum. Alterum, Num per culpæ malum habilitas tota animæ corrumpatur ad bonum. Circa primum, ad partem negatiuam declinantes, ita ratiocinabimur. Bonum non eſt ſui corruptiuum: igitur mali cauſa non dicendum: conſequentia tenet, quia bonum ſecundum Dionyſium eſt ſui diffuſiuum, at ſi mali cauſa eſſet, non diffunderetur, ſed corrumperetur: ergo. Deinde, bonū boni cauſa: nō ergo mali cauſa: antecedens patet per illud Matthęi vii. Non poteſt bona arbor fructus malos facere: bonū itaq; cauſa mali dici non pōt. Pro determinatione huius quęſiti eſt ſciendum bonum, & malum duobus modis poſſe ſumi: vno modo abſtractiuè, alio modo concretiuè. Si primo modo, ſic vnum non dicitur cauſa alterius ſecundum aliquod genus cauſæ, nec id mirum, quia eſſe cauſam, niſi rei abſolutè non competit, nō habitudini, vel relationi. At bonum, & malum abſtractiuè capta non dicunt res, ſed habitudines, & relationes: ergo. Si verò ſumantur in cōcreto, ſiue cōcretiuè, tunc dicendum: duobus poſſe accipi modis: vno modo, cum reduplicatione, alio modo ſine: ſi primo modo, dicendo ſic. Bonum inquantum bonum, non habet rationē tunc temporis cauſæ reſpectu mali, vel cuiuſcunque, ſupponendo, qđ ſit reduplicatio formalis: cuius ratio eſt, quia formalis reduplicatio concreti ſuper ſe ipſum ſit ratione abſtracti. Si verò loquamur de bono, & malo concretiuè ſumptis,

& ſine reduplicatione: tunc dicendum erit, q̃d bonum poſſit eſſe cauſa mali ſic, q̃d ſcilicet res, quæ in ſe bona eſt, per accidens mala eſſe poſſit, V. g. vt ignis, qui de ſe bonus reſpectu caloris, at, vt talis calor exceſſiuus in manu eſt, tunc manui malus dicitur. Ita in genere cauſæ materialis oculus, vel hominis manus, bona dicuntur, at vt ęgritudinis ſubiectum, quæ eis mala, ideo bonum mali cauſa ſubiectiuè hoc modo nuncupandum, per accidens tamen. His ita premiſſis, ad rationes formatas, q̃d dicturus ſim, queſo audite. Prima ergo currit effectiuè, at, vt in quo, neganda venit. Dixi effectiuè, q̃a formaliter bonũ nec in genere cauſæ efficientis, nec formalis, nec finalis, mali cauſa nuncupandum, at in genere cauſæ materialis ſic. Et ad formam rationis, dùm dicebatur, q̃d bonũ eſt ſui diffuſiuum, põt dici: hoc eſſe verũ, non tamen ratione bonitatis, ſed ratione ſuæ perfectionis. Ad alteram rationem in ordine ſecundam dicitur: bonũ per ſe boni cauſam fore, at ſecundario, & per accidens, mali cauſam priuatiuam, malum ſcilicet corrumpendo. Explanata his paucis, & enodata queſtione prima verbis: accedit altera in ordine ſecunda, dùm queritur, an tota habilitas animæ ab bonum per malum corrumpatur. Mihi equidem videtur, quod ſic. Habet enim Philoſophus iii. Phyſic. q̃d omne finitum tandem conſumitur per ablationem finiti ab ipſo; cum itaq; per quodlibet peccatum, aliquid de hac habilitate ſubtrahatur, videtur, quod tandem cõſumi poſſit. Pręterea, vt per aliquod bonum, ſcilicet gratiæ habilitas, ſiue animæ pronitas ad malum tollitur, à ſimili per aliquod malum tota animæ habilitas videtur ab bonum tolli poſſe. At dicetis vos: quo modo hoc poſſibile, cum habilitas quid naturale ſit? Pro determinatione

minatione igitur huius difficultatis ſciendum eſt, malum, vel peccatum comparari poſſe, vel ad bonum ſibi oppoſitum, vel ad bonum ſibi ſubiectum, vel ad ſubiecti diſpoſitionem, reſpectu boni. Si cõparatio fiat ad bonum ſibi oppoſitum: ſic ipſum totaliter tollit, vt cęcitas viſum, & quęlibet priuatio habitum ſibi oppoſitum: priuatio enim, & habitus non ſtant ſimul. Si verò collatio fiat ad ſubiectum, ſic malum tale bonum non corrumpit. V.g. vt per tenebras nihil tollitur de natura aeris. Denique ſi comparetur ad ſubiecti diſpoſitionem, quam reſpectu boni habet, tunc dicendum, qđ totaliter non tollat habilitatem, ſcilicet primam, licet videatur tollere illam remotam ex actibus noſtris acquiſitam. His ita poſitis, nunc argumenta diluenda, & primo primũ ſic, qđ propinqua habilitas animæ ad bonum, ſiue ad virtutes, non tollatur, altera verò, & minuitur, & tolli videtur; Ad ſecundum argumentum cõceditur, qđ per gratiæ lumen tollatur habilitas ad malum, loquendo de illa habilitate ex actibus cauſata noſtris, at de illa inſita minime: quare, & illa propinqua reſpectu actuum noſtrorum pronitas, ſiue habilitas ad bonum, per culpam minuitur, & per obſtinationem eadem tollitur. At illa remota, reſpectu huius quæ ſic nuncupatur, licet in ordine prima, quia ab intrinſeco eſt, nequaquam per culpæ malum tollitur: qua vltima conſideratione, argumentum in oppoſitum diluitur, nam intelligitur de habilitate remota, quod nos concedimus: Et hęc pro pręſenti ſatis.

QVID

QVID SIT PECCATVM.
Diſtinctio XXXV.
Lectio CXXXVIII.

EX quo de mali, ſeu peccati cauſa determinatum fuit: conſequens modo eſt de ipſius peccati finitione verba facere, & hęc de cohęrentia pręſentis cum ſuperioribus diſtinctionibus vna cum intentione. Quantum attinet ad diuiſionem: arbitror hanc diuidi poſſe in particulas nouem. In quarum prima propoſitio ponitur. In altera peccati tres finitiones. In tertia cõcluſio. In quarta diuerſę narrantur opiniones. In quinta propoſitio. In ſexta probatio. Tres inſtantię in ſeptima. Solutio in octaua. Intentum deniq; concluditur in nona Quantum ſpectat ad primam, propoſitio ſic ſe habet. Diuerſimode à diuerſis doctoribus peccatũ diffinitur. An hoc verum ſit, pro probatione ſecundo ponuntur loco peccati tres finitiones. Prima beati Aug. eſt in Epiſtola ad fauſtum dicentis, quod peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Secunda eſt eiuſdem alibi dicentis, q̃d peccatũ eſt uoluntas retinendi, vel conſequendi, q̃d iuſtitia uetat: quarũ vtraq; ſolũ actualibus mortalibus peccatis, & nõ venialibus conuenit. Prima verò peccatis aptatur, prout tàm in actu exteriori, quàm in interiori exiſtunt. Altera aũt peccatis, prout ſolum per actum interiorem committuntur. Tertia diffinitio eſt Ambr. in lib. ſuo de paradiſo, vbi ait, q̃d peccatum eſt pręuaricatio legis diuinę, & cęleſtium inobedientia pręceptorum. Vnde rectè perpendenti, per primam, & tertiam peccati finitiones, tàm actus interior,

terior,

terior, quàm exterior, oſtenditur eſſe peccatum. At per ſecundam tantum interior actus declaratur eſſe peccatum, vt in hoc ſecundo videre eſt puncto. Poſt qđ ſequitur concluſio tertio talis. Quamuis peccatum ſimul ſit, tàm in actu interiori, quàm exteriori, principalius tamen in actu interiori locatur. Pro cuius intellectu narrantur quarto loco diuerſæ opiniones: quidam enim exiſtimarunt in actu interiori tantùm inueniri peccatum, Alij verò, quod nec in voluntate interiori, nec exteriori actu conſiſtat: quorum motiuum, ac fundamentum tale, quia voluntas, & actus eius habent entitatem; cũ ergo peccatũ nihil ſit, ex voto D. Aug. ſuper Ioan. propterea videtur, quod nec voluntas, nec actus eius, propriè dici queat peccatum. At hiſce opinionibus dimiſſis, vna cum Magiſtro dicendum, quod peccatum conſiſtat tàm in actu interiori, quàm exteriori, ſed principalius in actu interiori, eo quod, ſicut fructus ex arbore procedunt, ſic mala voluntas illa eſt, ex qua mala exteriora ꝓcedunt. Dilucidatis itaq; hactenus quatuor ſectis, accedit quintum hac propoſitione contentum. Humana voluntas, & eius actus, in quantum ſunt, bona quędam ſunt. At, quatenus cõtra Dei legem, proculdubio nihil ſunt. Huius probationem ſexto, quęſo, audite loco. Omne enim, quod à Deo eſt, bonum eſt, quia Deus eſt ſummè bonus; cum ergo voluntas, & eius actus à Deo ſint, fatendum propterea eſt, qđ tàm voluntas, quàm eius actus, in quatum ſunt, bona ſunt, & à Deo. At cõtra hoc ſeptimo tres inſtantiæ ſunt adducendæ loco. Quarum prima ſic. Si oĩs actus à Deo foret, ſequeretur, quod actus fornicationis, homicidij, & huiuſmodi actus alij, qui mali ſunt, & à voluntate, eſſent à Deo, at hoc q d abſur-

dius?

dius? opinio itaq; adducta non bona. Ad hanc velim vos reſpondere inſtantiam dicentes octauo loco, q̄d aliud eſt loqui de actu, & aliud de deformitate actus; primo modo, actus, in eo quod actus, à Deo dicuntur, at, vt deformes, non ſunt à Deo, ſed à mala voluntate malum eliciente. Altera inſtantia ſic formatur, omiſſionis peccata priuationes, & negationes important, atqui huiuſmodi à Deo minimè ſunt, non igitur tales actus à Deo. Reſponderi p̄ōt ad hanc inſtantiam, q̄d in actu omiſſionis duo intelligenda occurrunt: vnū quorum dicit actum, alterum defectum. Primo modo, talis actus à Deo eſt, at ſecundo modo, non. V. g. declinare à bono actus eſt poſitiuus, & ita conſimiles actus non ſunt oīno nihil, vt obiectio prędicta intendit, ſed dicunt quandam realitatem poſitiuam, ad differentiam defectuum, actuumq; cum deformitate, qui priuatiui ſunt, & à mala voluntate, non à Deo cauſaliter. Prętereà dicetis tertio: peccatum, inquantum peccatū, nonne eſt corruptio pęnalis? ſi ſic, pęna nonne à Deo eſt? ergo, & peccatū à Deo. Reſpondetur ad hoc, q̄d duplex datur corruptio: actiua vna, altera paſſiua. Peccatum (vt ſatisfaciam formæ dubitationis) inquantum peccatum eſt, corruptio paſſiua non dicitur, cuiuſmodi eſt pęna, ſed eſt corruptio actiua, quæ à Deo non eſt, q̄a nihil eſt, & ſi quis talem à Deo eſſe ponere vellet, tunc idem eſſet, ac ſi diceret: Deū mali cauſam eſſe, q̄d eſt pęnitus falſum, & hęc de punctis octo. Vltimū huius diſtinctionis per ſimile intentum continere videtur, q̄d ſic dilucidatur. Veluti ſe habet abſtinentia cibi, q̄ nihil eſt, & tamen corpus corrumpit, à ſimili, peccatum nihil eſt, & tamen animam corrumpit ſub hoc ſenſu, quatenus eam gratuitis ſpoliat donis, &

vulnerat eandem in naturalibus, & hoc tàm quo ad animã, quàm à Deo elongat, quam quo ad corpus, qđ immortalitate priuat. Ex his apparet, corruptionem actiuam eſſe peccati eſſentiam: paſſiuam autem peccati effectum, & pęnam. Et hęc ſatis pro pręſenti.

DE MALO MVLTIPLICI, ETC. Lectio CXXXIX.

ANtequam deſcendam ad examen prędeclaratæ diſtinctionis, arbitror de multiplici malo eſſe loquendum in gratiam eorum, quæ in textu à Magiſtro tacta fuerunt. malum ergo triplex dicitur eſſe, ſcilicet naturæ, pęnæ, & culpæ. Naturæ malum, vt ait Brulefer. nil aliud eſt, quam deformitas, vel monſtruoſitas in aliquo ente naturali exiſtens, ꝓueniens ex ſuperfluitate, vel diminutione naturæ, ſicut cęcitas, vel claudicatio, vel alia indiſpoſitio. Malum verò pęnæ eſt pęna. Et malum culpæ, peccatum, qđ malum culpæ dicitur, quia committitur male agendo, quale eſt homicidium, furtum, & huiuſmodi. Malum pęnæ illud, qđ Deus ob mala commiſſa immittit, iuxta illud ꝓpheticum. Ego dominus creans malum. Maxima verò mala ſunt mala culpæ, ſecundum Gabr. mala verò media ſunt peccatorum occaſiones, quæ inducunt, ac pręcipitant in mala culpæ, quales ſunt tentationes dęmonis, mundi, vel carnis. Tertia ſunt mala pęnæ corporis, & animæ, vt dolor, & triſtitia, & alia huiuſmodi afflictiua. Secundum Gerſonẽ parte ii. de ſeptẽ petitionibus Dominicæ orationis: malum eſſe quadruplex dicitur: originale: actuale, quod eſt duplex, nam

aliud

aliud mortale eſt, aliud veniale. Quartum dicitur pęna peccatum conſequens. Primum aũt malum innatum, duo verò ſequentia ſunt malum additum, quartum eſt malum inflictum, & ab o͞ibus his, petimus liberari, dùm in perſona Eccleſiæ orante, & loquentes dicimus, ſed libera nos à malo. Inſuper malum culpæ dupliciter accipi poteſt, vt ſcriptis prodidit Gabr. vno modo concretiuè, alio modo abſtractiuè. Concretiuè duo concernit, ſubſtractum ſcilicet, quod res illa eſt, quæ à malitia denominatur, puta homo malus, vel anima mala, aut actio mala, & connotatũ, hoc eſt malitiam, à qua homo peccator dicitur malus. Alio modo abſtractiuè, vt V. g. connotatum importat, à quo peccator dicitur malus, & hoc modo, malum idem eſt, quod malitia, & ſe habet ad ly malitioſus, ſicut peccatum ad ly peccator. Hic tamen animaduertendum eſt, dùm de peccatis loquimur, ne in errorem incurramus, nam licet vnum maius, & grauius dicatur, & ſit peccatum altero, illa tamen ſententia, quæ vulgo ſolet adduci in propoſito, quod inter duo mala minus ſit eligendum, intelligi habet de malis pęnæ; dùm enim neceſſitas compellit duarum pęnarum alteram incurrere, eligenda eſt minor, vel maius malum eſt fugiendũ, ſed nunquã malum culpæ eſt eligendum, cum non cadat ſub electione poſitiuè, negatiuè verò aliter eſſet dicendum. Et hęc de propoſitis ſufficiant.

DE DIVISIONE MALI.
Lectio CXL.

N*E quid ad noſtram ſpectans vtilitatem omittamus, hodierna die tria quęſita circa prędeclarata proponemus. Quorũ*

primum attinet ad mali diuiſionem. Quęri etenim ſolet. Num ſufficienter in culpam, & pęnam diuidatur. Inſuper Num omne peccatum in aliquo actu conſiſtat. Demum, cum duplex detur actus, interior ſcilicet, & exterior. Num in exteriori conſiſtat. Quantũ ad primum, pro parte negatiua ſic ratiocinor. In irrationalibus nec culpa, nec pęna inuenitur, nihilominus in eis malum admittitur: inſufficienter igitur malum eſt in culpam, & pęnam diuiſum. Inſuper, omne malum pęna eſt, nõ ergo rectè fuit malum diuiſum. Antecedens patet per Aug. in Enchir. vbi malum dicitur malum, quia nocet, at omne, quod ſic ſe habet, pęna eſt: ergo. Pro determinatione quęſiti ſciendum eſt: culpam, & pęnam ſufficienter diuidere malum, non tamen vniuerſaliter captum, at prout inuenitur in habentibus liberũ arbitrium. Pro cuius intellectu nõ eſt ſilentio prętermittendum, dari duplex malum, vti duplex bonum: vnum pertinens ad perfectionem primam, quæ forma eſt, ſiue ad rei integritatem, & pars eſt. Aliud ſpectans ad ſecundam, quæ operatio eſt. Malum non ſecus duplex. Vnum priuans primum bonum, & magis paſſio ſolet dici priuatiua boni, & tale, vniuerſaliter loquendo, naturæ malum vocitatur, at in habentibus electionem, malum pęnæ pręcipuè, ſi voluntati contrarium ſit. Datur aliud priuans ſecũdum bonum, vt puta debitam operationem, vel debitum ordinem in operatione, ſeu debitã rectitudinem, qđ generaliter malum peccatum vocatur, at ſpecialiter in prędítis libero arbitrio culpa, quatenus talis operatio, in noſtra eſt poteſtate per voluntatis libertatẽ. Bene igitur, ac ſufficienter malum culpã, & pęna diuidunt, nam, vt bonũ datur duplex, naturæ, & moris, ita naturæ malum,

&

& moris. Naturæ malum dicitur pęnæ, & malum moris culpæ. Omne enim humanũ malum, vel voluntariè fit, vel inuoluntariè. Si primo modo, culpa eſt, ſi ſecundo modo, pęna. Nunc ad argumenta dicendum, & primo ad primum, q̃ malum in habentibus liberum arbitrium eſt diuiſum, at inſtantia eſt de carentibus lib. arb. quare nulla. Et licet in his admittatur malum irrationalibus, debet tale nuncupari naturæ, non culpæ. Ad rationem ſecundam, qua dicebatur, q̃ nocet, pęna eſt, at peccatũ ſic: ergo. Reſpondetur ad hoc, q̃ nocere duobus habet accipi modis, vel quo ad vulgũ, vel quo ad iudicium. Quo ad vulgum ſequentem ſenſum, ac iudicantem pęnam magis, quam culpam, nocere concedo, at quo ad ſanum iudicium nego. Nam magis nocet ipſa culpa. In eo ergo, q̃ magis pęna percipitur, magis nocere videtur, at culpa magis equidem, quia voluntati contrariatur. Et hęc de primo dubio. Poſt quod quęrendum venit ſecundo. Num in aliquo actu peccatum conſiſtat. Pro parte affirmatiua ſic arguitur: meritum in actu, ſiue interiori, ſiue exteriori: igitur & peccatum. Conſequentia patet, quia hęc duo opponuntur; quare, &c. Pręterea Dei pręceptum omittere malum: ergo in actu conſiſtit peccatũ. Pro dilucidatione huius quęſiti paucis dicendum venit, quod vel actus compoſſibiles ſunt, vel non. V. g. quis nunc infirmus omittit orare Deum, vel ire ad miſſam: hoc in caſu, quia actus incompoſſibiles, ideo ibi non eſt peccatum, niſi pręter hoc concurrat contemptus. Quando verò actus ſe compatiuntur adinuicem, & poſſibiles ſunt, & voluntatis actum conſequuntur, tunc aliter omittendo, & faciendo, peccatũ incurrere quis dicitur, & ita in aliquo inuenitur actu peccatum.

Nunc argumenta ſoluenda, & erit finis. Dicitur itaq; ad primũ, q̄d nulla eſt ſimilitudo adducta de merito, & malo, ſiue demerito, & peccato. Nam bonum conſiſtit ex tota cauſa, at malum ex particularibus defectibus, ideo ad meritum actus requiritur bonus; ad peccatum verò ſufficit defectus actus, vel bonitatis in actu. Ad rationem ſecundam de facili dicitur, q̄d qui omittit ire ad miſſam, &c. eodem modo ſe habens valens, & potens, tunc à culpa non excuſatur, & ita in actu peccatum conſiſtere dicitur. Num verò in actu exteriori, quęritur tertio loco. Mihi equidem, quod non, videtur. Nam actus exteriores nobis cum brutis ſunt communes, at tales in illis non ſunt culpabiles: igitur, nec in nobis. Vlterius, actus interior de ſe malus non eſt: igitur nec opus exterius, vt videtur. Antecedens patet de concionatore cogitante de fornicatione. In oppoſitum ſe habet veritas ipſa, quæ eſt, tàm in actu interiori, quàm exteriori, inueniri peccatum, dummodo diuinis contrarientur pręceptis. Pro reſponſione igitur ſciendum eſt, peccatum, vt ex prędictis apparet, dicere operationis defectũ, vel debitæ perfectionis defectum in operatione. Culpa aũt dicit ſpecialiter defectum moralis bonitatis in operatione voluntatis, quæ ſola eſt in poteſtate operantis. Pręterea exterior actus, videtur poſſe cõparari ad immediatum principium, eliciens ipſum, vel ad voluntatem imperantem. Quo ſuppoſito dicendum: peccatum poſſe cõnſiſtere in actu exteriori ſecundum ſe, & prout comparatur ad immediatum principium eliciens ipſum. Culpa verò ſecundum ſe neqũaquam in actu exteriori videtur poſſe conſiſtere, at ſolum, prout comparatur ad voluntatẽ imperantem. His ita pręmiſſis, argumenta nunc

ſoluenda,

ſoluenda, deinde erit finis. Primi ergo maior propoſitio, quantum ad eſſe naturæ, conceditur, at quantum ad eſſe moris, negatur. Ad ſecundum dico, nõ eſſe ſimile de cogitatione, ſiue de actu interiori, & exteriori. Nam licet cogitet concionator de fornicatione, ibi tamen non peccatum, quia non eſt aſſenſus: quare quãdo actus exterior ſequitur interiorem, & voluntatis conſenſum, tunc ibi peccatum. At quando actus exterior ad voluntatem ſequitur, non tamen voluntatẽ, tunc ibi culpa non ponitur, ex ita, quo modo in actu exteriori conſiſtat peccatum, arbitror ſatis abundè fuiſſe dictum, & ſcitè admodum.

QVOD QVAEDAM SIMVL SVNT PECCATA, ETC.

Diſtinctio XXXVI.

Lectio CXLI.

Recitatis opinionibus diuerſis circa peccati quidditatem: cõſequens eſt inquirere. Num vnum peccatum ſit pęna alterius peccati. Ecce nexus cum intentione pręſentis diſtinctionis cum ſuperioribus. Diuidi modo põt hęc diſtinctio in particulas nouẽm. In quarum prima habetur concluſio. In altera probatio. In tertia dubium cum ſolutione. In quarta notandum. In quinta ꝓpoſitio. Ratio in ſexta. Concluſio in ſeptima. Notandum vnum pro probatione in octaua. Recapitulatio tandem in nona. Venio ad primæ conſiderationem, vbi hęc concluſio ponitur. Peccatum vnum fore pęnam alterius ſacra ſcriptura docet. An hoc ſit

verum, quid dicat beatus Greg. ſuper Ezechielem, audite. Ait enim: Peccatum, quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum eſt, & cauſa peccati, aut peccatum, & pena peccati, aut peccatum ſimul, & cauſa, & pena peccati. Inſuper, legitur apud Ioan. qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: ex quibus teſtimonijs apertè colligitur in hoc ſecundo ſecto, peccatum aliquod, & peccatum eſſe, & penam peccati. Verum, quia ex predictis locus dubitandi datur, iccirco Magiſter tertio loco querit. Num peccatũ, inquantum peccatum, pena peccati dicendum. Dubio propoſito, ſic modo inſto pro parte negatiua. Oĩs pena iuſta eſt, ideo iuſte fit, & eſt à Deo, at ſi peccatũ, inquantũ peccatum, pena eſt, à Deo igitur eſſet, at hoc impoſſibile dicitur, non ergo video, quo modo peccatũ peccati pena ſit dicendum. Vt è medio tollatur hec difficultas, ita dicemus: peccatum duobus concipi poſſe modis, vel inquantum peccatum, vel quo ad eius effectum, qui eſt corruptio quedam, ſequens peccatum. Primo modo peccatum, inquantum peccatum, nõ dicitur pena peccati, at ſecundo modo ſic, ideſt ratione ſui effectus, qui eſt corruptio. Effectus ergo peccati pena dicatur, non peccatũ, inquantum peccatum. Hinc quarto perpulchrum notandum eſt apponendum loco, quod eſt tale. Licet omne peccatum ſecundum predictum ſenſum (eo quod quedam corruptio ſit) pena dicatur, non tamen omne peccatum debet dici pena peccati, at illa ſolum peccata dicenda aliorum peccatorũ pena, quæ cauſantur ab alijs. Nec id mirum, quia ſolus effectus peccati, ſecundum premiſſa, dicitur peccati pena. Nunc quinto loco venit ponenda hec ꝓpoſitio. In nullo veritati preiudicat: peccata quedã, nõ ſolum cauſaliter,

verum et eſſentialiter aliorũ eſſe pęnas. Cuius ratio ſententialiter dicitur eſſe talis in hoc ſexto ſegmento, q̃a quędam peccata, vt pęna animam puniunt, quod Aug. teſtimonio poteſt confirmari, ita dicentis: carnis rebellionem ad Spiritum eſſe pęna, & iuſtè inflígi. Quędam alia peccata ſpiritualia dantur, quæ pęna dicuntur, eo quia paſſionem annexam habeant, ſicut ira, inuidia, ſuperbia, & ſimilia, illis tamen annexa pęna peccatum dici minimè debet. Et hęc de ſex particulis. In ſeptima hęc concluſio habetur. Peccata quędam fieri, ex neceſſitate de ſcripturæ ſacræ trahitur veritate. Ad quam probandam octauo ponitur notandum loco, qđ tale eſt. Licet beatus Aug. dicat peccata quędam fieri ex neceſſitate, & D. Hier. poſſe peccare, & non poſſe peccare ſemper in hominis eſſe poteſtate: ob id ſibi inuicē nõ contradicunt. Nam D. Aug. loquitur de peccatis venialibus, & D. Hier. de mortalibus, ſuppoſito tamen adiutorio gratiæ, vel aliter. Nam Hieronymus loquitur de hominis ſtatu ante peccatum. Aug. aũt poſt peccatum, & ita hi duo Spiritus ſancti tibicines adinuicem conciliantur. Tandem accedit recapitulatio, quæ talis, quod oēs actus, inquantum boni, ſunt à Deo. Quidam verò alij ex genere ſuo boni, V. g. vt dare eleemoſynam indigenti. Dantur deinde quidam alij ex ſua cauſa, vel ex fine, qui perfectè boni iudicantur, vt qui procedunt ex bona, & ordinata voluntatè, vel ex fine. Et in hęc terminatur tota diſtinctio.

NVM

NVM PECCATVM CAVSA PECCATI. Lectio CXLII.

DE more meo (*Nobiliſſimi Auditores*) *diſtinctionem ſuperiorem examinaturus, queſita tria proponam, & primò. Num peccatū cauſa peccati cenſendū. Inſuper, Num pena peccati. Denique, Num propter aliquā culpam omnis pena inſit. Quantum ad primum, audeo ad partem negatiuam declinare ſic. Peccatum, cum ſit defectus debitæ perfectionis, ſibi ſimile facere minimè poteſt, non ergo peccatum cauſa peccati, quia actus perfecti eſt ſibi ſimile producere poſſe. Preterea, vt motus non eſt motus, ne in infinitum procedamus, authore Philoſopho in phyſicorum lib. quinto; ita nec peccatum cauſa peccati. Ex alio latere, quia ex peccatorum actibus, malus cauſatur habitus, ex habitu aūt malo actus mali, & vicioſi: igitur ex peccato peccatum videtur cauſari. Pro determinatione queſiti ſciendum eſt, quod in peccato omiſſionis ſolus eſt defectus: in peccato aūt commiſſionis, actus, & defectus. Conſiderando itaque ratione ſolius defectus peccatum; ſic vnum eſſe alterius cauſam per accidens contingit, ideſt per cauſam remouentis prohibens, quia qđ in vnum inclinat, motum prohibet in contrarium. At gratia ad bonū inclinat: igitur prohibet motum, vel lapſum in peccatum. Verum quia peccati defectus priuatio gratiæ eſt, non effectiuè, ſed meritoriè, & concomitanter: igitur peccatum eſt cauſa motus, vel lapſus in quodcunq; aliud peccatum, ſicut remouens prohibens. Si verò conſideretur peccatum, quo ad actum, ſic vnum peccatum poteſt eſſe cauſa*

alterius,

alterius, per modum cauſæ finalis efficientis, & materialis. Exemplum primi, dùm vnum peccatū dicitur habere rationem eminentioris boni reſpectu alterius, vt quando quis arbitratur fornicari eſſe bonum. At quia hoc non pōt facere, cum ſit pauper, niſi furetur, inde furari eligit. De cauſa efficiente nō ſecus patet, quia illud, qđ eſt diſpoſitio inclinans cauſam agentē ad ſimilem actum, eſt aliquo modo illius actus cauſa efficiens, ſed vnus actus peccati diſpoſitio eſt inclinans ad ſimilem actum: ergo rectè dixi aliquo modo, quia nō eſt cauſa agens, nec ratio agendi, ſed quędam primitatis diſpoſitio ad ſimilem actum. De materiali cauſa ſimiliter patet, quia idem obiectum circa quod actus exercetur, rationem materiæ reſpectu eius habet. Nō tamen dicitur materia, ex qua, nec in qua, ſed circa quā. Unde dùm de actibus venereis pugnatur, tunc vnius peccati actus reſpectu alterius peccati tranſumptiuè materia dicitur, & ab alijs obiectum. Secūdum verò genus cauſæ formalis vnus actus peccati non poteſt eſſe cauſa alterius, quia propriè loquendo formæ non eſt forma. Nunc ad argumenta accedo, & ad primum dico, quod peccatum ad duo poteſt comparari, vel quo ad eſſe moris, vel naturæ; primo modo argumentum currit, ſecundo modo nullum eſt. Ad ſecundum dicitur, quod & motus non eſt motus, vt cauſa, inquantum motus, ſic nec peccatum peccati cauſa, niſi ſecundum aliquid ſpeciale repertum in eo, ſcilicet quia remouet prohibens, vel ratione ſpecialis habitudinis actus ad actum modis, quibus dictum eſt, & hęc de primo puncto. Sequitur alterū, dùm queritur. Num peccatum ſit pęna peccati. Mihi quòd non, videtur. Nam ſunt inductæ pęnæ, vt per eas in bonum homines reducantur, at

per peccatũ nõ ſic euenit, ſed totũ oppoſitũ, nõ itaq; peccatum pęna peccati. Diuus Aug. lib. confeſſionũ in oppoſitũ ſe habet ita dicens. Iuſſiſti domine, & verè ſic eſt, vt ſibi pęna ſit oĩs inordinatus animus, at inordinatio animi malũ culpæ eſt: ergo, &c. Pro determinatione queſiti ſunt duo dicenda. Primum eſt, qđ peccatum per ſe loquendo nõ eſt pęna peccati: ſecundũ eſt, qđ peccatũ põt eſſe pęna peccati concomitanter, vt aliàs dictum fuit. His p̃miſſis, ad argumentum formatũ ita reſpondendum ad minorẽ: peccatum, vt peccatum, in oppoſitum ducere, at vt habens pęnã annexã, in virtutis bonũ inducere: quare pęna culpæ adiuncta rationẽ habet medicinæ, & merito adiuncta auget ipſum. Explanatis iã duobus ſegmentis, tertium ſubſequitur, vbi queritur. Num pp aliquã culpã oĩs pęna inſit. Mihi primo aſpectu videtur eſſe tenendum, quòd non. Nam impij vt plurimum exaltantur, & innocentes deprimuntur, non ergo pęna ppter delictum. Pars vna primæ propoſitionis exemplo Chriſti patet, qui pro nobis paſſus eſt, licet peccatum non fecerit, nec in ore eius dolus inuentus ſit. Non itaq; pęna propter culpam. In oppoſitum ſe habet D. Hier. dùm dicit, quod quicquid patimur peccata noſtra meruerunt. Pro determinatione ergo huius queſtionis duo conſideranda occurrunt. Vnum eſt, quod oĩs pęnæ paſſibilitas, in nobis ineſt à culpa. Alterum eſt, quod quandoq; infligitur pęna ad maius meritum, & non ſemper ad peccatum. His ita pręmiſſis, dicitur nunc ad argumentum primum, qđ mali ab bonum extolluntur, & innocentes puniuntur ad maius meritum. Ad probationem verò à Chriſti exemplo deſumptam reſpondetur, quod pęna Chriſti ordinem habuit ad culpam, non quidem Chriſti, ſed

primi

primi parentis, cuius debitum exiſtens in nobis Chriſtus per pęnam, quam ipſe pertulit, exſoluit. Ad illud verò Hieronymi in contrarium adductum, vt in pluribus eſt intelligendum, non de actuali paſſione, at de paſſibilitate, quam omnes à Chriſto contraximus ex primo peccato. Et hęc de propoſitis ſatis.

SVNT AVTEM, ET ALII, ETC.
Diſtinctio XXXVII.
Lectio CXLIII.

POſtquā declaratū fuit à nobis, quo modo peccatum vnum ſit cauſa alterius, & quo modo non. Inſuper, qua via vnum ſit peccatum pęna alterius peccati Conſequenter inquirendum venit, qualiter malorum author ſit ipſe Deus, ad qđ videndum diſtinctio primò diuidetur in ſeptem partes. In propoſitionem primò. In quorundam opinionem ſecundò. In concluſionem tertiò. In rationes duas quartò. In propoſitionem quintò. In determinationem ſextò. In dubium denicq; cum ſolutione ſeptimò. Venio ad primum in ordine, vbi talis propoſitio ponitur. Quidam volunt aſſerere, malam voluntatem, & actum eius malum, nullatenus à Deo procedere. Quorum motiuum ponitur loco ſecundo, quia voluntas mala, & eius actus, nec bona ſunt, nec etiam à Deo eſſe dici debent quacunq; ratione. Nam habet Ioan. i. ſine ipſo factum eſt nihil, ideſt peccatum. Aliorum verò ratio contrarium opinantium, vt puta Aug. fuit, vt ſupra dictum eſt à nobis, ſcilicet quod talia eſſent à Deo, inquantum ſunt, quia hoc modo bona dicuntur.

cuntur. Hoc aũt ſoluentes dicunt, propoſitionem hanc veritatem habere in habentibus naturale, & ſubſtantiale eſſe, quale eſſe peccata minime habent. Nunc tertio venit addenda hęc cõcluſio loco. Deus indebitè peccatorum cauſa ponitur eſſe. Ad quã probandam, duæ extant rationes: quarum prima talis eſt. Illud non eſt à Deo, per quod fit homo deterior, atqui peccata res ſunt, quibus homo fit deterior, non igitur peccata ſunt à Deo. Altera ratio talis. Nihili Deus nõ eſt author, cum itaq; peccatum nihil ſit, non ergo à Deo, vt dicit opinio. Magiſter vtranq; opinionẽ, & illam, quæ dicere videtur, peccatum eſſe à Deo, inquantum eſt quidam actus, & illam, quæ tenet peccatum nullo modo eſſe à Deo, indeterminatam relinquit. Nos verò dicimus, in peccato duo fore conſideranda, actum, vt quid poſitiuum, deinde defectum. Primo modo, à Deo, ſecundo modo, nequaquã. Id eſt poſitiuè à Deo, priuatiuè non, & ita difficultas ruit prima, atq; ſecunda tollitur. Hinc quinto loco, hęc ponitur propoſitio. Deum per ſe eſſe mali culpæ cauſam, dicere velle, ſecundum concordem ſanctorum doctorum ſententiam, hęreticum eſt. Cuius determinatio, hęc (vt patet ſexto loco) quia mali tantũ pęnæ, cauſa Deus dicitur eſſe. Vnde Amos iii. dicitur. Non eſt malum in ciuitate, quod non fecit dominus, & Eſa. xlv. Ego ſum dominus creans malum, & faciens bonum, quæ proculdubio ꝓpoſitiones veritatem non haberent, niſi Deus author eſſet mali pęnæ. Dubium demum proponitur, & ſtatim diluitur. Dubium ergo tale eſt. Deus mortem non fecit, vt Sap. i. legitur, quæ tamen eſt quoddã malum pęnæ: igitur neq; author mali pęnæ. Pro reſponſione debetis ſcire, illam ſacræ ſcripturæ authoritatem eſſe intelli-

intelligendam, quòd Deus peccatum illud nō fecit, ſcilicet malum culpæ, quod eſt cauſa mortis, ita quod nomine effectus ibi cauſa ſignificetur. Et hęc de tota diſtinctione ſatis ſint diſputata.

NVM ACTIO PECCATI SIT A DEO.
Lectio CXLIIII.

AD aures Theologorum circa diſtinctionem iſtam tria quęrenda nobis occurrunt. Primo. Vtrum actio peccati ſit à Deo. Inſuper, Num Deus ſit actor mali pęnæ. Denique. Num culpa magis habeat de ratione mali, quàm pęna. Quo ad primum, pro parte negatiua ſic arguitur: Deus eſt vltor peccati quantum ad ipſam actionem, nō ergo actio peccati à Deo. Deinde actus, & defectus inſeparabiles eſſe videntur, ac defectus non eſt cauſa Deus: ergo neq; actus, ſiue actionis. Ex alio latere, ſi Deus non eſſet cauſa actus, non generarentur effectus ex adulterio, ſiue ex fornicatione, at generantur: igitur Deus cauſa actus dicitur. Pro intellectu huius quæſiti ſunt tria pręmittenda, primum eſt, quod Deus eſt cauſa actionis peccati vniuerſalis prima. Alterum eſt, quod non eſt eius cauſa proxima, & immediata. Tertium eſt; quod ex hoc Deo non debet imputari culpa. His ita poſitis, nunc ad rationem primam de facili reſpondetur ſic. Quod immediata cauſa huius, vel illius peccati, non eſt Deus, at benè mediante lib. arb. huius, vel illius actionis author dicitur. Huius ſcilicet actionis, inquantū eſt, non inquantum mala eſt. Ad ſecundam dicitur, quòd Deus non eſt cauſa immediata defectus, neque

mali

mali actus, at actus mediante lib. arbitrio ſic. Ad illud argumentum in oppoſitum dico, qđ per peccati actionem nullus effectus in eſſe producitur, benè per peccati actionem actiua, & naturalia paſſiua appropinquantur, ut patet in actu adulterij, vel fornicationis, vbi viri ſemen cum ſemine mulieris commiſcetur, inde ſequitur eorum actio naturalis, & defectus: quorum vtrunque Deo attribuitur, non tamen precedens peccati actio propter rationem iam dictam. Actio ergo naturæ à Deo, at defectus non. Enodata itaq; quæſtione prima, altera ſubſequitur, dùm queritur. Nũ Deus mali pęnæ, ſit actor. Mihi primo aſpectu videtur eſſe dicendum, quòd non. Nam oẽ malum dicitur pręter agentis intentionem, hoc in Deo ne ponatur, quia oĩa ſibi pręuiſa, propterea, quod mali pęnæ non ſit actor, dicendum. At dicetis vos: nonne Dei remunerare bonos, & punire malos? hoc aũt fit per inflictionem pęnæ: ergo. Pro dilucidacione queſiti eſt ſciendum, quòd pęna, vel eſt damni, vel ſenſus: rurſus, vel à Deo, vel ab homine. Quibus modis quando iuſtè infligitur pro culpa, tunc à Deo, ſed non immediatè, at mediante culpa ſic. Dixi quando iuſtè infligitur, propter pęnam ab homine alicui iniuſtè iuflictam, quo in caſu, quia talis pęna ſonat imperfectionem, iccirco Deo non aſcribitur. Nunc ad argumenta dicamus, & primò ad primum, quòd malum in genere mali dicitur eſſe pręter intentum naturæ agentis, quo modo nõ eſt à Deo, at malum naturæ nihil prohibet eſſe bonum in genere moris, ſic eſt pęna iuſta, quo modo poteſt eſſe intenta. Argumentum in oppoſitũ ex dictis patet, & hęc de ſectis duobus. Querendum modo tertio eſt. Num culpa magis habeat de ratione mali, quàm pęna: mihi

videtur,

videtur, quo pęna. Nam peccatum euitatur propter pęnam: ergo pęna maius malum videtur: quare pęna rationē dicitur magis mali habere, quam culpa. Pręterea: pręmium dicitur melius merito: ergo pęna deterior culpa. Conſequentia patet, quia ſicut ſe habet meritum ad pręmium, ita culpa ad pęnam. In contrarium dicetis vos: culpa nonne pęnæ cauſa? ſi ſic: ergo maioris mali rationem habebit culpa, quā pęna. Pro dilucidatione huius quęſtionis ſcire debetis culpam, & pęnam: non propriè hic comparari, ſed largè. Nam eiuſdem rationis hęc duo non ſunt, quia culpa in hominis poteſtate eſt, & pęna non. Quo ſtante ad argumēta nunc reſpondendum, & primo ad primum ſic. Quod peccatum primo, & per ſe, non eſt vitandum propter pęnam, at propter ſe, ēt ſi nulla pęna ſequeretur. Ad ſecundū reſpondetur, q̄ quamuis culpa terminetur ad pęnā, ſicut meritum ad pręmium, non tamen intenditur ꝑ ꝓ pęnam, ſicut intenditur meritum ꝑ ꝓ pręmium, ſed potius inducitur, vt culpa vitetur. Et ita culpa maior eſt, ſiue peior pęna.

DE VOLVNTATE, ET FINE, ETC.
Diſtinctio XXXVIII.
Lectio CXLV.

P*Oſt prędicta de peccato actuali, cōſequenter determinandum venit de peccati radice, ſcilicet de voluntate, eiuſq; fine. Pro cuius notitia primo diſtinctio in partes nouem diuidenda eſt. In quarū prima ponitur vna cōcluſio. In altera ꝓbatio. In tertia illatum. Dubium cum ſolutione in quarta. Concluſio in*

ſio in quinta. Dubium in ſexta. Corrolarium in ſeptima. Concluſio in octaua. Quęſitum pro probatione in nona. Et hęc de diuiſione. Nunc ſingulæ partes declarandæ ſunt in primis prima, vbi hęc concluſio ponitur. Ex bono, vel malo fine perpenditur rectitudo, ſiue peruerſitas voluntatis humanæ. Ad quã probandam ſecundo loco ita fatur Magiſter, quod bonorum finis charitas eſt, & malorum mala delectatio in actu vitioſo. Quantum ad primum, ſic ait D. Aug. quod propter charitatem non fit, rectè non fit, quæ charitas uoluntatis finis ad vlteriorem ordinata, ſcilicet ad Deum dicitur. Eſt ergo finis ad finem uoluntatis charitas. Malarũ verò voluntatũ finis delectatio mala eſt in actu vitioſo: hinc deducitur illatum tertio, quod eſt tale. Tàm bonas ſcilicet, quàm malas voluntates plures poſſe fines habere: non tamen vltimos, ſed intermedios, tanquam iter quoddam, & via perueniendi ad vltimum finem. Et hic dubitandi locus nobis datur, iccircò quarto loco, ex voto D. Aug. ſic inſtatur; duos fines conſtituere ſimul, non poſſumus: igitur illatum nullum videtur. Ad hanc inſtantiam ita reſpondeamus dicentes: hoc eſſe verum, vbi fines ſic ſe habent, & diſponuntur, quod vnus ſub alio non ſit contentus. At quando ſubordinati ſunt, vt in propoſito loquimur nos, tunc plures voluntatis erunt fines, nõ tamen vltimati, ſed intermedij, & vnus vltimus. His quinto additur loco talis concluſio. Voluntatem, & intentionem oĩno fore idem, congruè negatur, eo quia per uoluntatem, & non per intentionem affectiua potentia nominatur: Ad quam probandam concluſionem dubium ſexto proponit loco Magiſter. Quęritur enim, Num uoluntas, & intentio ſint idem. Dubio

propoſito,

propoſito, declinandum fore ad partẽ negatiuam video, cuius ratio aſſignatur, quoniam uoluntas potentiam nominat volitiuam, intentio aũt minimè. An hoc verum ex uerbis D. Aug. de facili colligitur. Vir enim iſte declarat, quod uoluntas eſt potentia, qua uolumus, finis verò illud eſt, quod uolumus, & intentio illa interior motio, qua per uoluntatẽ in finem tendimus. V. g. ſi velim eſurientem cibare, ſiue reficere, ad vitam ęternam conſequendam, tunc voluntas, potentia qua uolo eſurientem reficere, cuius finis medius, refectio eſt eſurientis, vltimus uerò finis, vita ęterna. At intentio motus eſt, quo ad finem peruenire uolo. Patet igitur, quo modo iſta tria non ſunt idem, vt habetur per hoc corrolarium ſeptimo loco. In octauo extat talis concluſio. Satis probabile, quod aliquis eodem velle finem velit, & illud, quod ad Deum referibile conſtat. Ad cuius probationem dubitatur nono. Num ſit idem actus uoluntatis, quo vult finẽ, & ea quæ ſunt ad finem. Aliquibus (vt dubitationi ſatisfiat) videtur eſſe dicendum, qđ non ſit idem actus, ſed plures, ſicut non eſt idem actus videre parietem, & per parietem in via tranſeuntes. Quibuſdã uerò alijs placet, qđ ſit idẽ actus uoluntatis, ꝗ tamen ſecũdũ uolitorũ diuerſitatẽ diuerſus. Sunt ergo idẽ actus uoluntatis, licet diuerſificentur ſecundũ (vt iam diximus) volita, quãuis hoc indeterminatũ Magiſter ſent. relinquet. Et hęc ſatis.

AN BONITAS ACTVS VOLVNTATIS EX FINE? Lectio CXLVI.

D*E more noſtro examinare volentes hanc diſtinctionem de quatuor excitandis queſitis, duo tantùm hodierna deproi-*

C 2 *ponemus.*

ponemus. Quorum primum erit, Num bonitas actus uoluntatis ex fine ſumenda. Deinde, Num intentio actus dicenda ſit uoluntatis. Circa primum, pro parte affirmatiua ſic arguitur: motus à termino, denominationem ſortitur, at terminus actus ipſius voluntatis, finis eſt: igitur, &c. Vlterius in topicis, perpulchra extat illa ſententia: cuius finis bonus eſt, ipſum quoq; bonum eſt: igitur finis, bonitas videtur operis, bonitatem cauſare. At dicetis uos, in contrarium arguentes: Euangelizare bonũ eſt, at hoc facere propter manducare, bonum non eſt, operis itaq; bonitas, à bonitate finis non ſumenda. Pro reſponſione velim ſciatis: queſtionem preſentem intelligendã fore, de bonitate morali, actus voluntatis. Actus verò moralis, eſt ille actus in uoluntate, ſiue uoluntatis poteſtate, q eſt poſitus, ſiue ab ea elicitus, ſiue imperatus; & dicitur moralis à more, ſiue à conſuetudine quatenus, ſcilicet per conſuetudinem, poſſumus nos diuerſimodè habere circa tales actus. Hinc laudamur, & ſugillamur, quia tales actus in noſtri liberi arbitrij poteſtate ſunt. Conſiſtit aũt bonitas moralis in conuenientia actus uoluntatis ad rectam rationem, vt naturæ bonum, ſiue ratio boni naturæ dicitur conſiſtere in eſſe conueniens, ſcilicet naturæ; quando ergo actus uoluntatis tendit in obiectum eliciendo, qđ recta ratio prius dictauit eliciendum, tunc bonus actus, & moralis ſecundum debitam conuenientiam nuncupatur. Ex his patere poteſt, à quo voluntatis actus, moralem habeat bonitatem, nam ex obiecto accepto ſecundum totalem ambitum obiecti. Nunc ad argumenta quid dicendum, audite: minor etenim argumenti primi, dupliciter habet conſiderari: vno modo, quod tendat in finem: alio modo, qđ in

ipſum,

ipſum, vt in obiectum. Hoc ſecundo modo conceditur ratio, at primo modo negatur. Dicitur ergo actus uoluntatis, ipſius terminus, finiſq; ſub ratione obiecti. Ad ſecundum argumentum maior conceditur ſub ratione obiecti, & ita, quid circa hoc tenendum, patet in pręſenti primo noſtro quęſito. Cui nectitur alterum de intentione. Nã quęritur. Num intentio ſit voluntatis actus. Mihi equidem videtur, quòd non, oĩs enim uoluntatis actus, vel dicitur finis, vel eorum, quæ ſunt ad finem, at intentio nullum horum, vt patuit ſuperius, dicitur eſſe: quare, &c. Minor, vt ſupecta, ſic declaratur, quia actus uoluntatis reſpectu finis, dicitur velle, & reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, eſt eligere, quorum nullum eſt intentio: ergo. Pręterea, ſecundum philuſophum nonne naturalia finem intendunt? ſi ſic, cum in his non ſit uoluntas, dicendum erit, quod intentio non ſit actus uoluntatis. Ex alio latere, quia meritũ, & demeritum videntur pertinere ad uoluntatem, & vtrunq; attenditur ſecundum intentionem, vt D. Ambr. fatetur: ergo. Ad hanc quęſtionem terminandum, uolentes primo ſequi interpretationem nominis dicemus, quod intendere, nil aliud ſit, quam de vno in aliud ire, ſiue tendere, qui actus voluntatis eſt, & reſpectu finis non abſolutè; ſed vt per aliquid aliud peruenitur ad finem. Vnde intentio dicitur actus uoluntatis ex quodam volito, tendens in aliud per motum. Nam intentio ſimplicem non importat actum voluntatis, ſed ẽt motum, oĩs enim motus eſt ex quodam in quoddam, & talis motus per ſe reſpicit terminũ, & non medium, niſi ratione termini; ſed finis habet rationem termini, ea aũt, quæ ſunt ad finem, rationem medij: ergo, &c. Nunc ad argumentum formata,

mata, vt reſpondeamus, ad primũ dicemus, gloſantes primo maiorem propoſitionem, deinde exponemus minorem; dùm ergo dicebatur, quod oĩs actus uoluntatis, vel eſt finis, vel eorum, quæ ſunt ad finem, debet intelligi non abſolutè, ſed reſpectiuè. V. g. non eſt finis abſolutè, ſed in ordine ad aliud, ſcilicet ad bonitatem. Nunc ad minorem dicitur, quod intentio propriè eſt actus uoluntatis, reſpectu finis, at finem reſpicere ſtat duobus modis, vno modo, vt in eo quieſcitur, ſic actus uoluntatis dicitur fruitio. Alio modo, vt eſt terminus alicuius, quod in ipſum ordinatur, & ſic intentio reſpicit finem, quæ differt ab electione, electio enim directè eſt de his, quæ ſunt ad finem, licet in habitudine ad finem. At intentio directè eſt de fine, licet in habitudine ad ea, quæ ſunt ad finem. Ad rationem verò ſecundam dicitur: naturalia finem intendere, metaphoricè, non propriè, vt hic loquimur, ſed ſecundum quid, at ſimpliciter in habentibus intellectũ, quæ potius agunt, quã agantur, & illa naturalia dicuntur potius agi, quam agere, quoniam eorum appetitus in finem non dirigitur à ſe, vel ab aliquo ſibi coniuncto, ſed ab intellectu ſeparato, naturam inſtigante. At voluntas mouet ſe, ſaltem indirectè, quatenus rationem mouet ad ea deliberandum, quæ fini congruunt, vel non: quapropter eis magis competit intendere, quam naturæ, cui niſi ſecundum quid, & impropriè conuenit, & hęc ſatis.

NVM

NVM VOLVNTATIS ACTVS, IDEM SIT, RESPECTV FINIS, ET EORVM quæ ſunt ad finem.

Lectio CXLVII.

IN ſuperiori ſermone noſtro queſtionibus predeclaratis duabus hodierna die, aliæ duæ addendæ. Quarum prima ſic ſe habebit. Num idem voluntatis actus, reſpectu finis, & eorum, quæ ſunt ad finem, dicendus ſit. Preterea. Num bonarum voluntatum oīum ſit vnus finis. Quantum attinet ad primam, vt uideo, pro negatiua parte tres rationes formandæ, quarū prima ſic. Iſdem actus intenſus, atq; remiſſus non videtur poſſe eſſe, at intenſius in finem, quā in illud, qđ eſt ad finem voluntas fertur: ergo. Deinde, frui, actus eſt ipſius voluntatis reſpectu finis, vti uero, reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem; atqui idem actus fruitionis, & vſus eſſe non poteſt: ergo. Denique, vt intellectus ſe habet ad principia, & ad concluſiones, ſic voluntas ad finē, & ad ea, quæ ſunt ad finem. At intellectus non eodem modo, nec eodem actu fertur in principia, & concluſiones: ſic nec uoluntas, nō ergo idem actus uoluntatis, &c. In contrarium dicetis vos: nonne uoluntas vult finem, & illud, quod eſt ad finem, propter finem? cum itaq; vnum uelit propter alterum: igitur idem erit uelle vtrobique. Inſuper, dicitur voluntas ſimul uelle finem, & illud, quod eſt ad finem ꝑꝑ finem: igitur non ſunt plures actus uolendi, ſed vnus: quare, &c. Pro determinatione huius queſiti, ne credatis eſſe parui momenti, uidēdum eſt, qualiter ipſa uoluntas ſe habeat ad finem, & ad ea, quæ

ſequuntur ad finem; uoluntas ergo dicitur aliquãdo ferri in aliqđ abſolutè, tanquam bonum per ſe, & hic uoluntatis motus ſimplex dicitur, ut uelle. Aliquando ēt fertur in aliud, non tanquã in bonũ ſecundum ſe, at ſicut in bonum propter aliud, quĩ actus dicitur eligere, vel intēder rationibus tamen diuerſis, vt aliàs diximus. His pręmiſſis, modo ſciendum eſt, quęſtionem hanc dupliciter poſſe intelligi, vno modo ſic, Vtrum ſcilicet uoluntas, ſiue actus uoluntatis, quo ipſa vult finem abſolutè, puta ſanitatē, qui actus dicitur uelle, quo vult aliquid propter finem, vel finem, vt per aliud acquiritur, qui actus dicitur eligere, vel intendere, ſit vnus actus. Alio modo. Vtrum electio, vel intentio, quæ reſpiciunt tàm finem, quàm ea, quæ ſunt ad finē, ſint vnus actus, an plures. Primo modo quęſtio dubia non eſt, conſtat enim, quod ſunt plures actus, quia ſeparari poſſunt: non ergo vnum ſunt per eſſentiam. At ſi ſecundo modo intelligatur vtrum electio, vel intentio ſint vnus actus, dicendũ eſt, quod non. Primo ex natura horũ actuum ſecundum ſe. Nam electio, nil aliud eſt, quam inclinatio uoluntatis in aliquid propter finem, intentio uerò eſt uoluntatis inclinatio in finē his mediantibus, quæ ſunt ad finem. Inſuper hoc idem ex actuum comparatione uoluntatis inter ſe apparet, ꝗa ſi electio, vel intentio ad duos voluntatis actus diuideretur, tunc in actum ſimplicē, qui eſt uelle, & in electionem, vel intentionem. At electio non videtur diuidi poſſe in eligere, & uelle: ergo. Minor patet, quia electio contra voluntatem diuiditur, uel contra uelle ſimplex. At nihil diuiditur in illud, quod contra ipſum diuiditur, ſicut animal non diuiditur in animal, & plantam, cum vnum contineat totũ diuiſum: ergo.

Hoc

Hoc idem magis apparet ex obiecti formalis ratione. Nam in propoſito vnum eſt ratio alteri, quod cadat ſub actu alicuius potentiæ. Vnde quando dulce, uel amarum appetitur ꝓpter finem, ut puta propter ſanitatem, tunc apertè patet, quod ſanitas eſt tota ratio ea appetendi: ergo, &c. Nunc ad argumenta accedo, & ad primum dico, q̃d minor eget expoſitione, nã actus uoluntatis, quo voluntas vult finem, & ea, quæ ſunt ad finem propter finem, duobus habet conſiderari modis. Vno modo abſolutè, & ſecũdum ſe: alio modo per comparationem ad obiecta. Si primo modo, falſa eſt minor propoſitio. Si ſecundo modo, concedi poteſt, quia cum ſit à duobus, ab uno eſt perfectius, quàm ab altero. Ad minorem ſecundi argumenti dicitur: inconueniens quidem eſſe, quod vſus, & fruitionis, ſit idem actus ratione obiecti, quia idem ratione vltimi finis habere non poteſt, cuius eſt frui, & relati ad finem, cuius eſt vſus. Nullũ tamen ſequitur incommodum, eundem actum eſſe vſum, & fruitionem, ut in patria hoc apparet. Nam eodem actu beatifico quis Deum uidet, & res creatas in ipſo, & ita eodem actu diligit quilibet beatus Deum, & fruitur eo, & creaturas diligit, referendo in Deũ, & ſic vtitur eis. Eodem quoq; euenit in uiatoribus modo. Vel aliter dicatis ad maiorem propoſitionem eiuſdem argumenti, non oẽm actum uoluntatis eſſe fruitionem, reſpectu finis, ſed benè reſpectu finis in ſe, non aũt ut virtualiter eſt in eo, quod ad finem eſt, ut in propoſito. Ad tertium argumentum minor propoſitio negatur, & ratio aſſignatur, quia intellectus eodẽ actu in principia, & concluſiones fertur, quod ex principijs cõcluſiones deducit, licet non ſic, quãdo abſolutè fertur in principia, ſicut proportionabiliter

dictum

*dictum eſt de uoluntate reſpectu finis, & eorum, quæ ſunt ad fi-
nem. Et ſic finitur quęſtio prima. Altera ſubſequitur, dùm quę-
ritur, An oīum bonarum uoluntatum ſit vnus finis. Ad partem
negatiuam declinando, ſic arguo. Si vnus oīum bonarum foret uo-
luntatū finis, eſſet talis finis Deus, at non eſt: ergo. Minor patet,
quia nō eſt cognitus: ergo nec intentus. Pręterea, malarum uolun-
tatum non eſt vnus finis, quia contrariæ ſunt: ergo nec bonarum.
Conſequentia per ſimile patet: ergo. Ex alio latere, quia finis, &
agens ſibi correſpondent, ſed oīum vnum eſt principium agens:
igitur vnus vltimus finis. Pro intellectu huius quęſtionis hac uia
procedemus, cōſiderantes primo in quotuplici diſcrimine ſit finis:
inſuper cōcluſiones duæ ponentur: tertio rationes formatæ diluen-
tur. Quantum ad primum. Finis duplex datur, proximus, & re-
motus. Quantum ad ſecundum, ſit hęc prima concluſio. Proximus
finis oīum bonarū uoluntatum, ſecundum eſſe morale, vnus eſt, &
idem, ſecundum ſpeciem, circa eandem materiam. Altera conclu-
ſio. Simpliciter aūt non eſt idem. De fine uerò vltimo ſi loqui uol-
uerimus: duobus hoc fieri poſſe modis dicemus. Vno modo ſecun-
dùm rationem generalem ultimi finis: alio modo ſecundum illud,
in quo ſpecialiter ratio ultimi finis inuenitur. Primo modo, tàm
bonarum, quàm malarum uoluntatū unus dicitur eſſe ultimus finis,
qui habet rationem boni perfecti quietantis uoluntatem: in vltimo
enim quies eſt. Si ſecundo modo ſumatur finis pro illo, in quo ratio
ſpecialis ultimi finis cōſiſtit, tunc oīum bonarum uoluntatum unus
eſt vltimus finis, ſcilicet uita ęterna, dummodo uoluntas bona ſe-
quatur rationē ſyllogizantem ex fidei principijs. His ita pręmiſſis,*

diluendæ

diluendæ nunc ſunt rationes, & primo prima, deinde ſecunda. Dùm itaq; in ratione prima dicebatur, ſi unus eſſet finis, talis finis eſſet Deus; at non eſt Deus, quia non eſt cognitus: ergo. Reſpondetur, qđ quamuis explicitè, & actu nòn ſit cognitus, habitu tamen, & implicitè ſic. Et ex conſequenti intentus. Ad ſecundum argumentum negatur ſimilitudo de malis, & bonis uoluntatibus. Nam malæ uoluntates ſunt huiuſmodi per auerſionẽ à bono, bonæ verò per conuerſionem ad bonum. Et pro pręſenti ſint ſatis diſputata.

CVM VOLVNTAS SIT, ETC.
Diſtinctio XXXIX.
Lectio CLVIII.

VBI determinatum fuit in pręcedẽti diſtinctione, vnde ſit rectitudo, & vitium in uoluntate, conſequenter nunc diſſerendum, qualiter in uoluntate ſit peccatum. Habita cohererentia pręſentis diſtinctionis cum pręcedenti vna cum intentione: diuidi modo habet in puncta vndecim. In concluſionem primo. In quęſitum ſecundo. In reſponſionem tertio. In alterum quęſitum quarto. In ſolutionem quinto. In nouam concluſionem ſexto. In dubium ſeptimo. In reſponſionem octauo. In propoſitionem nono. In quęſtionem decimo. In opiniones duas pro reſponſione vndecimo. Concluſio, vt rem ipſam aggrediar, talis eſt. Quamuis humana uoluntas de ſe bona, & recta creata, denominatiuè tamen mala eſt, inquantum inordinata. Ad quam probandam ſecundo quęritur loco, vtrum ipſa uoluntas mala eſſe poſſit,

cum

cum tamen bonam habeat naturam, ſiue bonitatẽ naturalem, ſicut & cętera naturales potentia, qua quantumcunq; deprauentur, nibilominus bona manent, vt ratio, vt ingenium, & conſimilia, qua licet vitijs maculentur, ac deprauentur, ob id mala dicuntur minimè, quo ad eſſe natura, ſicut mala uoluntas inordinata propter peccatum dici ſolet peccatum. Ad hoc tertio loco nos docet reſpondere Magiſter dùm inquit: uoluntatem minimè dici malam, ſiue peccatum, inquantum quędam naturalis potentia eſt, at ſolum inquãtum per actum deordinatur ſuum. Poſt reſponſionem alterum quarto venit addendum loco quęſitũ. Quęritur enim, cur cętera vires, vt potè ratio, memoria, & ingenium peccata non dicantur, ſicut mala uoluntas peccatum appellatur, cum & ipſa quandoq; in actibus ſuis, ſicut uoluntas, deordinentur? ad hoc dicendum, & reſpondendum eſt quinto loco, talem deordinationem non eſſe in voluntate, ſed bene in actibus eius, qualiter non eſt in actibus aliarum potentiarum. Hinc ſexto venit ponenda loco talis concluſio. Nullus aliarum virium actus, niſi actus uoluntatis, malus iudicari debet, licet homo ipſis quandoq;, vt contingit, abutatur. Ad quam probandam, quia via dubitandi maximè idonea eſt ad veritatem indagandam, propterea ſeptimo dubitatur loco, cur nõ ita bene fiat huiuſmodi actuum deordinatio in actibus aliarum potentiarum, ſicut in actibus uoluntatis? ad hoc dici debet loco octauo: hoc ideo euenire, quia eiuſdem generis cum actibus uoluntatis non ſunt, nec ordinantur ad aliquid concupiſcendum adipiſcendum, vel non admittendum, ſicut uoluntatis actus. Nec propter hoc negandum eſt, quin aliarum potentiarum actibus vitioſe aliquando nõ ab vtatur homo.

homo. Poſt hęc, nono ponẽdã eſt talis ꝓpoſitio loco. Non videtur idem eſſe actus, quo uoluntas bonum eligit, & malum reſpicit. Ad quam dilucidandam Magiſter quęrit decimo. Vtrum eadem ſit voluntas, quã bonum naturaliter vult, & malo repugnat. Vbi ꝓ reſponſione duæ narrantur circa difficultatem hanc loco vndecimo opiniones: quarum prima, partem tuetur negatiuam, quòd non ſit eadẽ uoluntas, & huius ratio aſſignatur, quia vtrobiq; non dicitur eſſe uoluntatis idem motus. Nã vnus eſt naturalis, quo naturaliter vult bonum, & iſte competit homini à natura, ſeu à ſui cõditione. Alius verò, quo malo repugnat, dicitur uoluntarius, non purè naturalis, at homini competens, quatenus per gratiam à peccati ſeruitute eſt liberatus. Altera opinio tenet, qđ vtrobiq; ſit idem motus voluntatis, quo naturaliter homo vult bonum, & ex uitio vult malum, eo quia delectetur. Inquantum uerò vult bonum naturaliter bonus eſt. Inquantum vult malum malus eſt. Et hęc pro pręſenti, pauca ſufficiant.

NVM CVLPA IN VOLVNTATE PER PRIVS SIT, QVAM IN RATIONE.
Lectio CLIX.

QVia in ſpecie, erat ſermo in pręcedenti diſtinctione de culpa, atq; de malo, propterea, iuxta iſta hodierna die nobis duo examinanda occurrunt quęſita, & primo. Num culpa per prius dicatur habere eſſe in voluntate, aut in ratione. Inſuper, Num mala conſiderare malum ſit, ſicuti mala eligere malum

malum eſt. Quantum ad primum. Quibuſdam viſum eſt, q̃d per prius culpa in ratione ponenda ſit, quia electionis defectus preſupponit primo aliquem rationis defectum: ergo. Culpa per prius in ratione, quam in uoluntate. Inſuper, in intellectu ut falſum eſt ratione fantaſiæ, ita malum in uoluntate propter rationis defectum, culpa ergo per prius in ratione conſiſtere videtur, quam in uoluntate. Ex alio latere, in illo culpa ponenda venit, in quo per prius voluntarium inuenitur, at in actu uoluntatis, prius uoluntarium inuenitur peccatum, quam in actibus aliarum potentiarum, qui ſolum per participationẽ uoluntarij dicuntur, uoluntarius uerò per eſſentiam: ergo. Pro determinatione huius quęſiti eſt primo ſciendum, q̃d culpa eſt illud, quo homo fit inimicus Deo, quæ multiplex eſt, vt aliàs dixi. Inſuper, notandum quia hic mentio facta eſt, de defectu, quod datur duplex defectus: vnus eſt rationis practicæ, in iudicando: alter eſt uoluntatis in eligendo. Qui duo defectus ſunt duæ culpæ, ſicut ſunt duo actus, cum diſcrimine tamen, quia defectus rationis practicæ in iudicando, licet dicatur peccatum quoddam, cum ſit carentia debitæ rectitudinis in operatione: nihilominus ſecundum ſe, magis videtur habere rationem peccati naturæ, quam culpæ in moribus, vt nos in propoſito hic loquimur. Et quando ratio mala denominatur in moribus, erronea, & culpabilis, hoc ſolum fit extrinſecè. At voluntas mala intrinſecè à defectu, qui eſt in electione. Quo modo culpa per prius in voluntate, quam in ratione. Nunc ad argumentum primum, ita dicendum, quod quamuis defectus electionis ſupponat defectum rationis in regulando, ob id minimè neceſſe eſt, in illo primo naturam culpæ

inueniri

inueniri moraliter, at in illo actu eſt primo culpa moralis, q̃ liberè tendit ad proſecutionem mali, in uoluntate ergo. Ad ſecundū argumentum de falſitate, reſpectu fantaſiæ, qua falſum in intellectu inuenitur, de facili reſpondetur, quod falſitas fantaſiæ attribuitur, non quia non ſit in intellectu, ſed quia ex ipſa interdum cauſari dicitur, & eodem modo, ex pręcedente rationis defectu, ſequitur culpa uoluntatis, licet rationis defectus ſecundum ſe, moraliter nō ſit culpa, ſed ex ipſo culpa cauſatur. Hinc denominatione extrinſeca, culpa vocatur. Explanata prima quęſtione, accedit altera, dùm quęritur. Num mala cōtemplari ſit malum, vti eligere mala, malum? quibuſdam videtur, quod ſic. Nam ratio mali varius dicitur habere eſſe in intellectu, malum conſiderante, quam in uoluntate eligente: ergo. Aſſumptum patet, quoniam intellectus intelligendo recipit. At uoluntas nō: quare, &c. Ex alio latere, ſi mala conſiderare malum eſſet, procul dubio impoſſibile homini foret, malum euitare, quia tunc conſiderando incurreret, at hoc eſt inconueniens: igitur, & illud ex quo ſequitur. Pro reſponſione eſt ſciendum, quod hic intentio noſtra non eſt de oī malo, ſcilicet naturæ, vel pęnæ, at de malo culpæ. Inſuper, q̃d malum dupliciter accipi poteſt, vno modo formaliter, alio modo in ſpecie, & communiter. Primo modo, quęſtio hic intelligitur, non ſecundo modo. Nunc ad inſtantiam de facili reſpondetur, quando enim dicebatur, quod mali ratio verius habet eſſe, in intellectu conſiderante malum, quā in uoluntate, in ſpecie hoc verum, at ſecundum ſe, & formaliter falſum, quo modo, malum habet eſſe in voluntate. Ratio ergo mali eſt id quo malum intelligitur, ſed non id, in quo, vt in uoluntate,

quam illud, q̄d non opponitur. At malum culpæ opponitur diuinæ voluntati, malum pęnæ minimè: eſt itaq; grauius malum culpæ ipſa pęna. Et hęc de primo puncto. In altero principaliter conſideranda eſt inclinatio. Nam homo facilius inclinatur ad malum, quam ad bonum, quod rationibus octo probatur. Prima eſt, quia facilius eſt deſcendere, quã aſcendere, at malum facit deſcendere, bonum verò aſcendere: ergo. Inſuper plures circunſtantiæ ad bonum, quam ad malum requiruntur, ad q̄d vna ſola ſufficit tantùm. Tertio, quia incitans ad malum, pręſens eſt, at virtutis finis eſt abſens. Quarto, quia tendimus ad noſtrum principium ſcilicet ad nihil. Quinto, quia fomes, qui malum eſt, mouet, & ſemper intra nos eſt. Sexto quia vires animæ ſunt actiuæ ad peccandum, vel eligendum. Septimo, quia malum per nos poſſumus facere, at non bonũ ſine gratia adiuuante. Octauo, quia corpus, q̄d corrumpitur aggrauat animam trahens eam ad malum, & non ſic erigens ad bonum; facilius ergo homo inclinatur ad malum, quam ad bonum, vt in hoc puncto ſecundo eſt declaratũ. Nunc tertio conſideranda venit loco mali permiſſio. Deus enim mala fieri pręcipuè rationibus quatuor permittit. Prima eſt, ad oſtenſionem ſuæ diuinæ potentiæ bonum ex malo eliciendo, ſecũdo ad oſtenſionem ſuæ ſapientiæ. Nam pulchritudo Dei ſapientiam oſtendit, at talis pulchritudo nõ ſolum ex bonis, ſed ẽt ex malis contrarijs apparet, vt dicit Iſidorus in lib. de ſummo bono: ergo. Tertio, mala fieri Deus permittit ad ſuæ clementiæ oſtenſionem, nam mali ſunt ad exercitium bonorũ, q̄d ergo boni exercitentur, & iuſti, benignitatis Dei eſt. Quarto, mala fieri permittit Deus ad ſuæ iuſtitiæ oſtenſionem, vt ſcilicet,

nullũ malum ſit impunitum. Vnde D. Aug. in lib. de natura boni, ſic ait: melius ordinatur natura, vt iuſtè doleat in ſupplicio, quam impunè gaudeat in peccato. Quarto, conſideranda venit mali, vel malorum ordinatio. Nam bonum directè per ſe ordinatur in bonum, vt ad cauſam finalem. Secundo ad bonum, in quo eſt, vt ad cauſam materialem; tertio, ad bonum, ſecundum qđ eſt, tanquam ad cauſam formalem; quarto ordinatur ad bonum, à quo eſt, vt ad cauſam efficientẽ: malum verò ordinabile eſt in bonum indirectè, & ꝑ accidens. Primo ratione eius, in quo eſt, q̃a malum ſemper eſt in bono, ſicut oſtẽdit Aug. in Enchir. & in lib. de natura boni, q̃a natura, in qua eſt malũ, ſemꝑ eſt bona. Inſuper ratione eius, cõtra qđ eſt, ſcilicet ratione boni cõtrapoſiti. Tertiò ratione boni, qđ ex ipſo elicitur. Vnde Aug. Deus nunquã permitteret mala fieri, niſi ex ipſis eliceretur bonũ. Poſt hęc quinto loco mali, vel malorum cõſideranda eſt cooperatio, vbi notandum, vnum alteri cooperari in bonũ tribus modis accipi. Vt directius, vt velocius, vt feruentius. Primo vt directius, q̃a ꝑ ſe ordinatum eſt in bonum, vt gratia, vt virtus, & huiuſmodi ꝑ ſe ordinantur in bonum: ſecundo dicitur aliqđ alteri in bonũ cooperari, vt velocius, vel facilius, ſicut paupertas, vel infirmitas velocius faciunt moueri in bonũ. Tertio modo, vt feruẽtius, & ſic peccatũ. Nã ſicut frigus quãto uehementius recedit, tanto relinquitur calor feruentior, ſic peccatum recedens, inducit uehemẽtiam doloris, & maiorẽ ardorẽ ad melius operandũ. Vnde Apoſtolus ad Rom. viii. Diligentibus Deũ oĩa cooperantur in bonũ, quaſi dicat, malũ operãti, & perſeueranti, nõ cooperatur in bonum, ſcilicet eius, qui ab eo recedit. Et hęc de pollicitis ſatis.

DE

DE VOLVNTATE HOMINIS.
Lectio CLXI.

CVM *malum, de quo ſumus loquuti, habeat eſſe in uoluntate: iccirco tria principaliter circa hominis uoluntatem conſideranda erunt: bonitas primo, qua extollitur: qualitas, qua ſecũdo intenditur: integritas tertio, qua pficitur. Primo enim conſideranda venit bonitas, qua extollitur. Nam uoluntatis bonitas, vel pfectio, ex quatuor comẽdatur, ſcilicet ex fide, cauſa, loco, & tempore. Ex fide, vt primo operetur circa fidei domeſticos, quos propter extraneos non relinquat. Secundo ex cauſa, vt ſi in occaſionem calumniæ, vel captiuitatis ciciderit. Tertio ex loco, vt ſi ſit in carcere, vel pęnis, uel ſupplicijs, uel propter debitũ aliqđ excrucietur iuſtus. Quarto ex tẽpore ſcilicet afflictionis: ſi ẽtenim tempore periculi, quo ad mortem rapitur, plus apud te pecunia tua valeat, quam vita morituri, non eſt hoc leue peccatum. Vnde notandum uenit: libertatẽ uoluntatis, ſiue uoluntatẽ ipſam ex tribus inordinatam dici poſſe, ſcilicet ex dilectione, electione, impugnatione. Ex dilectione, quando minus bonum, ſcilicet temporale bonum: vt puta diuitias, honores: voluptates magis amat, quã maius bonum, ſcilicet Dei bonitatem, vel charitatem: diuinã legem, & rationis ordinẽ. Vnde Aug. in lib. confeſ. Minus domine te amat, qui aliquid tecum amat, quod ſupra te amat, vel propter te non amat. Secũdo eſt inordinata voluntas, & mala ex electione, puta cum aliquis eligit minus bonum, maiori bono contempto; tertio eſt inordinata uoluntas ex impugnatione, vel excluſione. V. g. quãdo*

valorem diuinæ gratiæ, & ſpem uitæ æternæ per inuidiam impugnat, & repellit abſq; freno, & ex certa tunc temporis malicia peccat. Nunc cõſideranda eſt qualitas voluntatis, qua intenditur. Nam bonitas, vel uoluntatis prauitas ex quatuor augetur: ex intentione appetitus primo, ex duratione affectus ſecundo, extenſione, vel multiplicatione actus tertio, ex euentus conditione quarto. Augetur ergo primo bonitas, vel malicia uoluntatis, vel operis ex intenſione appetitus, quando uoluntas intenſius, vel remiſſius in bonum, vel malum tendit. Secundo augetur bonitas, vel malicia uoluntatis ex duratione affectus, V.g. quanto diuturnior eſt in bono, vel in malo. Nam tunc melior, uel deterior dicitur. Tertio extenſione, uel additione actus, V.g. cum quis habet facultatem operãdi bonum, vult operari, & operatur. Quarto dicitur bonitas, uel prauitas, ſiue malicia uoluntatis augeri ex conditione euentus. Nã euentus ſequens addit ad bonitatem, uel maliciam uoluntatis. Vbi notandum, quod euentus ſequens, uel eſt præcogitatus, uel non: ſi præcogitatus, quod ex opere ſuo malum aliquod poſſet ſequi, nec propter hoc deſiſtit, hinc eius uoluntas magis inordinata apparet. Si verò euentus ſequens non eſt præcogitatus, aut ex noſtro actu, vel opere raro ſequitur, tunc talis euentus impræcogitatus, qui ex opere noſtro raro ſequitur, nihil bonitatis, uel maliciæ auget in uoluntate. Si verò talis euentus impræcogitatus frequenter ex opere noſtro contingeret, tunc bonitatem, uel maliciam uoluntatis, & operis augeret. Et hæc de duobus ſectis. In tertio cõſiderãda uenit integritas uoluntatis, qua perficitur: datur enim uoluntas duplex, ſcilicet ſemiplena, & plena. Illa dicitur uoluntas ſemiplena, quæ

eſt ſine actu exteriori: plena uerò illa, quæ elicit non ſolum actum interiorem, qui eſt velle, verum & actum exteriorem; preterea. Voluntas ſemiplena ſolet dici quandoq; ratione prauitatis, uel bonitatis, quando ſcilicet uoluntas, quantum in ipſa eſt, exiret in actum bonum, uel malum, ſi daretur facultas, ita quod ex parte voluntatis nihil deeſt, quin faceret, ſi poſſet. In ſequenti quędam notatu digna circa hęc non omittemus, at pro pręſenti, quæ dicta ſunt, ad ſufficientiam dicta ſint.

QVAEDAM CIRCA PRAEDICTA CONSIDERATIONE HIC DIGNA.

Lectio CLXII.

NE, vt mus ſuper farinam, prędeclarata leuiter pertranſire uideamur in animum induximus noſtrum tria in pręſenti noſtro ſermone rimari. Quorum primum dubium comprehendit. Alterum notanda duo. Tertium tres caſus. ſolet ergo quęri primò. Nũ, vbi non eſt faciendi facultas, tunc apud Deum uoluntas pro facto reputetur. Quibuſdam viſum eſt, quod ſic, & primo, quia ſuper illud Pſal. Tu remiſiſti impietatẽ peccati mei, gloſa ſic dicit: votũ, ideſt deſiderium, uel intentio reputatur, vel iudicatur pro facto. Secunda, quia ſuper illud Pſal. Manus ueſtræ concinnant. Gloſa ſic: quicquid uis, & non potes dominus factum cõputat. Tertio, quia ſuper illud Pſal. In mandatis tuis uolet nimis, Gloſa ſic dicit: ſufficit uelle, ſi perficiendi mandata deſit facultas. Et hęc de primo puncto. In altero ad maiorem pręd ictorũ

euidentiam hic duo notanda, ſcilicet exemplum, & intellectum. Notetis igitur primo intellectum authoritatis, ſcilicet uoluntas reputatur, & iudicatur pro facto. Poteſt enim hoc uerbum quatuor modis intelligi, & primo in his, quæ ſunt oĩno ab homine, non aũt in his, quæ ſunt ab alio, ſicut eſt de baptiſmo. Hęc D. Thomas. Secundo hoc uerbum videtur debere intelligi, quod voluntas reputetur pro facto, quantum ad pręmium eſſentiale, non aũt quantum ad accidentale. Tertio habet intelligi apud Deum, non apud mundum, quod uoluntas pro facto reputetur. Quicquid ergo vis, & non pates, factum velim reputes apud Deum. Quarto modo exponitur, qđ aliter ſe habet in peccatis ſpiritualibus, & aliter in peccatis corporalibus. Nam in peccatis ſpiritualibus voluntas pro facto reputatur, & ratio eſt, quia uoluntas in peccatis ſpiritualibus ſufficiens eſt, ad ſui actum interiorem, qui eſt uelle. Vnde uoluntas ſuperbiendi pro ſuperbia reputatur, & ſic de alijs. At in peccatis corporalibus non ſic uoluntas ꝓ facto reputatur, quia in his uoluntas nõ eſt ſufficiens ad ſuum actum oĩno. Et hęc de duobus punctis. In tertio pro maiori declaratione prędictæ authoritatis, tres caſus notandi ſunt. Quorum primus eſt. Dantur duo, quorum vnus vult bonum, & tamen non facit illud, ꝗa ſibi facultas deeſt, alius uerò vult, & facit, quia poteſt: horum quis apud Deum plus meretur? ad hoc dici poteſt, quod ſi pares ſunt in charitate, ęquale pręmium eſſentiale habeãt, nõ ęquale pręmium accidentale; huius exemplum eſto. Eſt habens quis uoluntatem dandi eleemoſynam, & nõ dat, quia facultatem non habet, meretur nihilominus tantùm reſpectu pręmij eſſentialis, quod Dei viſio eſt, & gaudium de Deo, quantum

tum ille, qui vult dare, & dat: ſuppoſito, quod in charitate ſint pares. Quantum verò ad accidentale premium, quod eſt gaudium de quocunq; bono creato, magis meretur ille, qui non ſolum vult dare, ſed ẽt dat, quam ille, qui ſolum vult dare, & non dat, quia iſte ſolum de voluntate gaudebit; quoniam ſcilicet dare voluit, nõ tamen de opere, q̃a non dedit. Similiter ẽt dici debet de demerito, tantũ enim demeretur ille, qui ſola voluntate peccat, & non actu. quantum qui peccat actu, & voluntate, & hoc per comparationẽ ad penam eſſentialem, quæ cõſiſtit in ſeparatione à Deo. At quantum ad penã accidentalem, quæ dolor eſt de quocunq; malo, tunc plus demeretur ille, qui actu, & voluntate peccat; quam ſola voluntate, habet enim dolorem de eo, quod malè voluit, nec id ſolum, verum ẽt de eo, quod male fecit. Secundus caſus talis eſt. Sunt duo quorum vnus vult ſubire martyrium, & tamen non ſuſtinet, quia opportunitas ſibi deeſt: alius verò vult ſubſtinere, & ſuſtinet, quis ergo illorum magis meretur? Reſpondetur, quod uolenti plenè, ſcilicet quantum in ſe eſt, facultate tamen, vel opportunitate deficiente, debetur laurea: uolenti aũt, & actum martyrij ſubeunti ſuperadditur laureola, ita vt quantũ ad lauream ſint equales in charitate, at quantum ad laureolam in equales. Tertius caſus eſt. Dantur duo homines, diues, & pauper. Diues dat magnam eleemosynam, pauper uerò paruam: quis iſtorum magis meretur? Reſpondeo, & dico, quod iſti, vel ſunt in charitate equales, vel inequales. Si primo modo, Diues magis dicitur mereri, quam pauper, qui dat paruam: nec hoc mirum, ualet enim eleemosyna magna ſpecialiter ad quatuor bona: primo ad maiorẽ habilitationẽ ab bonũ: ſecundo

ad ampliorē dimiſſionem pęnæ debitæ, vel iniunctæ: tertio ad celeriorem tranſitum, vel exitum de purgatorio: quarto ad maius pręmium accidentale: ideſt ad maius gaudium de maiori bono à ſe facto. Si verò non ſunt pares in charitate, ſed pauper cum maiori charitate, & dolore compaſſionis paruam dat eleemoſynam, tunc magis pauper meretur, quā Diues, qđ teſtimonio Saluatoris patet, pauperem viduam comendantis, & dicentis Lucæ xxi. Verè dico vobis, quod vidua hęc pluſquam oēs miſit. Quod verbum tribus exponitur modis: pluſquam oēs miſit, ideſt ex maiori affectu, vel pluſquam oēs, ſcilicet proportione miſit, vel plus miſit reſidui comparatione, quod ei remanſit. Primo exponitur ſic, pluſquam omnes miſit, ideſt ex maiori affectu. Vnde Chryſoſtomus ſuper hoc verbo ait: nō paucitatē oblati, ſed copiam affectus, intuitus eſt Deus. Secundo exponitur ſic: pluſquam oēs miſit, ſcilicet non quantitatis maioritate, ſed proportionis. Nam maius eſt pauperem dare parū, habito reſpectu ad paupertatem ſuam, quam diuitem dare multum. Tertio modo exponitur ſic: pluſquā oēs miſit, ſcilicet cōparatione reſidui, quod ei remanſit. Et hęc de pollicitis pro pręſenti ſatis.

DE BONO HIC LOQVENDVM.
Lectio CLXIII.

CIrca bonum uerſaturi, ne aliqua ſit apud noſtrum intellectum confuſio, hoc ordine ꝓcedemus: euidentiam primo boni conſiderantes: inſuper tres dubitationes: tertio notandum. Circa primū punctum, vt video, bonum tripliciter i ſumi poteſt:

poteſt: primo in communi, & abſolutè ſcilicet, vt bonum. Secundo in ſpeciali bonum eſſentiale, vt puta bonum increatum, quale Deus eſt. Tertio bonum naturale, vel accidentale, quale eſt bonũ creatum. Si ſumatur bonum, vt bonum, ſcilicet abſolutè, tunc dicendum erit, quod tribus cognoſci poſſit modis. Primo ſic: bonum eſt appetitus motiuum ſecundum philoſophum. Secundo modo deſcribitur ſic. Bonum eſt diffuſiuum ſui ipſius ſecundũ Dionyſium. Tertio, bonum ſecundum D. Thomam eſt virtutis, vel potentiæ perfectiuum. Primo modo bonum ſic deſcribitur, q̃d eſt appetitus motiuum. Vnde benè enunciauerunt dicentes: bonum eſſe, q̃d oĩa appetunt, & hęc de primo puncto. In altero tres ponuntur dubitationes: quarum prima ſic ſe habet. Multi deſiderant, & malum operantur, vt homicidæ, fornicarij, & huiuſmodi: non igitur oĩa appetunt bonũ, & agunt gratia boni. Inſuper, multi ſunt ſcientes, & contraria agentes his, quæ ſciunt, aut ergo ſcientia eorum eſt recta, aut operatio. At conſtat, q̃d eorum ſcientia recta eſt: igitur operantur contra illud, quod per ſcientiam ſciunt eſſe bonũ, & ita appetunt bonum, nec agunt aliquid boni. Ad primam rationem reſpondetur ſic, quod oẽs tales, & alij ſimiles, appetunt malum, non ſub ratione mali, ſed ſub ratione boni, inquantum opinantur illud eſſe bonum, & ſic optant bonum, & ſi non exiſtens, ſaltem eſt eis apparens. Vnde in ſuis operationibus dicuntur ab aliquo moueri, q̃d habet apparentiam, vel ſimilitudinem boni. Ad ſecundam rationem de agentibus contra ſcientiam paucis dico, ꝙ quamuis iſti ſciant ſecũdam ſcientiam rectam in vniuerſali, & in habitu illud, quod agunt, eſſe malum: neſciunt tamen in particulari, nec in actu

illud

cationem. Tertio per effuſionẽ, vt ex vno fonte plures riuuli ſolent prouenire. At bonum increatum, quale Deus eſt, ad oĩa alia entia ſe diffundit, ſine ſui tamen diuiſione, ſine ſui multiplicatione, atq; ſine ſui diffuſione, & ratio aſſignatur, quia diuina bonitas ſecundum ſuam eſſentiam manens vna, indiſtincta in ſe, in ſua ſimilitudine, ſcilicet in effectibus participantibus diuinam bonitatẽ. Vnde diuina bonitas tripliciter ſe cõmunicat, primo ꝓducendo diuerſa, nec ob id diuiditur, quia ipſe in ſua eſſentia ſuper ſubſtantialiter eſt ab oĩbus ſegregatus. Secundo producendo diuerſa, & ſucceſſiuè infinita, non minuitur, quia cum infinita ſit, ex communicatione bonorum infinitorum minorari non poteſt. Tertio diuina bonitas non multiplicatur, quia cum ſit idem, quod eſſentia ſua bonitas diuina: ſic eſt vna, quòd multiplicari nequeat. At dicetis poſt hęc, libenter ſciremus, nũ bonum ſit virtutis, vel potentiæ perfectiuũ. Inſuper, Num res dici poſſit. Tertio an ſubiectum. Ad primum dico, quod ſic. Nam tunc dicitur aliquid eſſe bonum, quod ſuam habet perfectionem: bonum ergo primo modo eſt perfectio rei. V. g. vt acumen viſus dicitur bonum oculi. Secundo ſumitur pro re ſuam perfectionem habente, ſicut oculus acutè videns, & homo virtute prędıtus. Tertio bonum dicitur ipſum ſubiectum, ſecundum quod eſt in potentia ad perfectionem, ſicut anima ad virtutem, & ſubſtantia oculi ad acumen viſus. Et hęc vobis ſufficiant pro pręſenti.

DE

DE BONO INCREATO HIC ERIT SERMO. Lectio CLXIIII.

POſt contemplationem de bono in genere, nunc differendũ erit de bono increato in ſpecie, quale Deus eſt, & quia tripliciter finiri poteſt, iccirco in partes tres principales diuidetur ſermo noſter. Quantum ad primam, Dionyſius de diuinis nominibus nobis boni increati naturam exprimere volens ita dicebat. Bonum increatum illud eſſe, in quo oĩa prȩexiſtũnt, ex quo de facili colligitur, habere rationem oĩa continentis. Hinc notandum venit, oẽm rem à Deo productam, nobilius eſſe habere in ipſo Deo, quã in ſe ipſa, qđ tribus ꝓbari modis poteſt. Ratione primo, ſimilitudine ſecundo, ſufficienti diuiſione tertio. Ratione ſic. Nobilius dicitur aliquid eſſe in aliquo, vt in radice cauſante, & ſuſtentante, quam in ramo creato, & ſuſtentato, at omnis res creata habet eſſe in Deo, vt in radice creante, &c. In ſe autem habet eſſe, vt in ramo producto, & ſuſtentato: igitur. Hoc idem noua ratione mihi ſuccurrente confirmo. Nam licet res nobilius eſſe habeat in ſe ipſa, quam in cauſa inſtrumentali, V. g. vt homo in ſe ipſo, quam in patre generante, vel in ſole, tamen res nobilius ſemper dicitur habere eſſe in cauſa principali, à qua totum eſſe rei dependet ſicut à Deo: ergo. Hic tamen ſciendum, qđ ſermo noſter eſt de eſſe nobiliori, non de eſſe veriori, quia licet res in Deo, nobilius habeant eſſe non tamen verius, quã in ſe ipſis, & extra ſuam cauſam. Inſuper ſimilitudine idem, quod prius, nunc probandum venit: effectus enim nobiliori modo inuenitur in cauſa ȩquiuoca,

quã vniuoca: ſicut calor excellentiori modo in ſole, quã in igne, ſic oĩa bona, quæ in creaturis reperiuntur, excellentiori modo ſunt in Deo, quam in ſe ipſis. Tertio confirmari habet hoc diuiſione, nobilius enim eſt eſſe ſpirituale, ęternale, & diuinum, quam eſſe materiale, temporale, & humanum. At cuiuſlibet eſſe rei creatæ in Deo ęternale eſt eſſe ſpirituale, & diuinum, q̃a creatura in Deo Deus eſt, in ſe aũt habet eſſe materiale, & temporale, & humanum: ergo. Et hęc de primo puncto. Alterum ſubſequitur, vbi aliter bonum increatum, quã prius, ſic deſcribitur. Bonum increatum eſt ex quo oĩa ſubſiſtunt, & ex hoc habet rationem efficientis, & conſeruantis. An hoc verum, quid dicat primo Greg. audite: oĩa enim nec ad momentum ſubſiſtere poſſent, ſed in nihilum tenderent: niſi operatione diuinæ virtutis ineſſe conſeruarentur. Et Aug. iiii. ſuper Gen. ad literã, ſic ait; virtus Dei ab eis, quæ creata ſunt regendis, ſi aliquando ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies, omniſq; natura cõcideret. Inſuper, vt aer ſtatim pręſente lumine fit lucidus: ſic homo, Deo pręſente illuminatur. Et hęc de punctis duobus. Relinquitur tertium in ordine, vbi bonum increatum ſic deſcribitur, dũm dicitur, q᷑ illud eſt, quod oĩa appetunt, vel concupiſcunt, & ex hoc dicitur, & cognoſcitur habere rationem cauſæ finalis, vel vltimi finis. Num uerò oĩa deſiderent Deũ ſuo modo, nulli hoc dubium. Nam primo deſiderant Deũ vt principium, quo creãtur: eſt enim Deus oĩa in oĩbus per cauſalitatem, inquantum eſt oẽs perfectiones Deus cauſaliter. Licet enim quęlibet res creata ſit bona ſe ipſa formaliter, non tamen eſt bona cauſaliter, exemplariter, & ſe ipſa finaliter. Nam licet quęlibet res

creata,

nullũ malum ſit impunitum. Vnde D. Aug. in lib. de natura boni, ſic ait: melius ordinatur natura, vt iuſtè doleat in ſupplicio, quam impunè gaudeat in peccato. Quarto, conſideranda venit mali, vel malorum ordinatio. Nam bonum directè per ſe ordinatur in bonum, vt ad cauſam finalem. Secundo ad bonum, in quo eſt, vt ad cauſam materialem; tertio, ad bonum, ſecundum qđ eſt, tanquam ad cauſam formalem; quarto ordinatur ad bonum, à quo eſt, vt ad cauſam efficientē: malum verò ordinabile eſt in bonum indirectè, & p accidens. Primo ratione eius, in quo eſt, q̄a malum ſemper eſt in bono, ſicut oſtēdit Aug. in Enchir. & in lib. de natura boni, q̄a natura, in qua eſt malũ, ſem p eſt bona. Inſuper ratione eius, cõtra qđ eſt, ſcilicet ratione boni cõtrapoſiti. Tertiò ratione boni, qđ ex ipſo elicitur. Vnde Aug. Deus nunquã permitteret mala fieri, niſi ex ipſis eliceretur bonũ. Poſt hęc quinto loco mali, vel malorum cõſideranda eſt cooperatio, vbi notandum, vnum alteri cooperari in bonũ tribus modis accipi. Vt directius, vt velocius, vt feruentius. Primo vt directius, q̄a p ſe ordinatum eſt in bonum, vt gratia, vt virtus, & huiuſmodi p ſe ordinantur in bonum: ſecundo dicitur aliqđ alteri in bonũ cooperari, vt velocius, vel facilius, ſicut paupertas, vel infirmitas velocius faciunt moueri in bonũ. Tertio modo, vt feruētius, & ſic peccatũ. Nã ſicut frigus quãto uehementius recedit, tanto relinquitur calor feruentior, ſic peccatum recedens, inducit uehemētiam doloris, & maiorē ardorē ad melius operandũ. Vnde Apoſtolus ad Rom. viii. Diligentibus Deũ oĩa cooperantur in bonũ, quaſi dicat, malũ operãti, & perſeueranti, nõ cooperatur in bonum, ſcilicet eius, qui ab eo recedit. Et hęc de pollicitis ſatis.

DE

DE VOLVNTATE HOMINIS.
Lectio CLXI.

CVM malum, de quo ſumus loquuti, habeat eſſe in uoluntate: iccirco tria principaliter circa hominis uoluntatem conſideranda erunt: bonitas primo, qua extollitur: qualitas, qua ſecūdo intenditur: integritas tertio, qua ꝑficitur. Primo enim conſideranda venit bonitas, qua extollitur. Nam uoluntatis bonitas, vel ꝑfectio, ex quatuor comēdatur, ſcilicet ex fide, cauſa, loco, & tempore. Ex fide, vt primo operetur circa fidei domeſticos, quos propter extraneos non relinquat. Secundo ex cauſa, vt ſi in occaſionem calumniæ, vel captiuitatis ceciderit. Tertio ex loco, vt ſi ſit in carcere, vel pœnis, uel ſupplicijs, uel propter debitū aliqđ excrucietur iuſtus. Quarto ex tēpore ſcilicet afflictionis: ſi ētenim tempore periculi, quo ad mortem rapitur, plus apud te pecunia tua valeat, quam vita morituri, non eſt hoc leue peccatum. Vnde notandum uenit: libertatē uoluntatis, ſiue uoluntatē ipſam ex tribus inordinatam dici poſſe, ſcilicet ex dilectione, electione, impugnatione. Ex dilectione, quando minus bonum, ſcilicet temporale bonum: vt puta diuitias, honores: voluptates magis amat, quā maius bonum, ſcilicet Dei bonitatem, vel charitatem: diuinā legem, & rationis ordinē. Vnde Aug. in lib. confeſ. Minus domine te amat, qui aliquid tecum amat, quod ſupra te amat, vel propter te non amat. Secūdo eſt inordinata voluntas, & mala ex electione, puta cum aliquis eligit minus bonum, maiori bono contempto; tertio eſt inordinata uoluntas ex impugnatione, vel excluſione. V. g. quādo

valorem diuinæ gratiæ, & ſpem uitæ ęternæ per inuidiam impugnat, & repellit abſq; freno, & ex certa tunc temporis malicia peccat. Nunc cōſideranda eſt qualitas voluntatis, qua intenditur. Nam bonitas, vel uoluntatis prauitas ex quatuor augetur: ex intentione appetitus primo, ex duratione affectus ſecundo, extenſione, vel multiplicatione actus tertio, ex euentus conditione quarto. Augetur ergo primo bonitas, vel malicia uoluntatis, vel operis ex intenſione appetitus, quando uoluntas intenſius, vel remiſſius in bonum, vel malum tendit. Secundo augetur bonitas, vel malicia uoluntatis ex duratione affectus, V. g. quanto diuturnior eſt in bono, vel in malo. Nam tunc melior, uel deterior dicitur. Tertio extenſione, uel additione actus, V. g. cum quis habet facultatem operādi bonum, vult operari, & operatur. Quarto dicitur bonitas, uel prauitas, ſiue malicia uoluntatis augeri ex conditione euentus. Nā euentus ſequens addit ad bonitatem, uel maliciam uoluntatis. Vbi notandum, quod euentus ſequens, uel eſt pręcogitatus, uel non: ſi pręcogitatus, quod ex opere ſuo malum aliquod poſſet ſequi, nec propter hoc deſiſtit, hinc eius uoluntas magis inordinata apparet. Si verò euentus ſequens non eſt pręcogitatus, aut ex noſtro actu, vel opere raro ſequitur, tunc talis euentus impræcogitatus, qui ex opere noſtro raro ſequitur, nihil bonitatis, uel maliciæ auget in uoluntate. Si verò talis euentus impręcogitatus frequenter ex opere noſtro contingeret, tunc bonitatem, uel maliciam uoluntatis, & operis augeret. Et hęc de duobus ſectis. In tertio cōſiderāda uenit integritas uoluntatis, qua perficitur: datur enim uoluntas duplex, ſcilicet ſemiplena, & plena. Illa dicitur uoluntas ſemiplena, quæ

eſt ſine

eſt ſine actu exteriori: plena uerò illa, quæ elicit non ſolum actum interiorem, qui eſt velle, verum ẽt actum exteriorem; prꝭterea voluntas ſemiplena ſolet dici quandoq; ratione prauitatis, uel bonitatis, quando ſcilicet uoluntas, quantum in ipſa eſt, exiret in actum bonum, uel malum, ſi daretur facultas, ita quod ex parte voluntatis nihil deeſt, quin faceret, ſi poſſet. In ſequenti quꝭdam notatu digna circa hꝭc non omittemus, at pro prꝭſenti, quæ dicta ſunt, ad ſufficientiam dicta ſint.

QVAEDAM CIRCA PRAEDICTA CONSIDERATIONE HIC DIGNA.

Lectio CLXII.

NE, vt mus ſuper farinam, prꝭdeclarata leuiter pertranſire uideamur in animum induximus noſtrum tria in prꝭſenti noſtro ſermone rimari. Quorum primum dubium comprehendit. Alterum notanda duo. Tertium tres caſus. ſolet ergo quꝭri primò. Nũ, vbi non eſt faciendi facultas, tunc apud Deum uoluntas pro facto reputetur. Quibuſdam viſum eſt, quod ſic, & primo, quia ſuper illud Pſal. Tu remiſiſti impietatẽ peccati mei, gloſa ſic dicit: votũ, ideſt deſiderium, uel intentio reputatur, vel iudicatur pro facto. Secunda, quia ſuper illud Pſal. Manus ueſtræ concinnant. Gloſa ſic: quicquid uis, & non potes dominus factum cõputat. Tertio, quia ſuper illud Pſal. In mandatis tuis uolet nimis, Gloſa ſic dicit: ſufficit uelle, ſi perficiendi mandata deſit facultas. Et hꝭc de primo puncto. In altero ad maiorem prꝭdictorũ

euidentiam hic duo notanda, ſcilicet exemplum, & intellectum. Notetis igitur primo intellectum authoritatis, ſcilicet uoluntas reputatur, & iudicatur pro facto. Poteſt enim hoc uerbum quatuor modis intelligi, & primo in his, quæ ſunt oĩno ab homine, non aũt in his, quæ ſunt ab alio, ſicut eſt de baptiſmo. Hęc D. Thomas. Secundo hoc uerbum videtur debere intelligi, quod voluntas reputetur pro facto, quantum ad pręmium eſſentiale, non aũt quantum ad accidentale. Tertio habet intelligi apud Deum, non apud mundum, quod uoluntas pro facto reputetur. Quicquid ergo vis, & non pates, factum velim reputes apud Deum. Quarto modo exponitur, qđ aliter ſe habet in peccatis ſpiritualibus, & aliter in peccatis corporalibus. Nam in peccatis ſpiritualibus voluntas pro facto reputatur, & ratio eſt, quia uoluntas in peccatis ſpiritualibus ſufficiens eſt, ad ſui actum interiorem, qui eſt uelle. Unde uoluntas ſuperbiendi pro ſuperbia reputatur, & ſic de alijs. At in peccatis corporalibus non ſic uoluntas ꝓ facto reputatur, quia in his uoluntas nõ eſt ſufficiens ad ſuum actum oĩno. Et hęc de duobus punctis. In tertio pro maiori declaratione prędictæ authoritatis, tres caſus notandi ſunt. Quorum primus eſt. Dantur duo, quorum vnus vult bonum, & tamen non facit illud, ꝗa ſibi facultas deeſt, alius uerò vult, & facit, quia poteſt: horum quis apud Deum plus meretur? ad hoc dici poteſt, quod ſi pares ſunt in charitate, ęquale pręmium eſſentiale habeãt, nõ ęquale pręmium accidentale; huius exemplum eſto. Eſt habens quis uoluntatem dandi eleemosynam, & nõ dat, quia facultatem non habet, meretur nihilominus tantùm reſpectu pręmij eſſentialis, quod Dei viſio eſt, & gaudium de Deo, quan-

tum

tum ille, qui vult dare, & dat: ſuppoſito, quod in charitate ſint pares. Quantum verò ad accidentale pręmium, quod eſt gaudium de quocunq; bono creato, magis meretur ille, qui non ſolum vult dare, ſed ēt dat, quàm ille, qui ſolum vult dare, & non dat, quia iſte ſolum de voluntate gaudebit, quoniam ſcilicet dare voluit, nō tamen de opere, q̄ a non dedit. Similiter ēt dici debet de demerito, tantū enim demeretur ille, qui ſola voluntate peccat, & non actu. quantum qui peccat actu, & voluntate, & hoc per comparationē ad pęnam eſſentialem, quæ cōſiſtit in ſeparatione à Deo. At quantum ad pęnā accidentalem, quæ dolor eſt de quocunq; malo, tunc plus demeretur ille, qui actu, & voluntate peccat, quam ſola voluntate, habet enim dolorem de eo, quod malè voluit, nec id ſolum, verum ēt de eo, quod male fecit. Secundus caſus talis eſt. Sunt duo quorum vnus vult ſubire martyrium, & tamen non ſuſtinet, quia opportunitas ſibi deeſt: alius verò vult ſubſtinere, & ſuſtinet, quis ergo illorum magis meretur? Reſpondetur, quod uolenti plenè, ſcilicet quantum in ſe eſt, facultate tamen, vel opportunitate deficiente, debetur laurea: uolenti aūt, & actum martyrij ſubeunti ſuperadditur laureola, ita vt quantū ad lauream ſint ęquales in charitate, at quantum ad laureolam inęquales. Tertius caſus eſt. Dantur duo homines, diues, & pauper. Diues dat magnam eleemoſynam, pauper uerò paruam: quis iſtorum magis meretur? Reſpondeo, & dico, quod iſti, vel ſunt in charitate ęquales, vel inęquales. Si primo modo, Diues magis dicitur mereri, quam pauper, qui dat paruam: nec hoc mirum, ualet enim eleemoſyna magna ſpecialiter ad quatuor bona: primo ad maiorē habilitationē ab bonū: ſecundo

ad ampliorē dimiſſionem pœnæ debitæ, vel iniunctæ: tertio ad celeriorem tranſitum, vel exitum de purgatorio: quarto ad maius præmium accidentale: idest ad maius gaudium de maiori bono à ſe facto. Si verò non ſunt pares in charitate, ſed pauper cum maiori charitate, & dolore compaſſionis paruam dat eleemoſynam, tunc magis pauper meretur, quā Diues, q̄d teſtimonio Saluatoris patet, pauperem viduam comendantis, & dicentis Lucæ xxi. Verè dico vobis, quod vidua hęc pluſquam oēs miſit. Quod verbum tribus exponitur modis: pluſquam oēs miſit, ideſt ex maiori affectu, vel pluſquam oēs, ſcilicet proportione miſit, vel plus miſit reſidui comparatione, quod ei remanſit. Primo exponitur ſic, pluſquam omnes miſit, ideſt ex maiori affectu. Vnde Chryſoſtomus ſuper hoc verbo ait: nō paucitatē oblati, ſed copiam affectus, intuitus eſt Deus. Secundo exponitur ſic: pluſquam oēs miſit, ſcilicet non quantitatis maioritate, ſed proportionis. Nam maius eſt pauperem dare parū, habito reſpectu ad paupertatem ſuam, quam diuitem dare multum. Tertio modo exponitur ſic: pluſquā oēs miſit, ſcilicet cōparatione reſidui, quod ei remanſit. Et hęc de pollicitis pro præſenti ſatis.

DE BONO HIC LOQVENDVM.
Lectio CLXIII.

CIrca bonum uerſaturi, ne aliqua ſit apud noſtrum intellectum confuſio, hoc ordine ꝓcedemus: euidentiam primo boni conſiderantes: inſuper tres dubitationes: tertio notandum. Circa primū punctum, vt video, bonum tripliciter i ſumi poteſt:

poteſt: primo in communi, & abſolutè ſcilicet, vt bonum. Secundo in ſpeciali bonum eſſentiale, vt puta bonum increatum, quale Deus eſt. Tertio bonum naturale, vel accidentale, quale eſt bonũ creatum. Si ſumatur bonum, vt bonum, ſcilicet abſolutè, tunc dicendum erit, quod tribus cognoſci poſſit modis. Primo ſic: bonum eſt appetitus motiuum ſecundum philoſophum. Secundo modo deſcribitur ſic. Bonum eſt diffuſiuum ſui ipſius ſecundũ Dionyſium. Tertio, bonum ſecundum D. Thomam eſt virtutis, vel potentiæ perfectiuum. Primo modo bonum ſic deſcribitur, qđ eſt appetitus motiuum. Vnde benè enunciauerunt dicentes: bonum eſſe, qđ oĩa appetunt, & hęc de primo puncto. In altero tres ponuntur dubitationes: quarum prima ſic ſe habet. Multi deſiderant, & malum operantur, vt homicidæ, fornicarij, & huiuſmodi: non igitur oĩa appetunt bonũ, & agunt gratia boni. Inſuper, multi ſunt ſcientes, & contraria agentes his, quæ ſciunt, aut ergo ſcientia eorum eſt recta, aut operatio. At conſtat, qđ eorum ſcientia recta eſt: igitur operantur contra illud, quod per ſcientiam ſciunt eſſe bonũ, & ita appetunt bonum, nec agunt aliquid boni. Ad primam rationem reſpondetur ſic, quod oẽs tales, & alij ſimiles, appetunt malum, non ſub ratione mali, ſed ſub ratione boni, inquantum opinantur illud eſſe bonum, & ſic optant bonum, & ſi non exiſtens, ſaltem eſt eis apparens. Vnde in ſuis operationibus dicuntur ab aliquo moueri, qđ habet apparentiam, vel ſimilitudinem boni. Ad ſecundam rationem de agentibus contra ſcientiam paucis dico, ꝙ quamuis iſti ſciant ſecũdum ſcientiam rectam in vniuerſali, & in habitu illud, quod agunt, eſſe malum: neſciunt tamen in particulari, nec in actu

illud

catiõnem. Tertio per effuſionẽ, vt ex vno fonte plures riuuli ſolent prouenire. At bonum increatum, quale Deus eſt, ad oĩa alia entia ſe diffundit, ſine ſui tamen diuiſione, ſine ſui multiplicatione, atq; ſine ſui diffuſione, & ratio aſſignatur, quia diuina bonitas ſecundum ſuam eſſentiam manens vna, indiſtincta in ſe, in ſua ſimilitudine, ſcilicet in effectibus participantibus diuinam bonitatẽ. Vnde diuina bonitas tripliciter ſe cõmunicat, primo ꝓducendo diuerſa, nec ob id diuiditur, quia ipſe in ſua eſſentia ſuper ſubſtantialiter eſt ab oĩbus ſegregatus. Secundo producendo diuerſa, & ſucceſſiuè infinita, non minuitur, quia cum infinita ſit, ex communicatione bonorum infinitorum minorari non poteſt. Tertio diuina bonitas non multiplicatur, quia cum ſit idem, quod eſſentia ſua bonitas diuina: ſic eſt vna, quod multiplicari nequeat. At dicetis poſt hęc, libenter ſciremus, nũ bonum ſit virtutis, vel potentiæ perfectiuũ. Inſuper, Num res dici poſſit. Tertio an ſubiectum. Ad primum dico, quod ſic. Nam tunc dicitur aliquid eſſe bonum, quod ſuam habet perfectionem: bonum ergo primo modo eſt perfectio rei. V. g. vt acumen viſus dicitur bonum oculi. Secundo ſumitur pro re ſuam perfectionem habente, ſicut oculus acutè videns, & homo virtute prędìtus. Tertio bonum dicitur ipſum ſubiectum, ſecundum quod eſt in potentia ad perfectionem, ſicut anima ad virtutem, & ſubſtantia oculi ad acumen viſus. Et hęc vobis ſufficiant pro pręſenti.

DE

DE BONO INCREATO HIC ERIT SERMO. Lectio CLXIIII.

POſt contemplationem de bono in genere, nunc differendũ erit de bono increato in ſpecie, quale Deus eſt, & quia tripliciter finiri poteſt, iccirco in partes tres principales diuidetur ſermo noſter. Quantum ad primam, Dionyſius de diuinis nominibus nobis boni increati naturam exprimere volens ita dicebat. Bonum increatum illud eſſe, in quo oĩa preexiſtũt, ex quo de facili colligitur, habere rationem oĩa continentis. Hinc notandum venit, oẽm rem à Deo productam, nobilius eſſe habere in ipſo Deo, quã in ſe ipſa, qđ tribus ꝓbari modis poteſt. Ratione primo, ſimilitudine ſecundo, ſufficienti diuiſione tertio. Ratione ſic. Nobilius dicitur aliquid eſſe in aliquo, vt in radice cauſante, & ſuſtentante, quam in ramo creato, & ſuſtentato, at omnis res creata habet eſſe in Deo, vt in radice creante, &c. In ſe autem habet eſſe, vt in ramo producto, & ſuſtentato: igitur. Hoc idem noua ratione mihi ſuccurrente confirmo. Nam licet res nobilius eſſe habeat in ſe ipſa, quam in cauſa inſtrumentali, V. g. vt homo in ſe ipſo, quam in patre generante, vel in ſole, tamen res nobilius ſemper dicitur habere eſſe in cauſa principali, à qua totum eſſe rei dependet ſicut à Deo: ergo. Hic tamen ſciendum, qđ ſermo noſter eſt de eſſe nobiliori, non de eſſe veriori, quia licet res in Deo, nobilius habeant eſſe non tamen verius, quã in ſe ipſis, & extra ſuam cauſam. Inſuper ſimilitudine idem, quod prius, nunc probandum venit: effectus enim nobiliori modo inuenitur in cauſa ęquiuoca,

quã vniuoca: ſicut calor excellentiori modo in ſole, quã in igne, ſic oĩa bona, quæ in creaturis reperiuntur, excellentiori modo ſunt in Deo, quam in ſe ipſis. Tertio confirmari habet hoc diuiſione, nobilius enim eſt eſſe ſpirituale, ęternale, & diuinum, quam eſſe materiale, temporale, & humanum. At cuiuſlibet eſſe rei creatæ in Deo ęternale eſt eſſe ſpirituale, & diuinum, ꝗ a creatura in Deo Deus eſt, in ſe aũt habet eſſe materiale, & temporale, & humanum: ergo. Et hęc de primo puncto. Alterum ſubſequitur, vbi aliter bonum increatum, quã prius, ſic deſcribitur. Bonum increatum eſt ex quo oĩa ſubſiſtunt, & ex hoc habet rationem efficientis, & conſeruantis. An hoc verum, quid dicat primo Greg. audite: oĩa enim nec ad momentum ſubſiſtere poſſent, ſed in nihilum tenderent: niſi operatione diuinæ virtutis in eſſe conſeruarentur. Et Aug. iiii. ſuper Gen. ad literã, ſic ait; virtus Dei ab eis, quæ creata ſunt regendis, ſi aliquando ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies, omniſq; natura cõcideret. Inſuper, vt aer ſtatim pręſente lumine fit lucidus: ſic homo, Deo pręſente illuminatur. Et hęc de punctis duobus. Relinquitur tertium in ordine, vbi bonum increatum ſic deſcribitur, dùm dicitur, q̄d illud eſt, quod oĩa appetunt, vel concupiſcunt, & ex hoc dicitur, & cognoſcitur habere rationem cauſæ finalis, vel vltimi finis. Num uerò oĩa deſiderent Deũ ſuo modo, nulli hoc dubium. Nam primo deſiderant Deũ vt principium, quo creãtur: eſt enim Deus oĩa in oĩbus per cauſalitatem, inquantum eſt oẽs perfectiones Deus cauſaliter. Licet enim quęlibet res creata ſit bona ſe ipſa formaliter, non tamen eſt bona cauſaliter, exemplariter, & ſe ipſa finaliter. Nam licet quęlibet res

creata,

creata, ſit bona ꝑ bonitatē propriam, ei formaliter inhęrentem, & perficientē: multo magis bona eſt bonitate Dei efficiente, & ideo ceſſante bonitate Dei efficiente exemplari, & finali, tota quoque creaturæ bonitas ceſſaret. Vnde Aug. viii. de Trin. ſic ait. Bonū hoc, & bonum illud, tolle hoc, & tolle illud, & vide ipſum bonū, ſi potes: ita Deum videbis, nō alio bono bonum, ſed oīs rei bonum, ſcilicet cauſaliter; ita quod vna eſt bonitas oīum per cauſalitatem, ſcilicet bonitas diuina: Licet multæ in bonitates formaliter: quælibet enim res formaliter ſua bonitate eſt bona. Secundo oīa deſiderant Deū, vt auxilium, quo in eſſe conſeruātur. Ipſe enim Deus portat, ideſt conſeruat oīa verbo virtutis ſuæ, ut dicit Apoſtolus ad Heb. i. Inſuper oīa deſiderant Deum, vt terminum, quo oīa quietantur. Deinde oīa deſiderāt Deum, vt bonum, quo nobilitantur. Nam Deus eſt bonum primum, totum, perfectum, & integrum. In eo ergo, qđ ipſe Deus eſt bonū primum: iccirco primo ab oībus deſideratur. Nam ſicut oēs numeri vnitatem participiant, ſic omnis creaturæ dicitur eſſe participatione bonitatis diuinæ. Deſiderant ēt oīa Deum, eo quia eſt totum bonum: ſed hic notandum, qđ datur duplex totum: vnum ex partibus: alterum ante partes. V. g. Domus, prout eſt in materia, totum dicitur ex partibus: Domus uerò ꝓut eſt in arte, vel in mente ędificatoris, totū dicitur ante partes, quia pręexiſtit domui fiendæ. Deus igitur non bonum totū ex partibus eſt, eo quod tale totum compoſitum eſt, qđ diuinæ ſimplicitati repugnat. Eſt ergo Deus bonū totum ante partes, quia ipſa deitas Patris, Filij, & Spiritus ſancti, eſt quaſi ꝑhabens vniuerſa bona. Tertio oīa deſiderant Deum, eo quod Deus eſt bonum perfectum.

Vbi

Vbi notandum, quod duplex datur perfectum, ſiue duobus dicitur modis: vno modo, quaſi completè factum, ſicut perfectè nos ambulaſſe dicimus, quando ambulationẽ compleuimus: ſub qua ſignificatione perfectum non conuenit Deo, quia, quod non eſt factum, vt Deus, non poteſt dici completum, ideſt perfectè factum. Alio modo perfectum dicitur, quando naturam habet, & virtutem propriè ſpeciei, quo modo Deus eſt bonum perfectum, inquantum maximè eſt in ſua natura, & virtute. Quarto oīa deſiderant Deum, eo q a Deus eſt bonũ integrum, nullius mali admixtionẽ habens, nec alicuius boni diminutionem. Vt ergo bonum integrum eſt, ideò ab omnibus eſt concupitum. Et hęc de propoſitis.

DE CREATO BONO.
Lectio CLXV.

POſt naturam boni increati agendum conſequenter erit de bono creato: vbi duo principalia conſideranda occurrunt. Quorum primum boni creati retinet deſcriptionem. Alterum verò dubia quędam, vt in progreſſu ſermonis noſtri patebit. Quantum ad primum. Bonum tribus poſſe cognoſci modis, nulli hoc dubium. Primo enim aliquid dicitur eſſe bonum, quia à bono cauſatur, ex quo bonum habet modum. Secundo dicitur bonum, quia in bono fundatur, ex quo bonum habet ſpeciem. Tertio dicitur bonũ, quia ad bonum ordinatur, ex quo bonum ordinem habet, quæ oīa in ſequentibus magis dilucida apparebũt. Et hęc de primo puncto. In altero dubia quędã proponenda veniunt. Nam non ſolum bonũ

procedit

procedit à bono, verũ ẽt malum à bono. Vt enim mala arbor, vel radix mala ex bona terra creatur: ita mala uoluntas ex aliquo bono, & ita non dicitur bonum, quia à bono, nam malum ẽt à bono. Ad hoc dubium doceo uos reſpondere in hunc modum. Malum cauſari à bono dupliciter debere accipi, vel per ſe, vel per accidens: per ſe, bonũ à bono, iuxta illud dictum. Bona arbor non põt malos fructus facere: per accidens verò, bonũ à malo põt cauſari, primo, quia non ordinatur in finem, vt bonum proueniens ex agente. Secundo, quia vt bonum, ſuæ cauſæ malum non aſſimilatur. Tertio, quia ab ordine per malum deuiatur. Huic difficultati additur altera, quæ talis, quod bonum mali cauſa per accidens nequeat dici. Nam ſi per accidens raro hoc contingeret, at in pluribus id euenit, non ergo bonũ mali cauſa ex accidenti; Pro intellectu huius dubij, velim ſciatis, qđ ly per accidens, plura importat: primo, non cauſam efficientẽ, ſed deficientẽ: ſecundo, defectum in ordine: tertio, deuiationẽ à diuina lege: quarto ratione effectus, cui accedit priuatio, dicitur quid per accidens. His ita prẽmiſſis, ad formam diſficultatis vt reſpondeam, triplici conſideratione vtor. Nam illud, quod per accidens euenit, vel eſt, vt in paucioribus, & raro, vel vt in pluribus, & frequenter, vel vt ſemper. Primo ergo illud, qđ eſt per accidens, concomitatur effectum principaliter intentum, vt in paucioribus, & raro: tunc agens cum intendit effectum per ſe: non oportet, qđ intendat effectum per accidens. V.g. ſi quis ligna incidens in ſilua, per quam raro tranſit homo, proijciens lignum interficit hominem, à peccato excuſatur, quia illud accidens ſcilicet interfectio hominis, qđ ſequitur effectum per ſe intentum, ſcilicet

inciſionem

inciſionem ligni, eſt pręter intentionem, cũ eius tranſitus ſit raro. Secundo cum illud, quod eſt per accidens, concomitatur effectum principaliter intentum ut in pluribus, vel ut frequenter: tunc tale accidens non ſeparatur ab agentis intentione, vt patet de uini potatione, cui frequenter ebrietas coniuncta eſt: ideo qui à vino leditur, non à peccato excuſatur. Tertio cum illud, quod eſt per accidens, ſemper concomitatur effectum principaliter intentum: tunc ſemper eſt cũ peccato. V. g. delectationi, quæ eſt in adulterio, ſemꝑ coniungitur malũ, ſcilicet priuatio ordinis iuſtitiæ. Vnde adulter à peccato minimè excuſatur. Duo nunc ad inſtantiam, qđ quamuis vt in pluribus, id quod fit per accidens eueniat, quia tamen effectus agentis intentionem principalem non ſequitur: iccirco ex accidenti illud fieri dicitur; alijs autem duobus nequaquam ſic dicendum modis. Et hęc ſatis.

QVOD MALVM SIT IN BONO. Lectio CLXVI.

IN ſuperiori parte ſumus lapſi in ſermonem de bono creato: iccirco nunc ſpeculandum venit, quo modo, & in quo bono malum ſit. Vt itaq; ordine de more noſtro procedamus, duo perpendemus principalia. Quorum primum tria boni reſpicit ſignificata. Alterum verò mali ſubiectum. Venio ad punctum primũ, vbi apertè declaratur, triplex dari bonum: ſcilicet eſſentiale, naturale, & particulare. Eſſentiale bonum, & primum bonum, Deus eſt, à quo oĩs bonitas. Naturale, vt eſſe rei creatæ à Deo;

Particulare dicitur tribus modis: vno modo ipſa rei pfectio. V. gr. vt acumen viſus dicitur bonum oculi, & virtus bonum hominis. Inſuper bonum dicitur res, quæ ſuam habet perfectionē, vt oculus acutè uidens: tertio modo dicitur bonum ipſum ſubiectum, ſecundum quod eſt in potentia ad ſuam perfectionem, ſicut anima ad virtutem, & hęc de primo ſegmento. In altero conſiderandū eſt: Num in bono eſſentiali poſſit malum inueniri. Mihi equidem, quod non, videtur: vt enim frigidum in igne eſſe nō pōt: ſic nec malum in Deo, cum ſit eſſentialiter bonus: quod ſi in Deo poſſet inueniri malum, proculdubio à ſua bonitate recedere poſſet; at hoc impoſſibile: ergo malum in tali bono eſſe, nec inueniri, nec cogitari poteſt. Nec videtur, quod in bono naturali, vt in ſubiecto, malum poſſit inueniri, quod de facili probari poteſt per exemplum in quatuor: ſcilicet in dęmonibus, in hominibus, in animalibus irrationalibus, & in rebus naturalibus. Primo in dęmonibus naturalem bonitatē habentibus, quæ mali ſubiectum dici non debet, quia oīa, quæ ſunt in mundo, à Deo ſunt creata: quare in dęmonum natura malum, vt in ſubiecto eſſe non poteſt. Nec ēt in hominum natura, q̧a tunc hominis natura, vel ex parte animæ, vel corporis mala eſſet dicenda: at hoc falſum: ergo. Hoc idem tertio probari poteſt in natura animalium, quia quis dicere poſſet, quod naturæ, & paſſiones animalium irrationalium naturaliter eſſent malæ, at hoc quid abſurdius? non ergo, &c. quarto hoc idem declaro, & manifeſto, in natura oīum rerum. Nam nulla natura rei, vel res naturalis, eſt mala, ita dicit Dionyſius Cap. iiii. de diuin. nom. quod malum non eſt in bono, tanquam aliquod exiſtens: ſequitur ergo, qđ malum

ſit

ſit in bono, ſecundum quod ens dicitur in potentia bonum, nec id mirum. Nam malũ eſt priuatio debitæ perfectionis: priuatio autẽ non fit, niſi in ente in potentia, quia priuari dicimus, quod natum eſt habere aliquid, & non habet, & ita ex dictis malum, quo modo in bono, & in quo bono, vt in ſubiecto, debeat dici eſſe, declaratum breui fuit à nobis.

DE TRIPLICI BONO. Lectio CLXVII.

AD maiorem euidentiam eorum, quæ diximus in pręcedenti noſtro ſermone, qualiter in bono ſit malũ, hic quatuor percurremus, & primo quotuplex detur bonum. Secundo quo modo per malum tollatur. Tertio malum culpæ q̃d auferat. Quarto qualiter diminutio habilitatis ad receptionem diuinæ gratiæ fiat. Circa primum triplex datur bonum. Quoddam eſt oppoſitum malo, vt viſus cęcitati, quoddam eſt, quod eſt ſubiectum malo, ut animal cęcitati. Quoddam tandem, quod eſt ordinatum ad bonum, vt habilitas, ordo, vel diſpoſitio naturæ, ad bonũ. Modo igitur malum non eſt in bono ei oppoſito, ſed in bono ſibi ſubiecto. V. g. cęcitas non eſt in viſu, vt in ſubiecto, ſed eſt in animali, ſicut malum moris dicitur in bono naturæ; malum aũt naturæ, quod eſt priuatio formæ, eſt in materia, quod eſt bonum, ſicut ens eſt in potentia; & hęc de primo puncto. In altero videndum, quo modo per malum totaliter, & ex toto tollatur. Cum itaq; triplex ſit bonum, ideo notandum, quoddam totaliter, & ex toto tolli,

vt gratiæ bonum: quoddam verò aliud nec tolli, nec minui, vt natura bonum. Quoddam deinde aliud minimè tolli, ſed minui, vt bonum habilitatis naturæ ad gratiam. Ita malum, vel peccatum, quoddam bonum ex toto tollit, vt bonum gratiæ: quoddam verò aliud bonum ſupponit, nec tollit, nec diminuit, vt naturæ bonum: quoddam aliud bonum non tollit, ſed tantùm diminuit, vt bonum habilitatis naturæ ad gratiam. Quòd autem naturæ bonum per peccatum non tollatur, nec diminuatur, patet ſic, quia naturæ bonum malo culpæ non opponitur: immò in tali bono conſiſtit malum, vt in ſubiecto, vel cauſa, quod patet, quia malum culpæ, ſiue peccatũ, non tollit voluntatẽ, ſed habet eſſe in voluntate. Bonum verò gratiæ ex toto tollitur per peccatum, quia vnum oppoſitorum excludit reliquum, vt tenebra lucem ſibi oppoſitam: ſic peccatum gratiæ opponitur: quare, &c. Bonum quoq; habilitatis animæ ad gratiam per peccatum minui dicitur: quanto enim anima plus in peccato manet, tanto fit minus habilis ad gratiam diuinam percipiendam. At dicetis: videtur, quod non ſolum habilitas naturæ ad gratiam minuatur, verum ẽt quod ex toto tollatur: ibi enim habilitas ad gratiæ receptionem remanere non poteſt, vbi eſt impoſſibilitas gratiam conſequendi, at in damnatis videtur talis impoſſibilitas gratiam conſequendi: tota ergo aufertur habilitas naturæ ad gratiam recipiendam. Ad hanc difficultatem velim uos ita reſpondere: impoſſibilitatem conſequendi gratiam in damnatis prouenire ex obſtinatione voluntatis peruerſæ, & ex inflexibitate diuinæ iuſtitiæ, nec non ex immobilitate diuinæ ſententiæ, non autem ex totali ſubtractione habilitatis naturalis ad bonum, non ergo talis habilitas

remota

remota dicitur, ſed adhuc remanet in damnatis, & hęc de ſectis duobus. In tertio ſpeculandum venit, qualiter malum culpæ ab anima totaliter excludat bonum gratiæ. Pro cuius intellectu eſt notandum: aliquid duobus agere modis, effectiuè ſcilicet, & formaliter. V. g. dum dicimus, pictorem album facere parietem: formaliter verò albus eſt albedine, & effectiuè à pictore. Peccatum aũt non corrumpit, nec tollit bonum gratiæ effectiuè, ſed benè formaliter corrumpit. Hic tamen notetis, quod ſicut in actione naturali datur talis ordo, quia primo eſt agens: ſecundo eſt diſpoſitio, qua agens agit: tertio eſt forma introducta per actionem agentis: ita in actione peccati ſunt tria: primo, ſcilicet agens ipſa voluntas: ſecundo, voluntatis diſpoſitio, vt puta ſua defectibilitas, ſiue libertas: tertio forma, vel deformitas introducta, ſcilicet ipſum peccatum. Vnde quando anima culpa informatur, vel deformatur, non poteſt in ea eſſe gratia: ita quod peccatum nõ per ſe, ideſt per formam propriam corrumpit gratiam, at per accidens, inquantum peccatum eſt quoddam obſtaculum excludens ab anima ipſam gratiam. At forte dicetis uos: videtur, q̄d peccatum non ſemper tollat bonum gratiæ. Poſtquam enim peccator per vnum peccatum priuatus eſt gratia: tunc cùm ſecundo, vel tertio, vel quarto, & ſic de alijs peccat, nec per nullum peccatum ſequens tollitur gratia, & ita peccatum non ſemper tollit gratiam, ut dicebamus. Reſpondeo, & dico, quod peccatum ſemper gratiam, quam inuenit, tollit, & diuinæ influentiæ obſtaculum ponit. Q̄d autem ſecundum peccatũ, vel tertium, & ſic de alijs, non tollat gratiam, hoc eſt per accidens, quia eam nõ inuenit: ſemper tamen habilitatem animæ ad gratiam

magis diminuit, ſecundum quod tactum fuit ſuperius à nobis. Et hęc de tribus punctis. In quarto perſcrutandum eſt loco, qualiter fiat diminutio habilitatis ad gratiæ diuinæ receptionem, vbi notādum, quod oīs diminutio fit altero duorum modorum, vel per ſubtractionem partis, vel per appoſitionē contrarietatis. Primo modo habilitatis animæ ad gratiam diminutio non fit per ſubtractionem partis, & partis, quia illud, quod ſic diminuitur, tollitur, vel corrumpitur: natura aūt animæ incorruptibilis eſt. Secundo modo diminuitur aliquid per appoſitionē contrarietatis. V. g. frigiditas aquæ diminuitur, non quia pars aliqua aquæ ſubtrahatur, ſed quia contrario qualitas apponitur, ſcilicet caliditas. Ita in propoſito, dùm homo magis peccat tanto magis diſtat, & elongatur à Dei gratia, & ſic in eo fit minor habilitas ad gratiam, ita qđ poſt primum peccatum non tollitur potentia ad ſecundum: immo in eo maior pronitas ad ſecundum peccatum, & minor pronitas ad diuinæ gratiæ ſuſceptionem; ſed hic notetis, ex quo peccatum dicit priuationem, duplicem dari priuationem: vnam totaliter potentiam auferentem, quæ penitus tollit habilitatem, vt cęcitas, quæ viſiuam potentiam tollit, & habilitatem videndi, niſi forte ſecundum quod habilitas, vel aptitudo videndi, remaneat in radice potentiæ viſiuæ, ideſt in eſſentia animæ. Datur alia priuatio, quæ non tollit potētiam, ſed actum tantùm, & hęc minimè habilitatem aufert, quam facit peccatum: nam tale non tollit potentiam ad peccandum, immò auget, q a quanto magis peccata multiplicātur; eo magis augetur habilitas, & pronitas ad peccandum; tollit nihilominus actum, ſiue appropinquationem ad diuinam gratiam: nam remanente

nente voluntate, habilitas ad malũ non tollitur, & maximè, dùm mala multiplicantur: & hęc ſatis.

DE RATIONE BONI.
Lectio CLXVIII.

PReter ea, quæ de bono à nobis ſunt dicta in ſuperioribus ſermonibus noſtris: adhuc ſupereſt pertractare de cõſtantia rationis boni, nam in progreſſu ſermonis noſtri patebit, in quibus bonum, vt perfectum, cõſiſtat. Diuidatur itaq; pręſens ſermo noſter in duo ſegmenta ſpecialia: in quorum primo declarabitur, in quibus bonum cõſiſtat: in altero verò hęc tria: ſcilicet modus: ſpecies, & ordo, quæ oĩ bono conueniunt. Quantum ad primũ. Bonum vt perfectum, cui nihil deeſt, in his tribus videtur conſiſtere: ſcilicet in modo, ſpecie, & ordine. Vnde Aug. in lib. de natura boni ſic ait. Oĩa, quanto magis moderata, ſpecioſa, ordinata ſunt: eo magis bona ſunt. Quæ tria, vbi magna, magna bona ſunt: vbi parua, parua bona ſunt: vbi nulla, nulla bona ſunt: in his ergo tribus bonum conſiſtere videtur. Rurſus D. Aug. illud uerbum ſapien. xi. exponens. Oĩa diſpoſuiſti in numero: pondere, & mẽſura: ibi dicit, quod idem eſt menſura, quod modus: idem ſpecies, quod numerus: idem ordo, quod pondus. Ratio aũt, cur bonum in his tribus conſiſtat, iſta eſt, quia vnumquodq; intantum bonum eſt, & per conſequens appetibile, inquantum eſt perfectum. Perfectio aũt integratur ex tribus: primo ex parte cauſæ efficientis: ſecundo ex parte formæ diſtinguentis: tertio ex parte naturæ inclinan-

tis: ex cauſa efficienti menſura, & modus bono aſcribitur, inde appetibile bonum efficitur; ex cauſa formali ſpecificatur, & diſtinguitur: ex parte naturæ inclinantis actio in finē ordinatur: quare ex his tribus bonum integrari dicitur. Si aūt horum ſufficientiam breuius ponere velitis, ita dicetis: hęc tria, ſpeciem, modum, & ordinem eſſe diſpoſitiones bono, & cuilibet rei conuenientes, per reſpectum ad cauſam efficientē formalem, & finalem: primo enim modus, vel menſura dicitur eſſe rei diſpoſitio, ꝓut refertur ad cauſam efficientem, quæ dat eſſe terminatum, & cuilibet rei menſuratum. Secundo ſpecies, vel numerus eſt rei diſpoſitio, prout refertur ad cauſam formalem, ſecundum quod quęlibet res per formā ſpecificatur, & ab alia re diſtinguitur. Tertio pondus, & ordo eſt rei diſpoſitio, prout ad cauſam finalem refertur. Vnde Aug. ſuper Geneſim ad literā ait, qđ menſura modum prefigit, quo ad primū: numerus verò rei ſpeciem prębet, quo ad ſecundum. Pondus tandem in ſuo loco ordinat, & quieſcere facit, quo ad tertium. Et hęc de primo puncto. In ſubſequenti videndum: quo modo tria hęc oīa conueniant bono. Nam primo creatori aptantur, ſecundum Aug. ad Oroſium ita dicentem. Numerus, pondus, & menſura eſt ipſe Deus: ipſe enim eſt numerus ſine numero, à quo eſt oīs numerus. Ipſe eſt menſura ſine menſura, à quo oīs menſura. Ipſe eſt pondus ſine menſura menſurans, non menſurata: numerus numerans, non numeratus: ordo ordinans, non ordinatus, ſiue pondus ponderans non ponderatum. Nam menſura menſurata dicitur eſſe cuiuſlibet rei quantitas, qua res magna, vel parua eſt, ac denominatur. Numerus numeratus propria vniuſcuiuſq; rei qualitas, qua vna res

ab alia diſtinguitur. Pondus ponderatum eſt rerum proprietas, qua res ad ſuum tendit naturaliter locum, & in eo quieſcit. Hęc ergo Deo appropriantur, & conuenire dicuntur: videlicet pondus ad operantis potentiam: numerus ad ordinantis ſapientiam: menſura ad conſeruantis clementiam. Et ita pondus refertur ad patrem, cui appropriatur potentia: numerus ad filium, cui appropriatur ſapientia: menſura ad Spiritum ſanctum, cui aſcribitur clementia: ita quod oĩs creatura habet pondus à patre creante: numerum à filio ordinante: menſuram à Spiritu ſancto conſeruante. Inſuper hæ conditiones oĩ creaturæ cõueniunt. Vnde Aug. xi. de Ciui. Dei ſic ait: à Deo eſt oĩs modus, oĩs ſpecies, & oĩs ordo: ſine quibus nihil rerum inueniri põt, vel cogitari. Nam oĩs creati eſſe non põt intelligi, niſi in relatione ad primam cauſam: ſub triplici ratione cauſæ efficientis, formalis, & finalis. Nec id mirum. Nam tria de oĩ re quęrimus: quis eam fecerit: quo modo facta ſit: & propter quid facta eſt res: in oĩ enim, quod eſt, aliud eſt, quod conſtat, & ecce cauſa efficiens: aliud quo, diſcernitur, & diſtinguitur: ecce cauſa formalis: & aliud, quo ſuis partibus congruit: ecce cauſa finalis. Tertio ſolent hæ tres proprietates, menſura, numerus, & pondus, aſcribi animæ. Vnde Aug. ſuper Geneſim ad literam diſtinguit in animabus hęc tria, dicens: qđ menſura eſt aliquid agendi, ne fiat irreuocabilis, & immoderata progreſſio, quod pertinet ad intellectum, ne plus, vel minus ſapiat, quã oporteat. Numerus aũt eſt affectionum, & virtutum: pondus eſt voluntatis, & amoris, vbi appetit, & fertur in id, quod debet. Quarto tres iſtæ conditiones, menſura, ſpecies, & ordo, in voluntate reperiuntur.

Modus

Modus enim, vel menſura voluntatis dicitur, inquantũ voluntas innititur ſummæ bonitati productiuæ, vel oĩs boni effectiuę ſecundum ſuę menſurę quantitatem, & modum. Secundo ſpecies voluntatis eſt, ſecundum quod uoluntas habet ſuam rectitudinem naturalem, & maximè ex conformitate ad rectitudinem uoluntatis diuinę. Tertio ordo uoluntatis eſt, cum uoluntas diuinam ſequitur voluntatem, & eius bonitatem ſupra oĩa diligit. Quinto menſura, numerus, & ordo, ſiue pondus in actione humana requiruntur: ideo Deus oĩa fecit in menſura, contra vitium ſuperfluitatis: in pondere, contra vitium leuitatis: in numero, contra vitium ſingularitatis. Habeas ergo pondus: ſerua numerum: menſuram tene: & ſic faciendo, diuidi non poteris ab auctore. Habeas pondus, ideſt ſtabilitatem in fide, nam pondus neſcit leuitatem. Habeas numerum, ideſt ſocietatem in charitate. Menſuram denique, ideſt frugalitatẽ in conuerſatione. Sexto pondus, numerus, & menſura diuinæ aſcribuntur ſententiæ in extremo iudicio, nam Deus oĩa diſpoſuit, ideſt oẽs pęnas, quas infliget peccatoribus in numero: vt numerus, vel multitudo pęnarum reſpondeat numero, vel multitudini peccatorum. Secundo Deus diſponit damnatorum pęnas in menſura, vt pęna reſpondeat quantitati culpæ. Tertio Deus diſponit pęnas damnatorum in pondere, vt ſcilicet pęna damnatorum reſpondeat cauſæ, vel rationi mouenti ad peccatum. Et hęc pro pręſenti.

DE

DE QVADRVPLICI BONO. Lectio CLXIX.

EXtremam tractatui de bono impoſiturus manũ hodierna die tria perpendam. Quadruplicem de bono diuiſionem primo. Inſuper bonum vnum maius altero eſſe docebo. Tertio vnum altero eligibilius. Quantum ad primum, de bono ſolet dari quadruplex diuiſio. Nam bonum quadrupliciter dicitur: primo enim quoddam bonum eſt, q̃d immutabiliter eſt bonum, & ſecundum eſſe, & ſecundum vſum, & ecce Deus. Secundo datur bonum mutabiliter bonum, & ſecundum eſſe, & vſum: ut ſunt corporalia bona, quorum eſſe mutabile, & vſus mutabilis. Tertio eſt bonum immutabiliter bonum ſecundum eſſe, ſed non ſecundum vſum, ut potentiæ animę, quod debet intelligi, quantum ad factum eſſe, non quantũ ad fieri ipſarum, ſicut in cęteris perpetuis. Quarto datur bonum immutabiliter, quantum ad vſum, non quantum ad eſſe, ut virtutes, quibus non contingit habentẽ male vti, & tamen poſſunt non eſſe, & ita mutari in nõ eſſe, & ſic in non bonum: vbi notandum, quod virtutes dupliciter conſiderari poſſunt, ſcilicet materialiter, & formaliter. Si primo modo, ſcilicet materialiter, tunc eis male vti contingit, nam ut ait D. Aug. virtutes cum referuntur ad ſe ipſas, nec propter aliud expetuntur, inflatę, atq; ſuperbę ſunt, ideſt materia ſunt ſuperbię, & elationis, Scientia enim inflat, charitas uerò ędificat. Si verò formaliter conſiderentur, tunc illis nõ contingit male vti, quia actus virtutis de ſe bonus, & vſus quoque. Vnde dùm dicitur, q̃d virtutibus nemo malè utitur,

debet

purius, ſicut eſt bonum ſine malo: tertio, quia communius. Hic tamen notandum, bonum aliqđ dici cõmune tribus modis: primo, quod poteſt participari ſecundum ſe totum à diuerſis, & pluribus, non tamen in eodem tempore, ut patet de habentibus ueſtem vnam, vnum agrum, & huiuſmodi. Secundo datur bonum, quod non põt participari ſecundum ſe totum, neq; in eodem tempore, ſed ſecundum partem, & ſic puteus dicitur communis. Tertio aliqđ bonum dicitur commune, quod ſecundum ſe totum, & in eodem tempore põt à multis participari. V.g. vt aſpectus ludi in theatro, & tunc bonum, quanto cõmunius, eo melius, & eligendum magis ex ſe, & ex ſua natura, quia commune bonum, ad differentiam boni particularis, qđ huic, vel illi bonum eſt. Quarto vnum bonum eſt altero maius, quia eſt ſufficientius, nam illud bonũ, quo habito, nullo alio indigemus, eſt maius, & eligendum magis. Quinto vnũ eſt maius bonum altero, quod eſt eligibilius, vel ex ſe, vel ex parte eligentis. Sexto, & vltimo, vnum bonum altero maius reputatur, quia honorabilius, vel laudabilius. Et hęc pro ſecto ſecundo. In tertio cõſiderandum venit, quot modis vnum bonum eligibilius ſit altero: multis enim contingit hoc modis: primo ratione exiſtentię, quia per ſe bonum, & eſſentialiter. Secundo, q̃a magis verum. Tertio ratione inherentię. Quarto ratione maioris indigentię. Quinto ratione conſequentię. Sexto ratione efficaciæ. Septimo ratione cauſalitatis, quia cauſa alterius boni, & maioris boni. Octauo ratione maioris appetibilitatis: bonũ etenim illud maius, & magis eligendum, cuius appetitus, vel deſiderium maius. Nono ratione maioris ſimilitudinis. Decimo ratione ordinabilitatis. Vndecimo

ratione

ratione propinquitatis. Duodecimo ratione facilitatis. Demum ratione certitudinis. Et hęc ſatis.

COMPARATIO VOLVNTATIS AD BONVM. Lectio CLXX.

POſtquam multa de bono diximus hactenus, propterea conſequenter voluntas ad bonum nunc comparanda venit, cognoſcendi gratia, Num naturaliter bonum velit. Circa quam queſtionem hoc ordine procedemus. Nam primo pro parte negatiua argumenta adducemus. Notanda ſecundo. Argumentorũ tandem ſolutionem. Quantum attinet ad primum, quidam ad negatiuam declinantes partem, ita ratiocinantur. Quod voluntarium eſt, naturale non eſt, at voluntas ſic ſe habet, non ergo bonum naturaliter deſiderat: maior propoſitio clara eſt per Philoſophum ii. Phyſic. vbi diuiditur agens naturale contra voluntarium, at oẽ velle uoluntarium eſt: igitur nullum eſt naturale. Preterea per Philoſophum ii. Ethicorum habetur, quod natura non aſſueſcit in contrarium, at homo per conſuetudinem habilis ad malum uolendum efficitur: non ergo naturaliter vult bonum. Ex alio latere D. Ambr. ſuper illud ad Rom.i. Non qđ volo bonũ, illud facio: dicit, quod homo ſubditus peccato facit, quod non vult, quia naturaliter vult bonum. Pro determinatione huius queſtionis ſciendum eſt, dùm queritur: num voluntas velit naturaliter bonum, queſitum hoc dupliciter poſſe intelligi: vno modo, ſcilicet vtrum uelle bonum uoluntati inſit naturaliter: ideſt ſecundum naturę conuenientiam.

entiam. *Alio modo. Vtrum uelle bonum naturaliter uoluntati cōueniat, hoc eſt, modo naturali, ſicut igni conuenit ferri ſurſum naturaliter. Primo modo dicendum, quod uoluntas naturaliter uelit bonum ſecundum conuenientiam naturæ, tunc enim perficitur, quando vult bonū. Vnde uelle malum dicitur error in intellectu, & preter naturam, ideſt contra naturæ conuenientiam. Si verò queſtio ſecundo intelligatur modo, vt puta, quod uoluntas bonum naturaliter uelit, ideſt modo naturali: tunc conſiderandæ erunt agentis, uel actionis naturalis conditiones, quæ duę ſunt: vna eſt, quia actio naturalis non tendit, niſi in pręcognitum. Altera eſt, qđ ipſa eſt determinata ad vnum, & eodem modo. Quantum ad conditionem primam patet, quod uoluntas non dicitur uelle naturaliter bonum, quia non tendit per actum uolendi, niſi in pręcognitum. Quantum verò ad conditionē ſecundam, tunc conſiderandum erit bonum, vel ſub ratione communis boni, vel ſpecialis. Si primo modo, certum eſt, qđ uoluntas naturaliter vult bonum, qđ patet, quia nullum peccatum in uoluntate poteſt eſſe, niſi pręcedente aliquo defectu in ratione. At bono cōmuni propoſito intellectui practico nullus defectus eſſe poteſt in ratione, quia ſicut intellectus ſpeculatiuus neceſſario aſſentit primis principijs formatis in cōmunibus terminis entis, nec circa ea decipi pōt, ut dicitur iiii. Metaphiſices, ſic intellectus practicus reſpectu boni communis, & ita bono propoſito ſecundum communem rationem boni, intellectui practico nullus defectus poterit eſſe in ratione practica, nec defectus incōſiderationis, nec erroris, nec ignorantiæ, & ita hoc modo peccatū minimè erit in uoluntate. At reſpectu boni accepti in particulari,*

non

non ſic euenit, q a practicus intellectus neceſſariò non aſſentit tali bono, ſed deliberat, an ſit bonum, & ideo circa hoc decipi poteſt iudicando bonum, quod eſt malum, uel uice uerſa ſecundum circunſtantias diuerſas; & ideo uoluntas non neceſſariò, & determinatè fertur in tale bonum, at liberè poteſt reſpuere ipſum. His ita premiſſis, nunc rationes ſoluendæ, deinde erit finis. Ad primã ergo eſt dicendum, uoluntarium contra naturale diuidi, duobus modis poſſe conſiderari: vno modo, quo ad illa, reſpectu quorum habet voluntas ſui actus dominium, & ſic diuidit Philoſophus ſecundo Phyſic. agens per artem contra agens naturale, ars enim eſt de factibilibus, reſpectu quorũ uoluntas eſt liberè mouens ſic, uel aliter, ſed reſpectu eorum, in quæ neceſſario fertur uoluntas, tunc uoluntarium coincidit connaturali; quo ad vltimã conditionem. Ad ſecundam dicitur, q͛ homo per conſuetudinẽ non aſſueſcit in contrarium, ideſt in malũ ſub ratione mali, at ſub aliqua ratione particulari ipſius boni. Dùm ergo dicitur, q͛ homo ſit habilis per aſſuefactionẽ ad malũ, tunc reſpõdendũ: hoc nõ euenire ſub ratione boni, circa quod tunc temporis ratio decipitur. Et hęc pro pręſenti.

DE CONSCIENTIAE SIGNIFICATIS. Lectio CLXXI.

ACturus hodierna die de conſcientia in gratiam dicendorum tria perpendam. Significata conſcientiæ primo. Deſcriptionẽ ſecundo. Conſcientiæ proprietates tertio. Quantum ad primum, Conſcientiæ nomen tripliciter conſueuit

accipi

accipi à Doctoribus ſacrę ſcripturę. Aliquādo enim accipitur pro ipſo conſcito, & ſic Io. Damaſcenus dicit, quod conſcientia eſt lex intellectus noſtri, lex enim eſt id, quod per conſcientiam nouimus. Aliquando ēt ſumitur conſcientia ꝓ eo, quo conſcij ſumus, ſcilicet pro habitu: ſic conſcientia dicitur accipi pro habitu ſcientię cognoſcentis. Deniq; accipitur pro ipſa potentia conſcientię. Vnde dicitur lex naturalis ſcripta in conſcientijs noſtris: vſitatiori tamen modo ſolet accipi pro habitu cognitiuę potentię. Et cum nominat habitum, non ſolum naturalem, immò ēt nominat habitum acquiſitum, & quia habitus acquiſitus purificare poteſt, & fędare animam: hinc eſt, q̃d cōſcientia dicitur munda, & immunda, recta, & non recta, & cū potentiam nominat, vniuerſaliter non dicitur nominare potentiam cognitiuam, ſed prout ſe extendit ad cognoſcenda ea, quæ ſunt moris, ſiue ad moralia. Et hęc de primo puncto. In altero doctiſſimus Gerſon volens nobis conſcientię naturā aperire, ita fatur. Conſcientia primo, ſcientiam importat, & ſecundum hoc, conſcientia dicitur quidam habitus naturalis, non ſolum cognitiuus, ſed ēt motiuus. Mouet enim, & animā inclinat ad bonum proſequendum, & malum fugiendum, & hoc modo ſe habet vt ſuperius; coniungiturq; ipſi primo habitui naturali, ſuperiorique rationis lumini, quod ſynderęſis dicitur, ſiue conſcientia quantū ad iudicium. Secundo magis propriè loquēdo, conſcientia dicitur importare acceptionem, ſeu acceptationē ex parte rationis. Vnde conſcientia propriè eſt applicatio quędā, ſeu ordinatio ſcientiæ ad aliquem actum. Scientia aūt in ratione, quod ſatis denotat hęc prępoſitio cum. Nam dicitur conſcientia, quaſi cū alio ſcientia,

& tunc eſt magis actus, quam habitus ſeu potentia, & hoc modo non ſemper de ſe recta eſt, immò frequenter errorem recipit, quia tunc ſic ſimplici rationi coniungitur, & habet per modum cuiuſdã cognitionis, ſeu inquiſitionis; circa particularia verſari, in quibus error, & errare frequenter contingit. Gabriel volens nobis conſcientiam deſcribere ita dicebat, conſcientiam eſſe notitiam adhæſiuam actualis, vel habitualis concluſionis dictantis, id eſt ſignificantis in particulari aliquid benè, & laudabiliter eſſe operandum, vel omittendum. Secundũ verò Aureo. Conſcientia eſt crudelitas rationis, ſeu intentionis ad aliquid faciendum, vel non faciendum obligatiua animi deliberatione formata. Cuius proprietates iſtæ ſunt, teſtificari, ligare, vel mitigare. vel ẽt accuſare, remordere, aut reprehendere, ut in hoc tertio ſegmento eſt videre. Nam cum cognoſcimus nos aliquid feciſſe, vel non feciſſe, ſecundum illud Eccles. 7. Scit conſcientia tua, te crebrò malè dixiſſe alijs. Conſcientia noſtra teſtificatur, dùm verò iudicamus aliq̃d faciendum, vel non faciendum, tunc dicitur conſcientia ligare, vel inſtigare, cum ẽt iudicamus factum aliquid benè, vel malè, tunc dicitur conſcientia excuſare, vel accuſare, ſeu remordere. Cuius puritas cognoſcitur per expulſionem culpæ. Et hęc pro pręſenti noſtra lectione.

QVID RECTA, QVID ERRONEA SIT CONSCIENTIA.

Lectio CLXXII.

POſt ſignificata conſcientiæ, conſequens eſt uidere quotuplex ſit, duplex enim quibuſdam videtur eſſe, ſcilicet recta, & erronea.

erronea. Illa recta eſt, quæ legi conformis. Erronea verò illa, quæ legi difformis. Recta obligat, & eſt quaſi preco legis, nam nobis dictamina legis oſtendit, dictans illa eſſe legis precepta, ꝓhibitiones, vel conſilia, & ita ligat authoritate legis, quā nobis inſinuat, aut inſinuare putatur. Conſcientia itaq; recta ligat nos eo modo, quo dictat legem nos ligare, hoc eſt, ſi dictat aliquod eſſe preceptum ligat, ut preceptum. Si dictat, ut conſilium ligat, ut conſilium. Obligat ergo recta conſcientia, vt iam dictum eſt. Erronea quoq; obligat conſcientia, at non ſicut recta. Nam non obligat ad faciendū, quod contra legem dictat, alioquin contra legem obligaret, qđ non eſt dicendum. Obligat ergo talis conſcientia ad deponendum errorem, vel ad eā deponendum, & hoc non vinculo conſcientiæ, hoc dictantis, ſed vinculo diuini precepti. Lex enim diuina vetat cōtemnere Deum, qui aūt contra conſcientiam agit, qua credit Deū aliquid prohibuiſſe, licet erret contemnit Deum. Hunc aūt vitare non poteſt, niſi conſcientiam deponendo: igitur talem tenetur deponere conſcientiam erroneā. Conſcientia adhuc duplex eſt bona, & mala, vt ex predictis patet: ſcrupuloſa verò, & erronea, & mala ſecundum Anton. Florentinū ex pluribus cauſatur: aliquando ex cauſis naturalibus, videlicet ex complexione ad timorem idonea, vt in vetulis feminis, & melancholicis. Secundo ex diabolicis tentationibus. Tertio, ex indiſcreta exercitatione vigiliæ. Quarto, ex ſocietate timidorum, & ſcrupuloſorum inſtructione. Magiſter Io. Gerſon. in tractatu de remedijs contra puſillanimitatem dicit, quod cum quis de venialibus peccatis, ſine quibus hec vita nō pōt tranſigi, formatſibi conſcientiam tenendo eſſe mortale

cum nõ ſit mortale: non eſt bona conſcientia, nec talis põt gratiam percipere cum cõſcientiam habeat perturbatam. Aliud exemplum de ſcrupuloſis ponit vir iſte, ſępe confeſſionem factam iterantibus putantes quod non ſufficienter contriti ſunt confeſſi, licet competenter fuerant oĩa propoſſe confeſſi, cum Deus non requirat ab homine pluſquam poſſit. Ad ſcrupuloſam ergo deponendam conſcientiam, & reformandam regulæ ponendæ tales. Prima eſt debita ad Dei gratiam pręparatio, ſeruando quantum põt pręcepta, & pęnitendo, & faciendo, qđ in ſe eſt, quia nulli tali ſubtrahit Deus gratiam. Secũda ſollicita ſacræ ſcripturæ indagatio, & verbi Dei auditio. Prouerbiorum primo: Audiens ſapiens ſapientior erit. Tertia eſt rationis deuota poſtulatio, Iacobi primo. Si q̃s indiget ſapientia poſtulet à Deo, & dabitur ei. Quarta humilis obedientia, ſapientia, & ſpiritualibus, ac Pręlatis. Quinta animoſa ſcrupulorum, & puſillanimitatis repulſio. At dicetis, quid de arcta cõſcientia, & larga dicendũ? Reſpondetur, qđ diabolus arctã, & largã conſcientiam ſuadet hominibus ne ſalui fiant. Arctã, ne q̃d boni audeat homo efficere. Largã deinde, ad ſcelera cõmittenda oĩa multo plura dicturus, circa pręſentẽ materiam hic pedem figam.

QVID CONSCIENTIA SIGNIFICAT, ETC. Lectio CLXXIII.

C*Irca cõſcientiam mihi impręſentia tria enodanda occurrunt, ſignificatum, ortum, & actum: in ſequenti verò tangam effectum. Quantum ad primum. Conſcientia*

dicitur

dicitur ſignificare applicationẽ noſtræ notitiæ, vel cognitionis ad aliquem actum particularem. Vnde ſecundum Hugonem cõſcientia dicitur cordis ſcientia: cor enim, & ſe nouit ſua cõſcientia, & multa alia. Quando enim ſe nouit, appellatur conſcientia, quaſi cũ alio ſcientia. Quãdo verò prȩter ſe nouit alia, tunc dicitur ſcientia, appellatur aũt noſtra notitia, vel cognitio ad aliquem actum particularem tribus modis. Primo ſecundum quod conſideramus, & cognoſcimus, an actus ſit factus, vel non. Secundo, quando conſideramus, an actus ſit factus rectus, vel non. Tertio, an fiendus, vel non, ſcilicet ſecundum quod per ſcientiam iudicamus. Et hȩc de primo puncto. In altero, vnde oriatur conſcientia declaratur: oritur enim ex rationis iuditio, q̃d lex intellectus dicitur, & vt deriuata concluſio, ſiue deducta, V. g. in animo, vel hominis mente, fit quaſi quidam ſyllogiſmus, cuius maiorem prȩmittit ſynderesis, quæ potẽtia eſt nata aſſentire naturaliter principio practico euidenti, ſic dicens. Oẽ malum eſſe euitandum, minorem uerò iſtius ſyllogiſmi aſſumit ratio ſuperior, ſic dicens, adulterium eſt malum, quia, vel iniuſtum, vel inhoneſtum, ideo conſcientia infert, & ex prȩdictis concluſionem hanc concludit: ergo adulterium eſt vitandum. Officium verò ſiue conſcientiæ actum dicimus eſſe triplicẽ, ſcilicet teſtificari, accuſare, vel excuſare, ligare, vel abſoluere. Primus actus eſt teſtificari de prȩterito, inquantum conſcientia perhibet teſtimonium. Vnde Apoſt. ad Rom. Teſtimonium reddente illis conſcientia eorum. Secundus actus eſt accuſare, vel excuſare, reprehendere, & remordere de malo commiſſo, & bono ommiſſo. Tertius actus conſcientiæ dicitur ligare, nam cõſcientia

Et hęc de primo puncto. In altero ſpeculandum eſt, quo modo conſcientia obliget, non enim ex virtute propria, ſed in virtute diuini pręcepti, qđ patet. Nam conſcientia non dictat aliquid faciendum, vel non faciendum, hac ratione, quia ſibi videtur, vel non uidetur, ſed hac ratione, quia à Deo pręceptum, vel ꝓhibitum; nullus aūt ligatur ad pręceptum aliqđ, niſi mediante ſcientia, uel notitia illius pręcepti, & ideo ille, qui non eſt capax notitiæ pręcepti, non dicitur pręcepto ligari, ſicuti nec ille ignorans pręceptum Dei ligatur ad pręceptum faciendum, niſi quatenus tenetur ſcire pręceptum. Si autem non tenetur ſcire, nec ſciat, tunc nullo modo ex pręcepto ligatur, & quia conſcientia obligat in virtute diuini pręcepti, ut patet: ideo ſi aliquid apprehendatur à rationis dictamine, ut directè cadens ſub pręcepto, mortaliter peccat omittens illud, qđ ſibi conſcientia dictat. Si aūt non apprehendatur, ut directè cadens ſub pręcepto, vel prohibitione, tunc non ſit directè cōtra conſcientiam, ſed pręter ſcientiam, & ita non peccatur mortaliter, ſed venialiter. Et hęc de ſectis duobus. In tertio videre eſt, num magis conſcientia liget, quàm pręlati pręceptum. Mihi ſanè videtur, qđ conſcientiæ dictamen plus obliget, quàm pręlati pręceptum, cuius ratio aſſignatur, quia conſcientia non ligat, niſi in virtute diuini pręcepti, at Dei pręceptū magis obligat, quàm pręceptum pręlati: ergo ligamen conſcientiæ maius eſt, quā ligamen pręcepti pręlati. Confirmatur hęc veritas ſecundo ſic, quia conſcientia recta nullū habet iudicem ſupra ſe, pręter Deum: pręlatus verò poteſt habere iudicem ſupra ſe, præter Deum, ſcilicet alium prælatum; mandatū ergo ſuperioris, plus obligatorium, quàm mandatum inferioris:

 quare

quare in his, quæ ſunt prohibita, vel pręcepta à Deo, recta conſcientia plus obligat, quia in virtute diuini pręcepti, & quia immediatè ſub Deo eſt. Religioſi verò, quia propriæ voluntati renunciauerunt, & proprio ſenſui, tenentur ſequi ſententiam prįlatorũ, vel mandatorum eorum, in his tamen, quæ nõ ſunt contra Deum, vel contra regulam. Caueant tamen prįlati, ne indiſcretè pręcipiant, propter periculum conſcientiarum ſubditorum. Et hęc de tribus in pręſenti ſermone à me propoſitis.

DE CAVSIS ERRORIS CONSCIENTIAE. Lectio CLXXV.

AD maiorẽ euidentiam prędictorum, circa conſcientiam duo perpendemus. Erroris cauſam primo. Inſuper, vigoris efficaciam ſecundo. Quantum ad primum, vt video: error conſcientiæ ex cauſis ſeptem cauſari dicitur. Primo ex ignorantia, eo quia ratio apprehendat malum ſub ratione boni, & vice uerſa, tunc ad errorem talem ſequitur peccatum in uoluntate. Hic tamen notandum eſt, duplicẽ dari ignorantiam, ſcilicet facti, & circunſtantiæ. Primo eſt ignorantia facti, ſcilicet legis Dei, quam quis ſcire tenetur. Vnde uoluntas concordans conſcientiæ erranti circa legem, vel pręcepta Dei, ſemper mala eſt. V. g. ſi cõſcientia errans dicat, quod homo tenetur ad vxorem alterius accedere; tunc uoluntas concordans conſcientiæ erranti mala eſt: cuius ratio eſt, quia ignorantia eius, quod quis ſcire tenetur, qualis eſt ignorantia legis, mala eſt, quia uoluntaria, & dicitur uoluntaria

talis

talis ignorantia, quia in ea directè fertur uoluntas. V. g. dùm quis ſtudiosè vult neſcire aliqua, vt liberius peccet. Secūdo datur ignorantia circunſtantiæ, & tunc error conſcientiæ, qui ex ignorantia cauſatur, uoluntatem excuſat, ne mala ſit, ſequens conſcientiam ſic errantem. V. g. ſi ratio, vel conſcientia errat in hoc, quod credat, aliquam mulierem ſubmiſſam ſuam eſſe vxorem, & ea petente debitum, vult eam cognoſcere, tunc eius uoluntas, vt non ſit mala excuſari dicitur: cuius ratio eſt, quia error iſte cauſatur ex ignorātia circunſtantiæ, quæ in uoluntarium cauſat. Secundo error conſcientiæ cauſatur ex negligentia, ſicut cū aliquis propter laborem, vel ob alias occupationes negligit addiſcere, vel ab alijs querere, & illud ſcire, per qđ à peccato retraheretur, tunc uoluntas mala eſt. Tertio error conſcientiæ ex ſuperbia cauſatur, cum quis non humiliat ſuū intellectū ad credendum ſapientioribus, &c. Quarto cauſatur ex nimia, & inordinata ſui beniuolentia, eo quia nimis ſe quis diligat, conſcientiamq; precipitet ſuam ad illud, qđ appetit, talis conſcientia nimis larga dicitur, ideo cauenda, quia tria efficit principaliter mala. Nam primo facit preſumptuoſum. Secundo malum dicit eſſe bonum. Tertio ſaluat damnandum. Quinto error conſcientiæ cauſatur ex cordis puſillanimitate, qua quis timet non timenda ſecundum rectum rationis iudicium, & talis conſcientia eſt nimis ſtricta, & ideo uitanda, quia cauſat tria mala. Nam de malo facit bonum, & de feſtuca trabē, ideſt de leui peccato graue. Secundo generat deſperationē. Tertio damnat ſaluandum. Sexto cauſatur ex perplexione, ideſt ex quadam dubietate, ex qua quicquid fiat, ſequi videatur ineuitabilitas, ſiue peccandi neceſſitas.

Quibus

Quibus ſex modis error conſcientiæ ſemper eſt reprehenſibilis, & voluntas, ſequens cõſcientiam ſic errantem, ſemper dicitur mala, vt ex dictis patet. Septimo error conſcientiæ dicitur cauſari ex humilitate, & cordis puritate. V. g. quando quis ſe culpabilem credit, vbi culpa non eſt: hoc modo formidare, ſc. culpabilem eſſe, vbi culpa non eſt, bonæ mentis eſt, cuius ratio eſt, quia ad bonitatẽ mentis pertinet, vt homo ad iuſtitiæ perfectionem tendat: dicere verò culpam ibi non eſſe, vbi non cognoſcitur, tunc ad mendacium pertinet, non ad mentis bonitatem. Nos verò hoc ſecundo modo, vna cum D. Greg. in Epiſtola ad Aug. Anglorum Epiſcopum loquimur. Vir enim iſte dicebat: bonarum mentium eſt ibi culpas agnoſcere, vbi culpa nõ eſt, & hoc reſpectu iuſtitiæ. Enodato iam primo puncto, ſupereſt modo vigoris efficaciam conſcientiæ contemplari, nam uidetur, quòd huius ligatio quatuor modis poſſit intelligi. Primo per modum coactionis: ſecundo per modum ſuppoſitionis, vel per modum conſequutionis finis alicuius: tertio per modum principalis actoris: quarto per modum inſtrumẽtalis agentis. Primo modo non, quia uoluntas libera à nullo cogi põt. Secundo modo ſic ad conſequtionem finis dicitur ligare hominẽ conſcientia. Tertio modo non ſecus per modum principalis actoris, vt iudex pręcipit. Quarto modo ligat per modũ inſtrumentalis agentis, ſicut pręco, qui velut inſtrumentum iudicis, pręceptum iudicis ad notitiam hominum deducit. Sed dicetis, ex quo conſcientia ligat, quid eſt uoluntatem ligare? Reſpondeo, & dico: conſcientiam uoluntatem ligare nihil aliud eſſe, quàm uoluntatem aſtringere, vt nequeat aliud ſine peccato facere, vel omittere, quàm conſcientia

ſibi

ſibi dictat. Et hęc pro pręſenti ſatis dicta ſint lectione.

597

QVOD CONSCIENTIA RECTA LIGAT SIMPLICITER.
Lectio CLXXVI.

VT extremam imponamus manũ tractatui de cõſcientia, hodierna die quatuor meditabimur. Differentiam primo inter conſcientiam rectam, & erroneam. Secundo quęſitum. Vtrum vermis, ideſt pęna cõſcientiæ maior ſit in damnatis pęna, vel pæna carẽtiæ diuinæ viſionis. Tertio diſtinctionem duplicis conſcientiæ, ſcilicet laudabilis, & appetendæ, & vituperabilis, ſiue deteſtandæ. Quarto rationes tres, quibus mala dicitur conſcientia. Quantum ad primum. In virtute conſcientia recta differt ab illa erronea, nam licet vtraq; ligare uoluntatẽ dicatur, alio tamen, & alio modo ligat recta, & erronea. Nam recta ſimpliciter, erronea verò ſecundum quid. Quod recta abſolutè, & ſimpliciter conſcientia liget in oẽm euentũ ita, vt deponi nequeat, hoc exemplo patet. Sit quis habens conſcientiam deuitandi peccatũ furti, tunc talis hanc conſcientiam ſine peccato non poteſt deponere, quia eo ipſo, quod eam deponeret errando, grauiter peccaret, & ratio huius aſſignatur, quia uoluntati conſcientia dictat bonum, ſub ratione boni: ideo hoc modo obligat, vel aſtringit uoluntatem tendere in bonum. Similiter conſcientia recta dictat malum ſub ratione mali. Ideo ligat, vel aſtringit ſubterfugere illud, & aliter faciendo, grauiter erraret. Conſcientia aũt erronea nõ ligat, niſi

ſecundum quid, & ſub conditione, quia non ligat, niſi inquantum conſcientia erronea creditur eſſe recta. V. g. Antonius habet conſcientiam furandi, vt paſcat pauperem: ſi non furatur, peccat nihilominus, q a illud malum apprehendit, ſcilicet furari ſub ratione boni, talis tamen conſcientia remoueri, ac deponi poteſt, vel debet, abſq; peccato. Vnde non dicitur obligare ſemper, & in oēm euentum, vt ſcilicet recta conſcientia, de qua iam dictum. Et hęc de primo puncto. In altero quæritur. Vtrum pæna magis anima dicatur cruciari, vel illa in damnatis. Ideſt. Vtrum maior conſcientiæ pęna in damnatis, ſit illa ignis, vel pęna carentiæ diuinæ viſionis? Pro intellectu huius difficultatis eſt ſciendum: in damnatis pęnam dici maximam tribus modis: primo, quo ad damnum, & ſic pęna carentiæ diuinæ viſionis eſt maxima, vt dicit Chryſoſtomus, quòd nulla eſt maior pęna damnatorum, quam priuari, & ſeparari à diuina viſione. Secundo modo, pōt accipi pęna eſſe maxima, quo ad ſenſum, & ſic pęna gehennæ maxima eſt inter oēs. Nam ſpiritum ſubeſſe corpori, inter oīa, maximo actiuo, & afflictiuo, eſt maximè afflictiuum ipſius ſpiritus, at dęmones, & animæ damnatorum ſunt ſpiritus: ignis verò inter elementa, & corpora maximè afflictiuus eſt: ergo, &c. Tertio modo, pōt dici pęna eſſe maxima, quo ad inherendi modum, puta, q a immediatius inheret, & ita vermis interior cōſcientiæ, cū ſit pęna immediatè ipſi ſpiritui inherens, dicitur maxima pęna inter oēs. Vnde Iſiodorus de Eccleſiaſtica inſtitutione dicit, quod nulla pęna grauior eſt pęna conſcientiæ, quæ eſt in animabus damnatorum, & in dęmonibus, & ſubdit rationem ibidem, dicens: mens enim malæ cō-

ſcientiæ,

ſcientiæ his ꝓpriè ſtimulis agitatur. Et hęc de ſecundo puncto. In tertio cum detur duplex conſcientia ſegmento: ſcilicet laudabilis, & appetenda: altera uerò vituperabilis, & deteſtanda: videndum eſt, propter quid conſcientia ſit laudabilis. Mihi appetenda, & laudabilis apparet, propter rationes quatuor, ſcilicet propter bonitatem, puritatem, ſinceritatem, & tranquillitatem; appetenda enim, laudabiliſq; dicitur conſcientia primo ex ordinatione affectionis ideo bona. Secundo ex excluſione criminis, ideo pura. Tertio quia ſine duplicitate intentionis, ideo ſincera. Quarto quia ſine vermis remorſione: hinc tranquilla uocatur. Vnde illi boni, qui bonam habent conſcientiam in ordine ad finem, qui finis duplex eſt, quo, & in quo: quo dicitur ille, quo quid ſcitur, & ſic charitas eſt finis oīum operum noſtrorum. Finis in quo, ſcilicet quieſcitur, ſic ſolus Deus eſt finis noſter, ad quem per bonam conſcientiam, puram, ſinceram, & tranquillam deuenitur. Ex quo de bona hactenus ſumus loquuti conſcientia, conſequenter nunc in quarto puncto de mala, & cur mala dicatur agendum. Dicitur ergo mala triplici ratione, vel quia eſt coinquinata, de qua dicitur ad Titum primo: coinquinatæ ſunt eorum, & mens, & conſcientia: quaſi dicat, eorum mens coinquinata eſt quantum ad intellectum, & conſcientia quantum ad affectum: ita quod intellectiua virtus, & affectiua ſunt coinquinatæ, vel dicitur cõſcientia mala, quia cauteriata, de qua prima ad Thim. iiii. Habentes cauteriatam conſcientiam, ideſt corruptam, praua cogitatione, & aductam, malæ concupiſcentiæ igne. Nam cauterium eſt carnis corruptio ex igne, vel per ignem facta. Tertio mala dicitur conſcientia, quia eſt

pertur-

perturbata, de qua Sapien.xvii. ſem̃p enim præſumit ſeua perturbata conſcientia. Q̃d verbum tribus modis exponitur. Primo ſic: conſcientia perturbata ex remorſu vermis, præſumit ſeua, quia extollitur contra Deum peccare non timens. Secundo exponitur ſic: conſcientia perturbata, ideſt inquieta, & crudelis eius, qui non habet tranquillitatē præſumit ſeua, ideſt extollitur alios affligēdo. Iſaiæ lvii. Cor impij, quaſi mare feruens. Tertio modo exponitur ſic. Conſcientia perturbata, ideſt eius, qui deſperauit ex crimine, ſemper præſumit ſeua ſuper ſe ventura antequā veniant, ſicut fecit Caym, qui antequam puniretur à Deo dixit: ero vagus, & profugus ſuper terram: oı̄s qui viderit me, occidet me. Ex his colligi debet malā conſcientiam, tribus oſtendi debere: ſcilicet Deo, ſibi, & ſacerdoti. Primo ſibi ad cognoſcendum periculum ſuæ infirmitatis. Secundo Deo, ad remedium ſuſcipiendum, vel beneficium remiſſionis. Vnde Pſal. Tibi ſoli peccaui: domine miſerere mei. Tertio debet oſtendi ſacerdoti ad quærendum conſilium ſatisfactionis, & beneficium abſolutionis. Vnde Lucæ quinto. Vade oſtende te ſacerdoti. Et hęc pro præſenti.

AN CONSCIENTIA AD INTELLECTVM, VEL AD VOLVNTATEM PERTINEAT.

Lectio CLXXVII.

SVperſunt adhuc duo alia inquirenda de conſcientia: quorum vnum breuitatis amator in præſenti aperiam, alterum verò in ſequentem transferam lectionem. Ex quo ergo multa de con-

ſcientia

ſcientia ſunt à nobis determinata in ſuperioribus noſtris ſermoni-bus, nunc vnum maxima conſideratione dignum in dubium reuo-candum, & eſt. Vtrum conſcientia ad intellectum, vel ad uolun-tatem pertineat. Mihi primo aſpectu videtur eſſe dicendum, qđ ad uoluntatẽ, non intellectum ſpectet. Nam ſi ad intellectum; tunc habens maiorem de operandis cognitionem, maiorem quoq; habe-ret conſcientiam, at hoc minimè verum: igitur non pertinet ad in-tellectum, ſed ad uoluntatem. Preterea: ſi intellectui aſcribenda foret conſcientia, vel eſſet potentia, vel habitus, vel actus: non primum, quia potentia ineſt à natura, conſcientia aũt non; nec põt dici actus, quia tunc in dormiente non maneret, quod eſt falſum. Nec habitus, quia per multos habitus dirigimur ad agenda: ergo, &c. In contrarium arguitur, quia conſcientia ſecundum nominis Ethimologiam importat ordinem ſcientiæ ad aliquid, & ſcientia ad intellectum ſpectat: ergo, &c. Pro dilucidatione huius queſiti, primo ſignificata intellectus premittenda ſunt: inſuper, concluſio ponenda: tertio rationes iam adductæ ſoluendæ. Quantum ad pri-mum. Intellectus dicitur multipliciter. Vno modo, vt eſt donum Spiritus ſanct. Eſa. ii. Requieſcet ſuper eũ ſpiritus ſapientiæ, & intelligentiæ. Sic intellectus ſecundum Lyram capitur ꝓ dono in-fuſo, quo perficitur ſpeculatiua ratio ad apprehenſionem veritatis per donum conſilij. Secundo dicitur intellectus notitia principio-rum. Tertio capitur pro actu intelligendi. V.g. dùm dicitur. Hic eſt intellectus meus, vel tuus, & illius eſt ſyllogizare, & diſcur-rere, & eſt vis, animæ, quæ inuiſibilia percipit, ſecundum Aug. in lib. de ſpiritu, & anima. Ab alijs dicitur eſſe quoddam ſpiri-

tuale

tuale lumen, ſub quo, vel in quo per experimentum diuina guſtantur. Dicitur ēt donum, quo gratuitè cognoſcimus diſpoſitiones cęleſtium, per eaſq; tendimus in Deum ſic diſponentem. Intellectus verò noſter duplex eſt, ſcilicet humanis, & fidelis. Si vt humanus, ſic intelligit conuerſus ad imaginem, & ſenſum, & iudicat ſecundum cauſas intrinſecas, & inferioris, iccirco deficit in aſſentiendo, quia non aſſentit, niſi ſecundum manuductionem, quæ ortum habet ab imaginatione, & ſenſu. Fidelis aūt intellectus pręualet ei, qui eſt humanus; nam eleuat ipſum extra animalitatem, non tamen ita eleuat, qđ comprehendat, vt meritum fidei integrum maneat, hęc S. Bonauentura. Intellectus adhuc duplex eſt, ſcilicet practicus, & ſpeculatiuus. Intellectus ſpeculatiuus ſecundum Ariſtotelem, eſt reſpectu veri, vt verum eſt. Intellectus verò practicus dicitur conformis appetitui, cuius obiectum eſt non ſolum verū ſub ratione veri, ſed ſub ratione boni. Ab alijs dicitur practicus, quia circa agibilia, & factibilia uerſatur. Nunc ponatur cōcluſio talis. Conſcientia ex ſignificatione uocabuli pertinet ad intellectum, non vt habitus, ſed vt actus, qui eſt teſtificari reſpectu eius, quod ſit factum an benè, vel malè. Poteſt ēt ad uoluntatem pertinere ſecundum actuum diuerſitatem, nam quidam eorum ſpectant ad intellectum; quidam verò alij uoluntati attribuuntur, ſicut remordere, quod eſt directè triſtari, de aliquo malefacto. Remorſus enim non dicitur importare ſolam cognitionem malefacti proprij, ſed triſtitiam quandam, vel quaſi punctionem, quæ ad uoluntatē pertinet, vel dicatis, quod conſcientia ſpectet quantum ad actum ad intellectum, & cognitionem, at quātum ad electionem, ſiue ad electionis

actum

actum ad ipſam uoluntatem. His ita poſitis, de facili, quid ad rationes formatas dicendum ſit, patebit. Quantum ergo ad primam de conſcientia ad intellectum ſpectante, vt habitus, ſi precisè ad intellectum pertineret, vt habitus: tunc habens de operandis maiorem cognitionem, ſimiliter maiorem haberet conſcientiam, at non ita eſt, quia conſcientia intellectui aſcribitur vt actus, non vt habitus: quare ratio nulla ex ſuppoſito falſo, vel aliter dicatis, quod habens maiorem cognitionem, habeat quoq; maiorem conſcientiam ſecundum quid, at non ſimpliciter. Rurſus, qđ maiorem ſecundum habitum, at non ſecundum actum, neq; formaliter. Ad ſecundam dicatis, quod conſcientia non dicit vnum habitum, ſed plures, nam in agendis dirigimur ꝑ plures habitus practicos: ſimiliter ex parte voluntatis, in qua ſunt plures habituales inclinationes habitibus rationis correſpondentes: non ergo ſe habet, vt vnus habitus, niſi genericè, quia ſpecificè. Et hęc de pollicitis à nobis.

AN EX FINE OMNES ACTVS, ETC.
Diſtinctio XL.
Lectio CLXXVIII.

SE ſe nobis offert diſtinctio xl. in ordine huius lib. ſecundi. explicanda: cuius continuatio primo ponenda: deinde diuidenda. Quantum ad primum. Poſtquam de actuali peccato in ſe, & quo modo habeat eſſe in uoluntate vt in radice, actum fuit: conſequens modo eſt de vitio operum exiſtentium à uoluntate pertractare. Iam paucis poſita ſerie uerbis vna cum intentione:

nunc diuidi habet hęc pręſens diſtinctio in ſecta ſeptem. In concluſionem primo. In declarationē ſecundo. In propoſitionē tertio. In quęſitum quarto. In opiniones varias circa quęſitum quinto. In Magiſtri declinationem ſexto. In concluſionem cum exemplis ſeptimo Quantum ad primum, vt rem aggrediar, concluſio talis ponitur. Licet exteriores actus boni reputentur, attamen boni, vel mali moraliter cenſentur, ac iudicantur, ſecundum quod ex recta voluntate, vel inordinata oriuntur. Ad quam probandam ſecundo Magiſter ita ꝓcedit loco. Licet oēs actus exteriores boni ſint, quatenus ſunt: nihilominus iudicari ſolēt moraliter boni, vel mali, inquantum ex bona, vel mala intentione procedunt. Illi itaq; ſimpliciter erunt boni, vel mali, qui bonam, & rectam habebunt cauſam, ſeu intentionem ordinatam ad bonum finem. Mali verò illi ſimpliciter, qui ex peruerſa intentione procedent. Vnde Ambr. affectus tuus operi tuo nomen imponit. Hoc idē ēt per illud Euangelij habet confirmari. Non pōt arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus facere: habent ergo actus noſtri metiri, denominariq; à bona, vel nō recta intentione, vt in hoc puncto ſecundo eſt uidere. Nunc tertio venit hęc ponenda propoſitio. Non oēs actus humani per bonam uoluntatem rectificabiles. Ad quā manifeſtandam dubitat quarto Magiſter. Num vniuerſaliter ſit verum, quod oēs actus habeant exteriorem malitiam, vel bonitatem à uoluntate. Circa qđ variæ adducuntur quinta opiniones ſede, nam quidam contendentes volunt oēs actus exteriores de ſe indifferentes eſſe, propterea dicunt generaliter capere ſuam bonitatem, vel malitiam à uoluntate, ex qua prouenire dicuntur. Alij

verò

verò opinantur, non oẽs indifferentes, at de ſe aliquos bonos, quos negant abſolutè recipere ſuam bonitatem à uoluntate ſimiliter, & malitiam. Aliquos uerò è cõuerſo in ſe malos eſſe dicunt, qui etiam ſuam malitiam à uoluntate non videntur habere, nec bonitatem ſuam ab ipſa recipere poſſe. Quoſdam alios uolunt eſſe indifferentes, & tales ſolum malitiam ſuam à voluntate recipere autumeant. Demum ſunt quidam alij, qui conſentire videntur, oẽs actus exteriores à uoluntate bona, vel mala, ſuam bonitatem, vel malitiam ſortiri, illis ſolum exceptis, qui de ſe mali. Nam tales per ſolam boni non videntur fieri poſſe uoluntatem; cui opinioni fauet Magiſter, vt in ſexto ſecto habetis. Demum concluſio cum exemplis venit ponenda talis. Malum intentione pia productum nequaquam iudicatur bonum: actus enim de ſe mali, & ex ſui natura, cauſam habere bonã poſſibile non eſt, vt ſtupra, vt blaſphemiæ, adulteria, vt furari ad ſubueniendum inopi, & ſimilia alia. Hi actus licet cauſas videntur habere bonas, nihilominus actus mali ſunt, vt perbellè habetur in diſtinctione preſenti.

NVM ALIQVIS ACTVS AD BONVM, ET AD MALVM INDIFFERENS DARI POSSIT. Lectio CLXXIX.

INter oĩa, quæ circa preſentem diſtinctionem eſſent dicenda: hoc vnum hodierna die ſpeculandum. Num ſcilicet actus indifferens ad bonum, & ad malum inueniri queat. Mihi ſanè videtur, quod ſic. Nam leuare feſtucam, talis actus indifferens,

ſecundum ſpeciem ſuam eſt: ergo, &c. Deinde, D. Aug. in lib. de ſermone domini dicit, qđ in monte ſunt facta media, q̃ videntur poſſe bono, & malo animo fieri, de quibus iudicare temerarium eſt: igitur ſub his ſpeciebus poterit inueniri aliquis actus indiuidualis indifferens. Pręterea habet Philoſophus in prędicamentis, quod bonum, & malum, ſunt mediata contraria, non ergo erit neceſſe alterum eorum cuilibet actui ineſſe. Demum Magiſter in textu, hoc idem fatebatur: actus itaq; indifferens pôt concedi. Ad hanc quęſtionem terminandam quędam pręmittenda occurrunt, & primo, quot modis actus indifferens accipiatur: quibuſdam enim videtur dupliciter accipi. Vno modo pro actu humano, qui nec eſt virtuoſus, nec vitioſus: puta, qui non eſt elicitus, vel imperatus conformiter rectæ rationi, & propter hoc, quod ratio ſic dictauit fiendum: neq; difformiter contrariæ: licet difformiter contradictoriæ, vt ſi quis actum aliquem elicit, vel imperat: non quia ſic fieri debere ratio dictauit, nec oppoſitũ, ſed quia ita facere placuit, vt operari pro delectatione aliquid, quod recta ratio neq; dictauit, neque eius contrarium. Accipitur ſecundo actus indifferens, vt eſt actus primo indifferens, nec bonus, nec malus moraliter, potens tamen idem numero bonus fieri, & malus, licet non ſimul, ſed ſucceſſiuè. Ad hoc aũt vt actus indifferens fiat virtuoſus, non ſufficit aſſiſtentia rectæ rationis, cui conformetur, ſed oportet, qđ eliciatur actus nouus uolunta:is intrinſecæ virtuoſus, continuationem eius conformiter ad rectam rationem imperans, hoc eſt nouum uelle, quo uoluntas vult actum illum indifferentem, uel prius malum cõtinuare conformiter ad rectam rationem, quod uelle eſſentialiter

dicitur

dicitur virtuoſum, ut latius declarat Occam. Secundo notandum, quod de actu morali dupliciter contingit loqui: vno modo ſecundum rationem, quam ex ſolo ſortitur obiecto abſq; circunſtantijs, vel ſecundum rationem, quam ex obiecto ſortitur cum oĩbus circunſtantijs fini, locis, temporis, & huiuſmodi, & prima quidem conſideratio actus moralis, reſpectu ſecundæ, generalis eſt, vel vniuerſalis, quam quidam appellant conſiderationem actus ſecundum ſpeciem. Altera uerò conſideratio, reſpectu primæ, dicitur particularis, ſiue ſingularis, quæ ſolet vocari ab alijs conſideratio actus ſecundum indiuiduum, & actualem exiſtentiam, quæ eſt cuiuſlibet rei ſecundum eſſe ſingulare, & cũ oĩbus ſuis circunſtantijs. Primo modo contingit dare actum indifferentem, qui nec eſt bonus, nec malus, inquantum non includit aliquid diſſonum, vel conſonum rationi. Si verò actus conſideretur ſecundum rationem, quã ſortitur ex obiecto, non ſolum, verũ ẽt ex oĩbus circunſtantijs loci, finis, & temporis, quæ dicitur cõſideratio penes indiuiduum, & actualem eius exiſtentiam, adhuc diſtinctione erit opus, quia talis actus, aut ex ſola imaginatione procedit, vt cõfricatio barbæ, aut ſequitur rationem deliberantem. Si hoc ſecundo modo, actum indifferentem dari eſt impoſſibile: immo eſt neceſſe fateri; qđ quilibet ſit bonus, vel malus moraliter, & hoc ex ratione deliberante ex fine. His ita poſitis, ad ſoluendas modo rationes ſuperius formatas, ęquum eſt, ut accedamus; dicitur ergo ad primam de feſtuca retione ſpeciei currere argumentum, at ratione indiuidui, hoc negatur, quantũ ad actum indifferentem. Ad illud D. Aug. non erit difficile reſpondere, pręmiſſa diſtinctione ſpeciei, & indiuidui:

patet ex pręcedente queſtione, conſequentia modo probatur, quia ſi bonus moraliter: igitur meritorius, vel demeritorius: quare &c. Deinde omne factum vel eſt ordinatum ad Deum, vel cõtra pręceptum: ſi primo modo, tunc meritorium, ſi ſecundo modo, demeritorium: non ergo indifferens actus inter meritum, & demeritũ dabilis, nec poſſibilis videtur. In contrarium arguunt nonnulli dicentes: ſi talis actus inter meritum, & demeritum indifferens, non eſſet dabilis: tunc iſti actus, ut puta largiri inopi eleemoſynam, honorare parẽtes, & alia huiuſmodi facere, meritorij, vel demeritorij vitæ ęternæ forent, at hoc non conceditur, cum fiant ab illis, qui gratia carent, ut hic ſupponitur: ergo indifferens actus inter meritum, & demeritum dabilis. Circa queſtionem hanc multæ inueniuntur opiniones vtranq; partem defendentes: quidam enim uolunt, oẽm actum procedentem ex habente gratiam, & à deliberatione, meritorium, vel demeritorium eſſe: in non habente uerò gratiam videntur admittere aliquem actum nec meritorium, nec demeritorium. Quas dimittentes opiniones, & ad ueritatem, duce Deo, declinare uolentes, pro queſiti dilucidatione paucis dicemus: non oẽm actum à deliberatione procedentem meritorium, vel demeritorium eſſe uitæ ęternæ: ſunt igitur complures indifferentes actus ẽt in habentibus gratiam: cuius ratio patet, quia circunſtantia illa, quæ eſt concomitans actum, & non informans, nullam bonitatem, vel malitiam ponit circa ipſum, vt patet tàm in bonis, quàm in malis. In malis, quia infidelitas non videtur ponere aliquam malitiam circa actum moralem hominis infidelis, niſi quando actus aliquo modo ex infidelitate procedit, tunc enim

eſt conditio informans, & nō ſolū concomitans. Similiter in bonis, immo fortiori ratione, quia facilius contrahit actus deformitatem, quam rectitudinem, & facilius eſt deficere, quam rectè agere: pp quod ſi mala circunſtantia concomitans deformitatem non addit, nec bona nouam addet bonitatem. Nunc eſt ita, quod in habente gratiam, & faciente opus bonum moraliter contingit quod gratia eſt circunſtantia concomitans, & nullo modo actum informans, V. g. cum aliquis ſolo dictamine rationis naturalis ductus reddit alteri, quod ſuum eſt: gratia itaq; nullam bonitatem dicitur dare tali actui: quare non meritorius. His ita pręmiſſis, nunc ad rationes formatas accedo, & ad primam dico, quod bonum, & malum in moribus circa actum deliberatum priuatiuè opponuntur: ideo alterum neceſſe eſt ineſſe, at meritum, & demeritum vitæ ęternæ circa actum deliberatum in habente gratiam, vel in non habente, non opponuntur priuatiuè, ſed vt contraria mediata ſunt, quia meritum ordinem dicit, ſeu rationem demeriti, vel debiti reſpectu debitæ mercedis. Demeritum uerò dicit ordinem, ſiue rationem demeriti, vel debiti reſpectu pęnæ. Vnde vtrunq; ſecundum ſuam rationem formalem debiti, importat rationem, ſeu iuſti, reſpectu pręmij, vel pęnæ; quia actus bonus moraliter non meretur pęnam, nec uitam ęternam, quando non eſt gratia informatus: ideo talis actus nec dicitur meritorius, nec demeritorius uitæ ęternæ: primi ergo, vt ex dictis patet, argumenti aſſumptum diſtinctione egebat. Ad alterum in ordine ſecundum dici pōt argumentum, qđ minor gloſanda uenit, immò neganda. Nam non oīa bona uitæ dicuntur ęterna remunerari, nec oīa mala puniri pęna ęterna: quare non

ſequitur,

ſequitur, quod oīs actus vitæ ęternæ ſit meritorius, vel demeritorius, quamuis bonus, vel malus moraliter, ſed meretur temporalia pręmia, vel pęnas. Ad illud in cōtrarium ex dictis, quid tenendū, patet. Quęrendum modo uenit, Num idem actus poſſit eſſe bonus, & malus. Mihi videtur eſſe tenendum, qđ non, nam ſi hoc poſſibile eſſet, vel ſimul, vel ſucceſſiuè; non ſimul, quia bonū, & malum priuatiuè opponuntur; non ſucceſſiuè, quia ut habitus bonus, & malus ſucceſſiuè eſſe non pōt: igitur nec actus. Pro intellectu huius quęſiti conſiderandum uenit, bonū, & malum duobus accipi poſſe modis: videlicet in diuerſis generibus, vel in eodem genere. Si primo modo, V. g. vt bonum in genere naturæ, malum uerò in genere moris, vel è conuerſo, ſic malum, & bonū, poſſunt eſſe ſimul in eodem actu: cuius ratio eſt, quia illa, quæ nullam habent inter ſe oppoſitionem, dicuntur ſe compati in eodem, at bonum naturæ, & malum moris ſic ſe habent: ergo. Et ita actio claudicantis ad Eccleſiam in genere naturæ mala eſt, at bona in genere moris. Si verò bonum, & malum ſumantur in eodem genere, ſcilicet moris, vt ad pręſens loquimur: poſſibile non eſt, eſſe ſimul. His ſub hac forma conſtitutis, nunc ad argumentum formatum ita dicendum, qđ minor ſit falſa, nam ſucceſſiuè, vt eidem actus verus, & falſus eſſe pōt bonus, & malus: ſic, & habitus ad intellectū pertinēs. De habitu uerò appetitū perficiente idē erit dicendū: ſi tamen correſpondeat habitui intellectus, in quo verū, & falſum inuenitur. At ſi habitus virtuoſi prudentiæ reſpondentes, cōſiderētur: tunc dicendū, qđ mali nequeant eſſe, quia prudentia non eſt falſa, cum ſit recta ratio rerum agibilium. Et hęc pro pręſenti ſatis.

AN

AN OMNIS INTENTIO, ETC.
Diſtinctio XLI.
Lectio CLXXXI.

ACcedit diſtinctio xli. huius lib. ſecũdi dilucidanda: cuius ordo primo conſiderandus: deinde diuiſio. Declarata itaq; rectitudine, & humanorũ actuum vitio ex parte finis ordinantis: conſequenter idem faciendum erit in pręſenti ex parte principij mouentis; & hęc de ordine, vna cum intentione. Quantum attinet ad diuiſionem: arbitror pręſentem diſtinctionẽ in puncta octo vſurpari poſſe. In concluſionem primo. In quęſitum ſecundo. In argumenta ad vtranq; partem tertio. In conſiderationem de bono quarto. In propoſitionem quinto. In dubium ſexto. In nouam propoſitionem ſeptimo. In vnumq; notandum pro declaratione octauo. Quantum ad primum, Hęc ſit concluſio. Licet infideles quandoq; bona opera exteriora facere videantur, nõ ob id bene agere dicuntur, nec meritoriè. Pro cuius intellectu, cum fides intentionem dirigat, & actus, tàm exterior, quàm interior ab intentione malitiam, vel bonitatem habeat, propterea ſecundo quęrit Magiſter loco, Num oĩs infidelium actus, qui fide non dirigitur, peccatum exiſtat. Dubio propoſito, ad vtranq; arguit partem tertio loco, & primo affirmatiuè ſic. Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ſecundum Apoſtolum, & hoc quia actus infidelium ad finem, qui eſt Dei charitas, & proximi, non refertur. Vnde Diuus Aug. Apoſtoli dictum exponens ait, qđ oĩs infidelium uita peccatũ, & nihil bonũ, ſine ſummo bono, vbi deeſt agnitio ęternæ

veritatis:

veritatis: igitur non habens ſidem, & charitatem, eius actio peccatum eſt. At dicetis uos. Ex alio latere: cur ergo infideles multa bona operari dicuntur? cui difficultati velim uos occurrere diſtinctione premiſſa de duplici bono: ſcilicet in genere, & meritoriè. Vnde infidelium bona, quæ fiunt ab illis, opera, ex genere bona dicuntur, at non bona meritoriè ratione iam alias tacta. Verum quia hic eſt ſermo de bono, propterea quarto infertur loco talis conſideratio. Bonum ſumitur multipliciter, nam aliquando dicitur illud bonum, quod eſt licitum: aliquando ēt illud, quod eſt vtile: deinde ſumitur pro eo, qđ boni ſignum eſt, vel pro habente ſpeciem boni. Inſuper bonum capitur pro illo, quod eſt remunerabile, vel remuneratione dignum. Illis primis modis infideles bonum operari dicuntur, at hoc vltimo modo, nequaquā, quia fide, & charitate carent. Et hęc de quatuor punctis. In quinto ponitur talis propoſitio. Nullum peccatum demeritorium dici debet, qđ non ſit quodammodo uoluntarium. Ad quod videndum, dubium ſexto loco tale eſt ponendum. Num oē peccatum ſit uoluntarium. Mihi certè videtur, quod ſic, nam in peccato originali, & in peccatis ex ignorantia factis, & in omni peccato actuali, ſeu ueniali, vel mortali, aliquo modo uoluntas concurrit: igitur, &c. Confirmatur hęc veritas authoritate beati Aug. vt videre eſt in litera Magiſtri ſent. His ſeptimo additur loco hęc propoſitio. In tantū quis liberè, & uoluntariè operatur, quod ēt ipſa mala uoluntas, qua peccatur, peccatum nominetur. Ad quam cognoſcendam ueritatem, hoc vno notatu digno Magiſter vtitur, dum dicit loco vltimo: qđ peccatum adeo eſt uoluntarium, quod non ſolum actus peccati peccatum

nomina-

nominatur, verum etiam ipſa uoluntas, qua actualiter peccatur, peccatum appellatur, inquantum in ea ſcilicet peccatum reperitur. Et hęc de tota diſtinctione ſatis.

INTENTIONEM AN DIRIGAT FIDES. Lectio CLXXXII.

IN explanatione pręcedentis diſtinctionis de duobus maximè erat ſermo, de fide ſcilicet, deinde de uoluntate, in qua peccatum dicitur conſiſtere: iccirco iuxta iſthęc duo, quęſita excitanda occurrunt duo. Quorum primum; an fides intentionem dirigat: alterum, an uoluntarium ſit peccatum. Quantũ ad primum, audeo declinare ad negatiuam partem primo ſic: bona videntur opera in non habentibus fidem: non igitur fides dirigit intentionẽ. Quod aũt antecedens verũ ſit, ex ſanctis iſtis colligitur, Hierony. & Aug. à quibus quidam eorum commendantur: intentum itaq; noſtrum patet. Amplius nonne in Chriſto multa bona opera fuerunt? certè ſic, at ipſe fidem non habuit, quia erat comprehenſor, & quia nihil, quod ſonet imperfectionem, illi attribuendum: fides propterea non dirigit intentionem, vt dicebat Magiſter ſent. in litera. Ex alio latere, quia illius ſolius eſt dirigere intentionem, cuius eſt vltimum finem oſtendere, cuiuſmodi Deus eſt, & cognitio naturalis ad vltimũ finem non pertingat, ideo per fidei donum id nobis aſcribendum: quare fides, quod dirigat intentionem, erit dicendum. Pro determinatione huius difficultatis, primo vnum ſupponendum, videlicet, intentionem eſſe actum uoluntatis tendentis

dentis

dentis in finem, his mediantibus, quæ ſunt ad finem, vt alias diximus. Deinde ſciendum, qđ fides dirigit intentionem reſpectu finis vltimi ſpecialiter, ſimiliter reſpectu cuiuſlibet finis generaliter: nec id mirum, quia ſola uoluntatis, vel intellectus inclinatio non ſufficit ſine habitu charitatis ad diligendum Deum, tanquam vltimum finem: qui finis cũ nequeat ſufficienter oſtendi, vt prima veritas, & primum bonum uoluntati, hinc habitus fidei ponendus, dirigens noſtram uoluntatem in vltimum finem: fides ergo dirigit, vt auditis, intentionem. Num uerò fidei directio neceſſaria ſit ad bonitatem cuiuſlibet operis, diſtinctione opus erit ad hoc videndũ: datur enim duplex bonitas, vna uitæ ęternæ meritoria, quam ſolus Theologus cõſiderat: altera uerò moralis, de qua Philoſophus. Loquendo itaque de prima bonitate, nulli dubium, quin ad eam non ſit neceſſaria directio intentionis per fidem. Nam impoſſibile eſſet velle uiam ordinare ad terminum ignotum, ad quem dirigit ipſa fides: ergo. Altera uerò nõ eſt neceſſaria, alioquin impoſſibile eſſet, quod infidelis ſe ad fidem diſponeret, ſi ad omne opus bonum fides requireretur. Ad bonum aũt uitæ ęternæ meritorium neceſſaria equidẽ. His ita pręmiſſis, ad duas rationes diluendas nunc accedo, & ad primam dico: currere de bono morali non de meritorio, de quo hic nos intendimus. Nulli ergo mirum ſit, dùm dicitur, quod intentio recta de vltimo fine, non requiritur ad omnem bonitatem actus, ſed ſolum ad meritoriam. Ad alteram rationem de Chriſto, paucis dico, quod aliud eſt loqui de ratione enigmatis, quod nõ fuit in Chriſto, & aliud de ratione cognitionis perfectiſſimæ, q̃ fuit in Chriſto, de vltimo fine: quare, licet ipſe reſpectu enigmatis, ſiue

enigmaticæ

enigmaticæ cognitionis, fidem non habuerit, quia comprehenſor: nobis tamen uiatoribus neceſſaria ad completam vltimi noſtri finis cognitionem habendam, & ita ratio currit de comprehenſore, at nulla eſt de uiatore. Explanato primo dubio, alterum accedit, de quo diſſerendum. Num ſcilicet omne peccatum uoluntarium ſit: quibuſdam uiſum eſt, quod non. Nam illud peccatum, qđ per ignorantiam fit, non videtur eſſe noluntarium: ergo. Ex alio latere D. Aug. referente Magiſtro in litera dicebat, qđ peccatum adeo eſt peccatum, quia uoluntarium, nam ſi nõ eſſet uoluntarium, nulli reputaretur peccatum. Pro intellectu huius difficultatis, quot modis voluntarium accipi poſſit in preſenti uobis conſiderandum. Nam duobus ex Theologorum uoto dicitur modis. Vno modo, quia eſt in poteſtate uoluntatis, quo modo omne peccatum uoluntarium eſt, quia de his, quæ non ſunt in noſtra poteſtate, nec laudamur, nec vituperamur. At pro peccato uituperamur, & pro actu virtutis laudamur: ergo. Alio modo aliquid uidetur poſſe dici uoluntarium, non quia eſt in poteſtate uoluntatis ſolum, ſed quia eſt in uoluntate ſubiectiuè, & ſic dicendum erit, quod actus ille, cui primo, & denominatione intrinſeca cõpetit ratio peccati ſubiectiuè habeat eſſe in uoluntate. Alijs aũt actibus à uoluntate imperatis, ratio peccati minimè cõpetit, niſi ſecundario, & denominatione extrinſeca, vt magis apertè in diſtinctione ſequẽti audietis. Nunc illa unica ratio formata diluenda, deinde erit finis. Dicitur ergo, qđ nullũ ſit peccatũ p ignorantiam, niſi ſit talis ignorãtia, quæ penitus nõ excludat voluntarium: qualis eſt iſta, quæ eſt eorum quæ homo poteſt, & ſcire tenetur. Et hęc de propoſitis uobis ſufficiant pauca.

AN VOLVNTAS, ET ACTIO, ETC.
Diſtinctio XLII.
Lectio CLXXXIII.

Verſaturi circa quadrageſimã ſecundam huius lib. ſecundi in ordine diſtinctionẽ: ſeriem primo perpendemus, deinde diuiſionem. Ex quo ergo determinatum fuit ſuperius, qualiter ex ſimplici intẽtione, vel uoluntate, exterior actus malitiam, vel bonitatem habeat: conſequens modo eſt, circa prędicta queſtiones excitare nonnullas; ſed id antequam fiat à nobis, diuidenda erit prius diſtinctio in puncta nouem: ſcilicet in cõcluſionem primo. In dubium ſecundo. Circa dubium in diuerſas opiniones tertio. In determinationem quarto. In concluſionem nouam quinto. In dubium pro probatione ſexto. In propoſitionẽ ſeptimo. In peccati diuiſionem octauo. Ex pręmiſſis in capitalium uitiorum tandem enumerationem nono. Quantum ad primum concluſio ſit talis. Quamuis ipſa uoluntas, & actus exterior duo ſint actus diſtincti realiter: vno tamen numero conformitate, vel difformitate moraliter boni, vel mali nuncupantur. Ad quã cognoſcendam venit ſecundo in hunc modũ dubitandum loco. Vtrum mala uoluntas interior & operatio mala exterior, duo nuncupanda ſint peccata, vel vnum. Ad qđ uidendum tertio loco, opiniones diuerſę narrantur: quidam enim arbitrantur, diuerſa eſſe peccata, quam ſuã fulciri uidentur tribus vijs opinionẽ, & primo ſic. Voluntas interior, & actus exterior ſunt diuerſa, vel ergo diuerſa peccata dicenda, aut non diuerſa, at non ſunt, non peccata, quia vtrunq;

peccatum

peccatum eſt: ergo diuerſa peccata; hic Magiſter reſpondendo ait: duos quidem eſſe actus, ſed vnum peccatum, & ratio aſſignatur, quia ambo faciunt vnũ contemptum. Sunt quidã alij diuerſa eſſe peccata aſſerentes, qui ita fantur: illi duo actus, ſi forent vnum tantum peccatum, & non diuerſa, tunc non magis puniri deberent, qui peccant actu exteriori, & interiori ſimul, quam illi, qui interiori tantùm peccare dicuntur, at hoc ualde inconueniens: ergo. Huic rationi ſecundæ occurrite dicentes, q illi, qui peccant ambobus actibus ſimul, certè plus puniuntur, quam illi, qui interiori tantùm peccant: non ideo, quia illi duo actus diuerſa ſint peccata, ſed benè quia ex pluribus eſt patratum peccatum. Tertio vrgent quidam dicentes: mandatis diuerſis actus prohibetur interior, & exterior: igitur uidetur fatendum eſſe, quod ſint peccata diuerſa; volens Magiſter ueritatẽ determinare quarto loco ita dicit: non poſſe argui ex mandatorum diuerſitate, quibus actus illi duo prohibentur, quod ſint peccata diuerſa, quia ſicuti vna charitas Dei, & proximi diuerſis mandatis pręcipitur, ita ẽt actus diuerſi, vnum peccatum facientes, mandatis ꝓhiberi poſſunt diuerſis abſq; hoc, quod ſint peccata diuerſa. His quinto loco talis eſt ponenda propoſitio. Anima per peccatum pulchritudine ſua deſtituta, poſt tranſitum exteriorum, & interiorum actuum manet polluta. Ad quam probandam dubitatur ſexto. Vtrum expleto, & tranſeunte actu, tàm interiori, quàm exteriori, peccatum remanere dicatur, ideſt in homine reatus culpa. Mihi certè, quod non, apparet. Nam illa mala uoluntas, peracto vitioſo actu, non eſt, neq; actus exterior eſt, neq; videtur homo poſtea id uelle, q prius volebat, nec agere,

quod

quod prius egit: quare, &c. Ad hoc Magiſter volens nos docere reſpondere, ſic ait: minimè heſitandum fore, quin actu ipſum peccatum tranſeat, licet remaneat reatus, obligans hominem ad pœnã, ſiue æternam, ſiue temporalem. Et hęc de ſectis ſex. Accedit ſeptimum hac propoſitione contentũ. Peccatum, quatenus ad diuerſa comparatur, uarijs accipitur modis. Ad quod uidendum, octauo ponitur loco peccati diuiſio: diuidi enim ſolet in duo, quantum ad eius radicem, peccatũ. Nam ex duobus quis peccare dicitur, primo ex cupiditate malè incendente: rurſus ex timore perperam humiliante, ad quæ duo peccata õia mortalia reducuntur, vel enim oĩs peccans appetit non appetenda, aut timet non timenda. Pręterea videtur peccatũ diuidi poſſe, quãtũ ad eius actum: ſic per beatum Hierony. ſuper Ezechielem dicentem, quod tripliciter peccatur, aut cogitatione, aut locutione, aut opere: q̃bus tribus modis beatus Hierony. quartum addit, videlicet, conſuetudine. Tertio peccatum diuiditur, quo ad eius obiecta: ſecundum quod dici conſueuit, quod quandoq; peccatur in Deum. V. g. cum quis per hęreſim, vel in alijs, quæ Dei ſunt, malè ſentit de Deo: quandoq; ẽt in proximum, ut cum eum in ſe, vel in ſuis iniuſtè lędit: quandoq; ẽt in ſe ipſum: dùm ſibi, & non alteri nocet. Quarto, ut peritis dilucidum, ac perſpicuum eſt, peccatum diuidi põt, quantum ad nomen, quo nominatur, nam dicitur peccatum ſecundum beatum Aug. ratione malæ actionis, vel quia ſcienter committitur delictum uerò ratione derelictionis boni: quoniam in quolibet peccato bonum deſeritur, & malum operatur, vel ẽt, quia ignoranter committitur. Iſtis pręmiſſis, nono veniunt capitalia enumeranda vitia loco.

Septem igitur ſunt, & capitalia ſic dicta, quia oĩa alia peccata ex iſtis ſeptem peccatis mortalibus oriuntur, quæ per ſeptem gentes ſignificantur, quas dominus expulit per filios Iſrael de terra promiſſionis. Et hęc de tota diſtinctione ſatis.

DE ACTV INTERIORI, ET EXTERIORI. Lectio CLXXXIIII.

QVia mẽtio facta fuit in heſterna lectione de duplici actu, videlicet interiori, & exteriori: iccirco primo nunc inquirendum erit. Num actus interior, & exterior, ſint duo peccata. Pręterea, in bonis, num tales actus duo merita quoq; dicenda. Circa primum. Quibuſdam viſum eſt actum interiorem, & exteriorem eſſe duo peccata, non vnum tantùm, quia pluribus opponuntur mandatis: ergo. Aſſumptum ſic patet, nam duo ſunt pręcepta, propter quorum vnum prohibetur actus exterior, V.g. non furtum facies: per alterũ uerò actus interior, V.g. non concupiſces rem proximi tui: duo ergo videntur eſſe peccata. Vlterius: Deus dicitur punire interiorem actum, ẽt ſi ſit ſine exteriori, iuxta illud Euangelij, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mechatus eſt in corde ſuo. Mundus aũt punit actum exteriorem, & non interiorem, niſi ſit cum exteriore, duo ergo ſunt peccata, actus interior, & exterior. Ex alio latere, quia huic duplici actui nõ imponitur niſi vna pęnitentia: igitur ibi vna tantùm culpa. Pro dilucidatione huius quęſiti, velim uos primo ſcire, qd actus exterior, & interior coniuncti, vnum eſſe dicuntur

peccatum,

peccatum, non plura. Inſuper, propriè loquendo, notare debetis, q̃d peccatum directè nõ dicit actum, ſed defectum actus, vel actum defectuoſum, ita vt ratio formalis peccati ſit defectus, vel deformitas, propter quod ſtatim luce clarius apparet, quod cum in vno actu ualeant eſſe plures defectus, vel deformitates ſimul, quæ diuerſæ, & ſeparatæ ſint, tunc in tali actu plura peccata concedentur, V. g. cum quis cognoſcit non ſuam in loco ſacro: ratione cuius peccat luxuriæ peccato primo: deinde ſacrilegij peccato propter irreuerentiam ſacri loci. His ita poſitis, nunc, ad rationes quid dicendum, audite. Nam ad probationem aſſumpti primi argumenti eſt ſciendum, quod actus interior, & exterior vniti diuerſis non prohibentur pręceptis, ſed uno tantùm, ut patet de illo, nõ occides, &c. Nam nunquam factum exterius prohibetur, niſi quatenus à voluntate interiori procedit. Quando uerò actus interior non prorumpit in exteriorem propter aliquod impedimentum, benè dicuntur prohiberi diuerſis pręceptis, & ita plura peccata erunt ob actuum interiorum pluralitatem, & non propter pluralitatẽ actus exterioris cum interiori: aſſumptum itaq; probatum admitto illo modo, at nego alio. Ad argumentum ſecundum dico. Nec Deum iuſtè, nec mundum punire actum exteriorem, ſi ſit ſine interiori: Deus tamen, qui nouit hominum corda, dicitur actum interiorem punire ſine exteriori, at mundus, quia hoc non poteſt, ideo non dicitur actum interiorem punire, niſi pro quanto prorumpit in actum exteriorem, & ita ex reſponſione patet, rationem peccare ex falſo ſuppoſito. Iam declarato primo dubio, ſubſequitur alterum. Vtrum ſcilicet: iſti duo actus in bonis merita duo ſint. Quibuſdã videtur

eſſe ſuſtinendum, qđ ſic. Nam voluntati bonæ ſine exteriori opere debetur pręmium eſſentiale: adueniente uerò, ſiue accedente opere exteriori, tunc eſſentiali pręmio additur accidentale, vt patet de aureola, quæ martyribus debetur pro opere, & non pro ſola voluntate: ergo in bonis iſti duo actus videntur merita duo eſſe. In oppoſitum ſe habet beatus Bernardus, qui dicit, qđ bona voluntas ſufficit ad meritum, & bona actio requiritur ad exemplum; Chriſoſtomus verò ſuper Matthęum ait, quod voluntas eſt, quæ remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo. Opere autem ſunt teſtimonia voluntatis, ex quibus videtur, qđ totum meritum conſiſtat in actu uoluntatis, & nullo modo in actu exteriori. Pro reſponſione dicendum eſt, qđ uoluntas ſine actu, licet ęque bona, vel moraliter mala, ſicut uoluntas cum actu (ſuppoſito, qđ ſit ęque perfecta) tamen non dicitur ęque meritoria, vel demeritoria, cũ ad alterum ordinetur. His ita conſtitutis, ad rationem formatā de facili erit reſpondendum ſic, quod actus interior, & exterior coniuncti vnica remuneratione dicuntur remunerari, cum vnum ſit meritum radicaliter in actu interiori exiſtens, & formaliter in actu exteriori, vbi ſit facultas operādi. Vnde quādo Deus ſummè pius, & miſericors actum interiorem pręmiat ſine exteriori: id totum ex beneplacito ſuo magis, quā ex aliquo merito, de condigno prouenire fatendum. Non ergo totum meritum conſiſtere dicitur in actu interiori, alioquin actus exterior ſuperfluus eſſet. Vnde martyribus pro actu bonæ uoluntatis, & operis aureola dùm datur: hoc non prouenit ex actibus iſtis duobus, ſcilicet interiori, & exteriori, tanquam ſint in bonis duo merita, at benè vt coniuncti, &

ſubor-

ſubordinati. Similiter & bona, vt loquimur in propoſito, ſunt ſubordinata.

609

NVM PAENAE REATVS TRANSEVNTE ACTV PECCATI REMANEAT.

Lectio CLXXXV.

DVO alia hodierna die percurremus quęſita: quorum primum ad pęnæ reatum pertinet: alterum uerò ad peccatorum radicem. Quęritur ergo primo, Num reatus pęnæ actu peccati tranſeunte dicatur remanere. Mihi equidem quod non videtur. Nam reatus cauſa, nonne peccatum? at ſublato actu peccati, quo modo reatus pęnæ dicetur remanere? non ergo, &c. In oppoſitum ſe habet Magiſter ſent. videtur ergo, q̃d reatus pęnæ, tranſeunte actu peccati, remaneat. Pro intellectu itaq; huius quęſiti, velim uos rectè conſiderare: peccatum tranſire, duobus modis poſſe intelligi. Vno modo per ſolam actus ceſſationem: alio modo per peccati dimiſſionem: primo modo, tranſeunte actu peccati remanet reatus, quia ex debito iuſtitiæ nundum eſt ſatisfactum. Alio verò modo dicitur tranſire peccatum, non ſolum per actus, verum ẽt per peccati remiſſionem; & ſic dico, q̃d peccatum totaliter ſi dimiſſum eſt tunc temporis, oĩno nullus reatus remanet. Nam peccatum remitti, nil aliud eſt, quàm ipſum ad pęnam non imputari. Quando aũt totaliter nõ ſit remiſſum, ſed de debito pęnæ ęternæ mutatum in pęnam temporalem: tunc aliquis reatus remanere dicitur. His oĩbus pręmiſſis, nunc ad argumentum formatum

dico: peccatum eſſe cauſam reatus, dupliciter poſſe conſiderari, vel ratione actus, dùm ſit, vel ratione inducentis defectum iuſtitiæ. Primo modo peccatum non eſt cauſa reatus, dùm ſit, ideſt ratione actus, dùm ſit: nec ratione eiuſdem, inquantum preterijt, at benè quatenus defectum iuſtitiæ inducit: quo manente, remanet reatus, & quo ſublato per reintegrationem iuſtitiæ, aufertur reatus. Ad Magiſtrum in oppoſitum ſe habentem, quid dicendum ſit, ex dictis manifeſtum eſt. Completo iam de duobus quęſito primo: accedit alterum, vbi de radicibus peccatorum inquirendum. Num rectè à Magiſtro in litera aſſignentur. Mihi primo aſpectu videtur eſſe dicendum, qđ non. Illud enim, ex quo aliquid naſcitur, eius radix dici poteſt, at ex amore naſcitur timor: igitur amor timoris non videtur eſſe diſtincta radix peccandi contra amorem. In contrarium ſe habet Magiſter in litera. Iccirco ꝑ determinatione huius quęſtionis, quot modis ſoleat accipi radix ſciendum. Aliquando enim generaliſſimè accipitur, & aliquando generaliter: tertio minus generaliter. Generaliſſimè, vt cum dicitur libido, ſiue cupiditas eſſe radix oīum malorum. Generaliter uerò, vt cum dicitur, quod duplex eſt radix, amor malè accendens, & timor malè humilians. Amor etenim accipitur reſpectu boni, & timor reſpectu mali. Minus uerò generaliter, vt cum dicitur, triplex eſt radix, ſcilicet concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorū, & ſuperbia vitæ: per comparationem ad triplex bonum, ſcilicet ad bonum inferius, exterius, & interius. Hinc eſt, quod dicitur: ſuperbia initium peccati, propriè loquēdo, & cupiditas radix oīum malorum. Pręterea eſt notandum: latum eſſe diſcrimen inter initium, & radicem.

radicē. Nam initium ꝓpriè dicit illud, à quo motus inchoat. Radix verò dicit illud, vnde fomentum trahitur, & nutrimentum, & ideo cum peccatum trahat fomentum ex parte appetibilis, & dicat receſſum à Deo: hinc eſt, quod initium attenditur, ex parte auerſionis, & radix ex parte conuerſionis propriè loquendo. Et quia auerſio eſt ex ratione contemptus, & conuerſio ex cupiditatis, ſiue libidis ratione, hinc ſuperbia propriè dicitur initium oīum peccatorum, & cupiditas dicitur eſſe radix. Et quia in omni peccato illa ſuperius tacta inueniuntur duo: ſcilicet auerſio, & conuerſio: ꝓpterea ſuperbia initium dicitur oīum peccatorum, & cupiditas radix omnium malorum; at dicetis, libenter tertio ſciremus loco. Num capitale vitium à radice differat, ad hoc reſpondetur, quod ſic. Nam vt caput principale membrum dicit, & completum, q̃d eſt aliorum principiorum, quantum ad motum, & ſenſum: ſic capitale vitium completum nominat peccatū, à quo omnia alia vitia oriuntur. Radix uerò dicit aliq̃d ſub maiori incompletione: quare propriè loquendo radix non videtur nominare genus peccati determinatum, ſed tantùm libidinis pronitatem, quæ ad oē concurrit peccatum. Hęc ſanctus Bonauentura. Secundum verò Antoni. peccatorum radices quinq; dicuntur: prima eſt inordinatus amor ſui. Secunda eſt indiſcretus timor. Tertia cupiditas. Quarta concupiſcentia. Quinta ſuperbia. Ex his colligere debetis, quod radix propriè in plantis dicitur eſſe illud, ex quo planta conſurgit: fomētum habet, & conualeſcit. Similiter tranſumptiuè ſe habet in peccatis, vt iam tetigimus: illud enim, ex quo peccatū germinat, vel conſurgit, fomentum habet, & conualeſcit, radix dicitur. His ita

prẽmiſſis, quid ad rationem adductam ſit dicendum, paucis patere poteſt verbis: currit enim generaliter loquendo. Et hęc ſatis.

AN VITIA CAPITALIA RECTE DISTINCTA PER SEPTEM.

Lectio CLXXXVI.

AD maiorẽ euidentiam eorũ, quæ tacta fuerunt in textu à Magiſtro ſent. duo in prẽſenti percurremus: & primo. Nũ uitia capitalia per ſeptẽ ben è diſtincta; Inſuper Num paria nuncupanda ſint peccata. Quantum ad primum. Duplici via pro parte negatiua ſic arguendum. Illa videntur debere dici capitalia, quæ aliorum ſunt radices peccatorum, at enumerata ſeptẽ, nõ ſic ſe habent, vt patuit ex prẽdeclarata quęſtione: igitur non benè fuerunt aſſignata, ſiue diſtincta per illa ſeptem, quæ ſunt ſuperbia, auaritia, &c. Deinde capitalia vitia videntur dici, quia capitis pęna habeant puniri, at multa ſunt inter illa, q̃ capitis pęna non puniuntuur: quare, &c. Ex alio latere in contrarium ſe habet Magiſter, & Gregorius xxxi. moralium, vbi prędicta vitia enumerans, capitalia uocat ea. Pro intelligentia itaq; huius difficultatis, erit primo ſciendũ, quod ſicut nomen radicis in peccatis propriè non dicebatur, ſed tranſumptiuè, ac ſimilitudinariè, ita nomen capitis. Caput enim in homine dicitur membrũ, ſub quo cętera ordinantur, & continentur: non ſecus in peccatis illud dicitur capitale, quod multa continet, & ſub quo peccata multa ordinantur. Inſuper notandum, peccatum aliud continere, duobus

poſſe

poſſe accipi modis: vno modo ſecūdum rationem originis: vnumquodq; enim aliquo modo contineri dicitur ſub principio ſuo originali, & peccatum, quod ſic continet aliud, radix eius dicitur, vt alias edocti eſtis. Alio modo peccatum vnum aliud dicitur continere, ſecundum rationem vniuerſalitatis more generis ſub ſe ſpecies ſuas continentis: ſub quo ſenſu peccatum continens aliud, capitale vocatur, & ita diuiſio peccati generaliter ſumpti, per capitalia vitia, quaſi diuiſio eſt generis generaliſſimi, in ea, quæ immediatè, ſub ipſo continentur. His ita præmiſſis, nunc rationes duæ formatæ de facili diluendæ ſunt. Ad primam ergo dicitur, q̄d peccatum ex alia proprietate radix dicitur, & ex alia caput. Radix enim vocatur ex proprietate originis, quæ non conuenit omnibus. Caput verò ex hoc, quia ſub ſe plura cōtinet per modum vniuerſalis, & ita competit his, quæ dicta ſunt. Conceditur ergo primo modo ratio, at ſecundo modo eſt nulla. Ad alteram deſumptam à pęna capitis dicitur, q̄d peccatum non debet nuncupari capitale, eo quia capitis pęna habeat puniri, at propter cauſam iam tactam à nobis. Vnde vt capitalia dicuntur ſimilitudinariè, ita ēt abuſiuè ſeptem dicuntur peccata mortalia, cum ſecundum ſingula cōtingat venialiter peccare, & quādoq; mortaliter, & ita de duobus iam vnum in ordine quęſitis, paucis enodatum verbis tenetis. Quęrendum modo eſt. Num paria inter ſe dici debeant peccata. Mihi prima fronte videtur eſſe dicendum, quod ſic, & hoc reſpectu auerſionis à bono incommutabili: inſuper, quia ęqualis eſt culpa, vbi ęqualiter priuatur gratia. In contrarium ſe habet illud, q̄d apud Io. xviii. legitur: propterea, qui me tradidit tibi, maius peccatum

habet,

habet, non ergo paria ſunt peccata. Pro determinatione huius quęſtionis, illud maxima conſideratione dignum erit: peccata ſcilicet, quantũ ad grauitatem, tripliciter comparari poſſe: primo quantũ ad diuerſitatem generum peccatorum, puta mortale, & veniale: ſecundo comparando peccata adinuicem diuerſarum ſpecierum, ſicut mortale mortali, V.g. furtum homicidio, uel ueniale veniali: tertio conferendo peccata eiuſdem ſpeciei, puta furtum furto, vel mẽdacium mẽdatio. Quibuſcunq; aũt modis fiat comparatio, peccata paria minimè, ſed unum eſt grauius altero: V.g. dùm comparatur mortale veniali: ex circunſtantijs quoque vnum peccatum eſt altero maius. Inſuper ratione elongationis à fine: pręterea ratione peccantis maiori conatu. His tanquam veris ſuppoſitis, ad argumentum primum dicitur, quod currit ratione auerſionis, at conuerſionis non. Ad ſecundum conceditur, quod per oẽ mortale peccatum totaliter tollatur gratia, non quia oĩa ſint paria peccata, at quia mortale natum eſt tollere ordinem ſubiectionis ad Deum, vel fędus humanæ ſocietatis ad proximum, & ita nullum eſt argumentum, quia vnum ſupponebat falſum, vt ex ſolutione eſt viſum, hęc intantum.

DE PECCATO.
Lectio CLXXXVII.

IN *gratiam dictorum, & dicendorum in animum induxi meum, grauem illam de peccato materiam contemplari, ne quid vitio mihi poſſit dari. De more itaq; meo prę ſentẽ diuidam*

dam ſermonem meum in ſecta duo: in altero quorum, quod quid eſt peccati, ponam: inſuper documenta ſeptem proponam. Pro intellectu primi puncti, duo in peccato inueniri ſilentio nō omittendum eſſe duxi. Nam vnum actū reſpicit, alterum verò defectum. Primum materiale in peccato dicitur, vt eſt actus conuerſionis: alterum verò formale, vt defectus, ex quo peccatū mali formalem habet rationem. Penes actum primum Aug. contra Fauſtum diffiniens peccatum ita dicit, quod eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legē Dei. Penes verò defectū, tripliciter ſolet finiri. Eſt enim peccatum defectus dirigentis inclinantis, & ordinantis. Primo peccatum eſt defectus legis dirigentis intellectum: ideo dicitur dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, quæ oīa ſe habent loco actus materialis. Sed hic notetis, qđ regula actus voluntarij directiua duplex eſt: ſcilicet ꝓpinqua, vt ratio humana, & remota, vt ſuprema videlicet lex diuina, à quibus, ſi actus à uoluntate elicitus, vel imperatus deficiat, ſequitur peccatum. Inſuper peccatum dicitur defectus virtutis inclinantis affectum, & propter hoc Aug. in lib. de duabus animabus peccatum diffiniens dicit. Peccatum eſt uoluntas retinendi, vel conſequendi qđ iuſtitia negat. Vbi iuſtitia non accipitur ſpecialiter, ſed generaliter, inquantum iuſtitia eſt virtus rectitudini legis concordans, & in commune bonum redundans. Tertio ſolet dici peccatum defectus finis ordinantis. Nam finis vltimus rationalis creaturæ beatitudo eſt, à quo fine mortale peccatum deordinat, & eo priuat. Vnde Aug. in lib. de lib. arb. ita peccatum finiebat. Peccare nihil aliud eſt, quàm ęternis rebus neglectis temporalia ſectari, & ibidem:

peccatum

peccatũ eſt auerſio voluntatis ab incommutabili bono, & cõuerſio indebita ad commutabile bonum. Põt quoq; finiri peccatum penes cauſas quatuor, V. g. penes cauſam efficientem ſic. Peccatum eſt affectio mala uoluntaria, nam affectio mala, ſeu uoluntas eſt prima radix, vel cauſa prima omnis peccati, cuius malæ voluntatis nullus debet cauſam querere, quia inquit Aug. qđ mala voluntas cauſam efficientem non habet, ſed deficientem. Vnde mala affectio non dicitur affectio, ſed defectio. Secundo penes cauſam finalem, dùm dicitur auerſio, à bono incommutabili. Tertio penes formalem ſic, quia eſt priuatio, vel carentia debitæ iuſtitiæ, ideſt rectitudinis voluntatis à principio vſque ad finem, & Aug. Peccatum eſt priuatio modi, ſpeciei, & ordinis. Nam modus, vel menſura voluntatis eſt, vt Deus ſuper oĩa diligatur. Species verò, ſeu rectitudo uoluntatis, vt diligatur Deus, vt principium, & finis oĩum. ordo uerò voluntatis eſt, vt Deus eſt principium, & finis omnium rerum. Primo modo peccatũ eſt priuatio modi, ſed menſuræ, cum creatura amatur, vt Deus, vel plus Deo. Secundo dicitur peccatum priuatio ſpeciei, quãdo Deus non diligitur vt principium, & finis oĩum. Tertio eſt ordinis priuatio, quando Deus non amatur propter ſe, & oĩa propter Deum. Quarto ſolet finiri peccatum penes cauſam materialem ſic. Peccatum eſt dictum, vel factum, &c. Vbi notandum, triplicem dari materiam, in qua, ex qua, & circa quam materia, in qua ecce affectio uoluntaria, nam mala uoluntas, & affectio uoluntaria illud eſt, in quo primo peccatũ actuale fundatur. Materia, ex qua dicitur boni defectus. Vnde peccatum: tunc nil aliud eſt, quã defectus boni incidit enim ex defectu

boni,

boni, ideſt defectu ſcientiæ poſitiuæ bonitatis. Tertio materia circa quam: tunc peccatum dicitur eſſe dictum, vel factum, vel concupitum, nam circa hęc tria contingit eſſe peccatum. Et hęc de primo puncto. In altero documenta ſeptem nobis traduntur de peccato. Primum eſt, quod peccatum à quibuſdam ſic deſcribitur p actum humanum malum. Vnde dici ſolet, quod peccatum eſt actus humanus malus. Ly actus humanus, loco materiæ, ſiue materiale peccati dicitur eſſe. Ly malus, formale peccati. Sed hic notandum, quod aliud eſt actus, ſiue actio hominis, & aliud actus humanus. Nam actus hominis ille, qui ab homine procedit, dici poteſt, non inquantum homo eſt, ideſt quia non procedit à uoluntate ratione deliberata. Actus aũt humanus ille, qui à uoluntate deliberata procedit, & talis actus uoluntarius dici duobus habet modis. V. g. vt actus à uoluntate elicitus, vt uelle, & eligere, vel ut à uoluntate imperatus, vt ſunt exteriores actus, ſcilicet operationis, & locutionis. Vnde peccatum eſt actus uoluntarius elicitus, vel imperatus. Secundum documentum deſumitur ex particula illa in peccati finitione poſita ibi: actus uoluntarius malus. Nam dicitur malus, quia à ſua ratione debita recedit, & à lege diuina. Vnde peccati duplex aſſignatur cauſa: prima, & ſecunda. Prima eſt uoluntas, ſecunda ſunt actus exteriores: ideo Aug. quandoq; definit peccatum per ſolam uoluntatem, tanquam per primã cauſam, & quandoq; per actus exteriores, vt per ſecundam cauſam. Habet ergo peccatum eſſe in duobus: in uoluntate, vt in primo mouente: ſecundo in alijs viribus, vt imperatis, & motis. Tertium documentum eſt, quod ſecundum legem poſitiuam non omne peccatum, ideo eſt malum,

quia

quia prohibitum, at quia ſecundum rationẽ naturalem, & diuinam legem omne peccatum, ideo eſt malum, quia prohibitum. Quartum documentum eſt, quod peccatum aliter conſideratur à Philoſopho, & aliter à Theologo. Nam Philoſophus vocat illud peccatum, q̄d contrariatur rationi, at Theologus illud dicit eſſe peccatum, ſecundum quod eſt offenſa Dei, vel contra Deum. Quintum eſt, quod congruentius finitur peccatum ex hoc, quia eſt contra legem Dei, quam contra rationem; nec mirum, nam per legem ęternam in multis rationẽ humanā excedentibus, ſicut in his, quæ ſunt fidei, in quibus humana ratio deficit. Sextum documentum eſt, q̄d iſta tria, malum, peccatum, & culpa ſe habent adinuicem, vt communius, & minus commune. Nam malum eſt communius, quia habet eſſe in quocunque, ſiue in ſubiecto, ſiue in accidẽte: ſic formæ priuatio habet rationem mali. Peccatum autem eſt aliquis actus debito ordine, aut forma, ſiue menſura carens. Vnde dici pōt, q̄d tibia curua mala ſit, at claudicatio peccatum eo modo loquendi, quo peccatum dicitur effectus peccati: quilibet enim actus inordinatus peccatum dici poteſt, vel naturæ, vel artis, vel moris. Non tamen peccati rationem habere poteſt, niſi uoluntarium ſit, & ſic peccatum videtur eſſe in plus, quam culpa, licet pro eodem ſumantur apud Theologos. Septimum documentum eſt, quod octo nominatur modis peccatum. Macula, vitium, reatus, crimen, culpa, offenſa, ſcelus, & nephas. Macula dicitur peccatum primo, quatenus deformitatem cauſat in parte ſuperiori, vel inferiori animæ. Vitium ſecundo, inquantum cauſat defectum naturalium bonorum. Reatus tertio, quatenus ad pęnam ęternam obligat. Crimen

quarto,

quarto in eo, qđ eſt accuſatione, & pęna dignum. Culpa quinto, inquãtum eſt pęnæ obligatorium. Dicitur offenſio ſexto, quatenus eſt contra Deum. Dicitur ſcelus, inquantũ ſpecialiter eſt in Dei iniuriam. Dicitur tandem nephas, inquantum perpetranti eſt illicitum maximè. Nam phas idem eſt, quod licitum, & nephas illicitum ſonat. Et hęc de pollicitis.

DE PECCATI CAVSA MVLTIPLICI. Lectio CLXXXVIII.

Poſt peccati naturam ſecundo cauſalitatem eiuſdem eſſe cõſiderandam arbitror: propterea primo de more meo pręſentem diuidam ſermonem meum in ſecta duo: inſuper, ad eorumdem explanationẽ accedam. In primo ergo peccati multiplicem tangam cauſam: in altero verò dubium proponã, & illud ſtatim diluam. Quantum ad primum, peccati cauſa quadruplex aſſignari poteſt: prima dicitur permiſſiua, ſcilicet Deus. Altera perſuaſiua, diabolus. Inclinatiua tertia, appetitus ſenſitiuus. Quarta cõpletiua, & effectiua, affectus inordinatus. Deus, vt prima cauſa permiſſiua peccati, dicitur permittere peccata fieri, nec impedire, pluribus rationibus, vt in tractatu de prędeſtinatione diximus, ideo non eſt, quod iterum eadem repetamus. Altera cauſa peccati perſuadens, diabolus, dùm ſcilicet, nos tentat: quibus aũt, & quot modis id fiat, ex dictis, vbi de tentatione loquuti ſumus, manifeſtũ eſt. Tertia cauſa peccati inclinans, vel per modum inclinantis ſe habens eſt appetitus ſenſitiuus concupiſcibilis, vel iraſcibilis, ſicut

amor,

amor, odium, concupiſcentia, & huiuſmodi alia, quæ rationem obnubilant ex vehementi inclinatione, ac paſſione: quibus tales animæ potentiæ uoluntatem ad peccandum inclinant, licet non eã neceſſitent. Quarta cauſa peccati completiua, inordinata voluntas eſt, cuius ratio eſt, quia ſicut actus uoluntarius bonus meriti rationem habet, quoniam eius principium eſt bona uoluntas, à qua procedit: ita actus uoluntarius malus demeriti rationem habere dicitur, quia eius principium eſt mala uoluntas, à qua talis actus elicitus, vel imperatus procedit. Vnde Aug. dicebat: uoluntas eſt, qua peccatur, & rectè viuitur. Ex quibus notandum, qđ peccati cauſa duplex dici poteſt: vna proxima, altera remota. Illa proxima ſumitur ex parte rationis, & uoluntatis: remota verò ex parte imaginationis, & ſenſitiui appetitus. Vnde quando uoluntas mouetur in aliquid ſecundũ rationem, tunc recta, bona, ordinata, & meritoria dicitur. Quando verò mouetur in aliquid contra rationem, ſic non eſt recta, ſed inordinata, mala, & demeritoria. Mouetur ẽt interdũ ipſa uoluntas in aliquid ex apprehenſione appetitus ſenſitiui, ita quod appetitus ſenſitiui inclinatio aliquando trahat rationem, & uoluntatem in aliquid: tunc declinando à regula rationis, & diuinæ legis, aliquando bonum commutabile intendens peccati cauſa nuncupatur, & ſubiecti peccatum propter actus inordinationem, & hęc de prima lectione. In altera in dubium reuocandum venit. Num Deus cauſa peccati dici poſſit. Quibuſdam vſum fuit, quod ſic. Nam Deus dicitur facere quatuor: ſcilicet indurare, excecare, errare, & reprobare. Quantum ad primum, dicitur Exo. iiii. ego indurabo cor Pharaonis, & ſeruorũ

eius.

eius. Quantum ad ſecundum Iſa. ſexto. Exceca cor populi huius. Quantum ad tertium. Iſa. lxiii. Quare nos errare feciſti de vijs tuis. Quantum ad quartum. Dicitur reprobare, ad Rom. primo: Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant, quæ non cõueniunt: ex his videtur, quod Deus ſit cauſa effectiua peccati. At in rei veritate Deus hęc quatuor dicitur facere: non q̄d ſit cauſa alicuius peccati, vel quod malitiam, vel culpam aliquam imittat, vel cauſet, ſed q̄d ꝓ merito, vel demerito peccatoris Deus auxilia ſua ſubtrahit, quæ ſunt quatuor: ſcilicet interior infuſa gratia, exterior cuſtodia, rationis naturalis refulgentia, & naturalia bona, per quæ aliquis peccata, & peccatorum occaſiones excludit, tollit, & vitat. Aliquibus verò pro demerito ſuæ actionis nõ conferuntur. Quando ergo dicitur, Deus indurat cor alicuius, hoc habet intelligi, ſubtrahendo gratiam, quæ cor habet emollire, non imittendo, ſiue culpam, vel malitiam cauſando. Rurſus, dùm dicitur excecare, hoc habet accipi, nõ imittendo aliquid mali, ſed gratiam, quæ illuminare habet ſubtrahendo. Similiter quando dicitur Deus facere errare, hoc non intelligitur, quia malitiam aliquam imittat, ſed gratiam, quæ in vitã ęternã dirigere habet, ſubtrahat. Deniq; cum dicitur reprobare, hoc non fit per imiſſionem alicuius culpæ, ſed per non collationem gratiæ, quæ indignis à Deo nõ confertur. Deus ergo non põt dici cauſa illius, cuius eſt vltor, ſcilicet peccati: ſecundo quia perfectiſſimus eſt, in quo nullus põt eſſe defectus, & licet cauſa ſecunda, ſcilicet ipſa voluntas creata ſit à Deo: non tamen illius defectus remotæ debet aſcribi cauſæ, ſed proximæ. Nam ſicut defectus floritionis, cęlo non attribuitur, q̄d eſt cauſa

 remota,

remota, ſed terræ, vel radicibus cauſæ, quæ ſunt propinquæ, non ſecus defectus ex voluntate ꝓueniens ipſi voluntati aſcribendus, nõ Deo, q̃ cauſa remota eſt, ſiue non impediens. Et hęc de pollicitis.

EX TRIBVS AGGRAVARI PECCATVM. Lectio CLXXXIX.

A*Dhuc circa peccatum principaliter conſideranda venit peccati grauitas, quæ cũ ex tribus cognoſci poſſit, iccirco hodiernus ſermo tres partes habebit. Pręcipuè enim peccatum aggrauatur ex tribus: primo ex conditione perſonæ, quæ tranſgreditur: inſuper ex celſitudine perſonæ, q̃ offenditur, tertio ex integritate ſubſtantiæ, quæ demitur, & aufertur. Primo peccatum ex conditione perſonæ aggrauatur, quæ tranſgreditur, nam quanto quis eſt maior, tanto peccatum eius grauius eſt. Maximè cum peccat deliberatè, ita dicit Iſidorus de ſummo bono, lib. tertio: tanto maius, vel grauius peccatum eſſe cognoſcitur, quanto qui peccat maior habetur. Dicitur autem aliquis maior alio tribus modis: primò ſplendore cognitionis, inquantũ plura ad ſalutẽ pertinentia cognoſcit, ideo talis, cum peccat, grauius peccare dicitur. Secundo eſt maior quis alio valore perfectionis. Nam quanto quis maior eſt in virtute, & charitate, tanto cum peccat, grauius peccat, eo quia ingratus eſt doni, vel beneficij diuinitus ſibi collati. Tertio quis maior alio honore eſt prelationis. Nam prelatus cũ peccat, eodem peccato grauius peccat ſubdito, propter exemplum, & ſcandalum aliorum. Vnde prelatus peccando indignus efficitur, officium exe-*

quendo

quendo in ſpecie propter tria. Primo propter iuramentũ. Secundo propter votum. Tertio propter ſcandalum. Ita alicuius peccatum grauari pręcipuè dicitur propter rationes quatuor. Prima eſt pp̄ reſiſtendi facultatem, quia alios excedens in ſcientia, cum peccat, grauius peccat, eo quia facilius peccato reſiſtere poteſt. Secunda eſt propter ingratitudinem. Vnde alios in bonitate excedens, & virtute, cum peccat, grauius peccat. Tertia eſt propter celſitudinem, vel magnitudinem, nam magnitudo, ſiue perſonæ celſitudo peccatum aggrauat. Quarta eſt propter turbationem, ideo pręlatorum peccatum grauius dicitur, quia ſubditi ex ipſo quam plurimum conturbantur, magiſq; indignè ferunt. Aggrauari ſecundo dicitur peccatum ex conſideratione perſonæ, quæ offenditur, vbi tria cõſideranda occurrunt, bonitas, vel ſanctitas perſonæ: inſuper propinquitas, vel cõſanguinitas: tertio dignitas, vel authoritas. Vnde quanto perſona eſt virtuoſior, & ſanctior, tanto culpa, vel offenſa in eam commiſſa eſt grauior, & hoc quia magis in Deum redundat, à quo oĩs bonitas, & ſanctitas deriuatur. Secundo in perſona, quæ offenditur, debet attendi propinquintas, vel conſanguinitas, quæ triplex eſt: prima per naturæ identitatẽ, ſecũda per carnalem originem, tertia propter amicitiæ dilectionem. Prima coniunctio dicitur per naturæ identitatem, qua quilibet ſibi ipſi eſt idẽ. Vnde culpa tunc magis aggrauatur, quando aliquis ſe ipſum offendit. Vnde odiſſe ſe ipſum extremæ dementiæ eſt ſecundum Hierony. Rurſus dicitur Ecc. xiiii. Qui ſibi inuidet, nihil eſt illo nequitius, & ſubdit cauſam ibidem dicens, qui ſibi nequã, cui alij bonus erit? ideſt, qui ſibi non eſt bonus, alij non eſt bonus, vel ſic. Qui ſibi ne-

quam eſt, ideſt, qui Dei ſui bonis non delectatur, & lętatur, & qui legitimè ſuis bonis non vtitur, ſibi bona ſua per auaritiam ſubtrahendo, qualiter erit bonus alijs bona ſua communicando? qui ergo ſibi non eſt bonus benefaciendo, nec alijs communicando: quare, &c. Altera coniunctio per carnalem originem, qua filius dicitur coniunctus ſuis parentibus, à quibus traxit orginem, & habuit eſſe, & nutrimentum, & diſciplinam. Vnde peccatum multum aggrauatur, quando quis ſuos parentes offendit. Tertia coniunctio per amicitiæ dilectionem illa eſt, qua quis ſuis amicis coniunctus. Vnde peccatũ aggrauatur, quando quis ſuum offendit amicum, quem ſingulariter debet diligere, eiq; ſpecialiter benefacere. His tertio grauitas peccati addenda venit loco, quæ ex integritate naturæ deſumitur, dùm diminuitur, vel aufertur. Nam quanto aliquis alteri nocumentum infert maius, eo grauius peccat. Vbi notandum, nocumenta ſe habere ad peccata quatuor modis. Primo enim quãdo nocumentum pręuiſum eſt, & intentum: tunc nocumenti quãtitas peccati quantitatẽ auget. V. g. dùm quis animo alteri nocendi operatur, vt homicida, vel fur. Secundo modo, nocumentum põt eſſe pręuiſum, & non intentum. V. g. cum quis per agrum alicuius tranſiens, vt facilius ad fornicandum vadat, nocumentum infert his, quæ in agro ſunt ſeminata, tunc non directè auget, ſed indirectè, inquantum ſcilicet ex voluntate ad malum inclinata multum alterius operatur malum, quod ſimpliciter nollet. Tertio nocumentum põt eſſe, nec pręuiſum, nec intentum: tunc ſi per accidens ſe habeat ad peccatum, nõ aggrauare dicitur, niſi per negligentiam, inquantum non conſiderat nocumenta, quæ poſſunt ſequi.

ſequi. Quarto poſſibile eſt: Nocumentum, nec eſſe preuiſum, nec intentum: attamen per ſe ſequi ex actu peccati. V.g. cum aliquis publicè fornicatur, ſequitur ſcandalum plurimorum, & hoc nocumentum, licet peccans nõ intendat, aggrauat tamen peccatum: eſt preterea animaduertendum, quòd cum ſit triplex bonum ipſius hominis, ſcilicet bonum mentis, bonum corporis, & bonũ ſubſtantiæ temporalis, quanto maius bonum remouetur, tanto maius nocumẽtum infertur, & ex cõſequenti peccatum grauius iudicatur, vnde inter cetera peccata in proximum commiſſa, homicidium primo, per quod vita proximi in actu tollitur grauius dicitur. Secundum gradum in grauitate tenet detractio, per quam tollitur fama. Tertium gradum tenet adulterium, per quod generatio, quæ ordinatur ad vitam tollitur, & impeditur: quartum gradum tenet furtum, per quod exterior ſubſtantia tollitur. Ad maiorem tamen notitiam predictorum, hic quatuor cõſideratione digna occurrunt. Primum eſt, quòd non ſolùm nocumentum peccatum aggrauat, ſed ẽ principaliter inordinatio voluntatis. Quãto enim maior eſt voluntatis inordinatio, eo grauius peccatum eſt. Secundum eſt, quòd maior voluntatis inordinatio in peccatis, quæ ſunt contra Deum, quàm in peccatis, quæ ſunt contra proximum, & ideo peccata contra Deum, non ſolum grauiora de ſe, immò grauiſſima. Tertium eſt, quòd quamuis nullus Deo nocere poſſit quantum ad eius ſubſtantiam: nihilominus, quis tentare poteſt nocumẽtum in his, quæ Dei ſunt, vt fidem extirpando, & ſacra violando. Quartum eſt, quòd nocumentum maius homicida infert, quàm fornicator, & adulter, & hoc propter duo: primò, quia homicida directè proximi nocu-

mentum intendit, at fornicator non ſic, ſed delectatior ē. Secundo homicida directè, & per ſe cauſa eſt mortis corporalis, ſpiritualis autem mortis, per ſe nullus eſſe poteſt, ſufficiens cauſa, quia nullus moritur, niſi propria voluntate peccando. Hęc intantum.

EX QVIBVS PECCATI GRAVITAS SVMENDA. Lectio CLXXXX.

NON *pigebit hoc loco multa alia his, quæ ſuperius ſunt declarata addere ad peccati grauitatem cognoſcendā. Solet enim ſeptem alijs modis aggrauari peccatum, vt vos in ſectione prima mei ſermonis intelligetis. In altero uerò, quot modis vnum peccatum altero grauius ſit dicam. Quantum ad primum, prȩter rationes adductas, ex quibus dicebatur aggrauari peccatum, eſt ſciendum adhuc ex ſeptem aggrauari. Primo ex rationis ignorantia: ſecundo ex peccatoris malitia: tertio ex paſſionis vehementia: quarto ex continuatione, vel extenſione: quinto ex multiplicatione: ſexto ex intenſione: ſeptimo ex recidiuatione. Ex rationis ignorantia primo, quia eorum affectata ignorantia, quæ quis ſcire tenetur, & ſcire poteſt à peccato minimè excuſat: immò ipſum aggrauat. Sed hic notandum, quòd ignorantia voluntaria, vel affectata duobus dicitur modis; primò principaliter, & directè, V. g. cum quis vult, & affectat ſtudioſè aliqua non ſcire, vt peccatum excuſationem habeat, vel vt à peccato non retrahatur, ſed vt peccandi maiorem habeat libertatem. Secundo dicitur ignorantia voluntaria, vel affectata indirectè, & ſecundario, cum q̄s*

propter

propter verecundiam, labores, aliaſq; occupationes ea ſcire negligit, propter quæ retrahitur à peccato, & ea facere, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, de qua loquitur Apoſtolus ad Corinth. xiiii. Si quis ignorat, ignorabitur, quaſi dicat: ſi quis ſiue magnus, ſiue paruus ignorat ignorantia affectata ea, quæ ad ſalutē neceſſaria ſunt, ignorabitur, ideſt non diligetur, ſed reprobabitur, & deſeretur. Ita dicitur Matthęi xxv. Amen dico vobis, neſcio vos, ideſt, non diligo, vel ſic. Neſcio vos, ideſt, reprobo, nouit enim dominus, qui ſunt eius, vt ait D. Hierony. vel ſic. Neſcio vos, ideſt, deſero vos, quia ꝑ vitæ meritū non cognoſco. Pręterea ſolet aggrauari peccatum ex peccatoris malitia, quando committitur ex certa malitia; tunc enim grauius illud peccatum extat peccato, quod ex ignorantia, vel impotentia patratur. Tertio peccatum ex paſſionis vehementia aggrauatur, quæ paſſio, vel eſt mala, vel eſt bona: ſi mala, dupliciter ad peccatum ſe habere poteſt, vel antecedenter, vel conſequenter: ſi primo modo paſſio ſit pręcedens actum peccati, tunc diminuit peccatum, quia talis paſſio carnis tentatio dicitur, ſcilicet quando aliquis maiori tentatione peccat, tanto minus peccare dicitur, vt patet per Auguſtinum. Paſſio verò ſequens actum peccati auget peccatum. Vnde quanto aliquis maiori libidine peccat, vel concupiſcentia, tanto magis peccat. Si aūt paſſio bona ſit, tunc erit dicendum, quòd, vel pręcedat rationis iudicium, vel ſequatur, hoc ſecundo modo paſſio meritum auget, ſicut cum aliquis, tanto magis mereri videtur, quanto ex maiori miſericordia inopi ſubuenit. Si verò bona paſſio rationis iudicium pręcedit, vt V. g. homo magis velit ex paſſione, quàm ex iudicio rationis moueri ad benè agen-

dum; tunc talis paſſio diminuit bonitatem, & laudem, & meritum actus. Hęc beatus Thomas. Sed hic notetis, quòd paſſio appetitus ſenſitiui, aut totaliter aufert rationis vſum, aut non. Si primo modo hoc contingit, dupliciter, vel enim à principio fuit voluntaria, vel non: ſi uoluntaria; tunc actus, qui fit in tali paſſione, ſiue per talem paſſionem, imputatur ad peccatum, eo quia talis actus in ſua cauſa eſt uoluntarius, vt patet de illo, qui per hebrietatem homicidium facit. Alio modo paſſio totaliter rationis vſum auferens, ſi nō fuit uoluntaria, vel non ſit uoluntaria, puta cū quis ex ęgritudine, vel aliqua huiuſmodi cauſa incidit in talem paſſionem, quæ totaliter aufert rationis vſum, talis ab omni peccato mortali, & veniali excuſat. Secundo modo, ſi paſſio nō tollit totaliter vſum rationis. V. g. cum quis ex paſſione procedit ad actum peccati, vel ad conſenſum deliberatum nō ſubitò, ſed deliberatè, quia ratio paſſionem excludere poteſt, vel ſaltem impedire, tunc non curando excludere, vel impedire, mortale peccatum eſt; quo modo multa fieri homicidia, & committi adulteria per paſſionē videmus. Aggrauatur quarto peccatum ex continuatione, vel extenſione, V. g. cum quis volens malum operari, continuat uoluntatē ſuam quouſq; opere perficiat. Vt ergo uoluntas diuturnior in bono, eo melior: ita deterior, vt in malo diuturnior. Aggrauatur quinto peccatū ex multiplicatione, V. g. cū mala uoluntas ad malum operandum multiplicatur, mala etenim uoluntas ſine actu eſt, & cum actu peior: ita bona illa uoluntas ſine actu, at cum actu bono melior. Sexto peccatum aggrauatur ex intenſione. Nam quanto uoluntas intenſius, ardentius, libidinoſius, delectabiliuſq; tendit in malum, eo peior nuncupatur:

quare,

quare, &c. Demum aggrauatur peccatum ex recidiuatione: cuius ratio videtur eſſe talis, quia quidam dixerunt: peccata dimiſſa in confeſſione redire in eo, qui recidiuat. Pro intellellectu cuius velim vos diligenter animaduertere, quòd peccata in recidiuante in priorem, vel aliam culpam remiſſa non dicuntur redire quantum ad pęnam ęternam, nec in tali peccato quantum ad pęnã temporalem remiſſam; licet maneat obligatio ad pęnam nõ ſolutam. Non enim conſurget duplex tribulatio, Naum primo. Nec iudicat dominus bis in idipſum. Quamuis peccata per pęnitentiam remiſſa redire dicantur quantum ad pęnam per modum circunſtantiæ aggrauantis, peccata de nouo cõmiſſa ex perſona recidiuantis: ingratitudo enim eſt circunſtantia aggrauans peccatum, & eſt per ſe ingratitudo vitium. Vnde quanto plura vitia concurrunt ad actum peccati, tanto peccata ſunt grauiora, & acrius punienda. Peccans aũt poſt remiſſionis gratiam peccatorum receptam, ingratus eſt gratiæ remiſſionis. Nam, vt Seneca ait de beneficijs, ingratus eſt, qui beneficium ſe recepiſſe negat, ingratus, qui diſſimulat, ingratus, qui non reddit, ingratiſſimus oĩum, qui oblitus eſt. Recidiuans autem non ſolum non reddit bonum pro beneficio remisſionis, ſed etiam malum iterum offendendo, & per conſequens peccans per recidiuam, grauius peccat propter magnitudinem remisſionis acceptæ, quàm ſi hoc beneficium nõ accepiſſet, & ideo per hoc maiori pęna redditur dignus, & ſic dicuntur priora peccata remiſſa, redire nõ quod propter illa, ſi fuerint plenè remiſſa, de nouo puniantur, ſed quia propter beneficium remisſionis, cui ingratus eſt recidiuans, peccatum grauari dicitur, & per hoc pęna eius creſcit. His ita in

primo

primo puncto poſitis, nunc ad ſecundũ vt deſcendamus equum eſt, vbi peccatum vnum, altero maius eſſe duodecim detegitur modis, primo cauſalitate, vt peccatum Luciferi: ſecundo generalitate, vt peccatum Adæ: tertio deformitate, vt peccatum Iude: quarto remiſſionis difficultate, vt peccatum in Spiritum ſanctum, vt Blaſphemia, vel deſperatio, quæ tollit remedium, & medicinam peccati, ſcilicet pœnitentiam, & Dei miſericordiam, & ideo non remittitur in hoc ſeculo, neque in futuro: quinto periculoſitate, vt peccatum ignorantiæ: ſexto inſeparabilitate, vt peccatum cupiditatis, & auaritiæ: ſeptimo pronitate, vt peccatum carnis: octauo ablatione oĩs boni, vt peccatum infidelitatis, vel Idolatriæ: nono expugnandi difficultate, vt peccatum ſuperbiæ: decimo deordinatione, vel elongatione, vt peccatum odij, quod magis mentem deordinat, & à Dei charitate elongat: vndecimo cęcitate, vt peccatum iræ: duodecimo vilitate, vt peccatum luxuriæ: Et hęc de propoſitis ſatis in prę ſenti meo ſermone dicta ſint vobis.

QVOT MODIS VNVM PECCATVM AB ALIO DISTINGVATVR.
Lectio CLXXXXI.

CIrca peccata in genere conſideranda uenit horũ uarietas, quæ quia ſex modis cognoſci habet, ideo ſex puncta principalia habebit hodierna lectio. Solent ergo peccata adinuicem diſtingui, vel diuidi ſex modis: primo ex parte gradus: ſecundo ex parte reſpectus: tertio ex parte affectus: quarto ex

parte

parte impulſus: quinto ex parte effectus, vel defectus: ſexto ex parte receſſus à Deo, vel contemptus. Ex parte gradus, dùm dicitur, quod aliud eſt peccatum cordis, aliud oris, aliud operis, vel peccatum cogitationis, locutionis, & operationis. Eccè gradus peccatorum. Vnde primus gradus peccati dicitur inchoatio, prout eſt in corde: ſecundus gradus eſt manifeſtatio, prout peccatum eſt in ore: tertius gradus peccati dicitur conſummatio, vel completio, prout eſt in opere. Hoc exemplo de facili habet probari de iracundo: nã iracundus ex recepta iniuria primò perturbatur in corde; deinde contumeliatur ore: tertiò iniuriatur opere. Inſuper, peccata diſtinguntur ex parte reſpectus; nam peccatum dicitur actus inordinatus. Triplex aũt in homine ordo eſſe debet: primus rationis ad diuinam legem: ſecundus paſſionis ad rationẽ: tertius ordo hominis ad hominem, eo quia homo naturaliter dicitur animal politicum, & ſociale. Ille ergò, qui primò rationem ſuam diuinæ legi non regulat, ſed cõtra eã facit in his, quæ ſunt fidei: talis in Deum peccare dicitur: ſicut hæreticus, ſacrilegus, & Blaſphemus: ſecũdo, qui paſſionem ſuam propria ratione non regulat, ſed contra eam facit, in ſe ipſum peccare dicitur, vt luxurioſus, guloſus, & prodigus Tertio ille, qui humanã ſocietatem, cui naturaliter alligatur, & copulatur, liberè offendit, in proximum peccare dicitur, vt patet in fure, & homicida. Hic tamen notandum, q̃d aliud eſt peccare contra dominum, aliud in domino, & aliud corã domino. Primo, ille dicitur peccare corã domino, qui ſcit, Deum ſui peccati habere notitiam, & tamen peccare non erubeſcit. Secundo ille in domino peccat, qui diuinam legem in toto, vel in parte non ſeruat. Tertio

ille

ille peccat contra Deum, qui fidem negat, vel qui Deum Blaſphemat: numeri xxi. Peccauimus contra dominum. Tertio ſolet diſtingui peccatum ex parte appetitus, vel affectus, & ſic diuiditur in carnale, & ſpirituale. Carnale illud dicitur, quod in ipſo tactu corporali perficitur. Spirituale verò, quod ſpiritualem reſpicit delectationem, vt ira, inuidia & ſimilia, quæ dicuntur perfici in delectatione ſpirituali. Sciendum tamen eſt, quòd ſpiritualia peccata inquantum ſpiritualia grauioris culpæ peccatis carnalibus eſſe dicuntur, & hoc triplici ratione: primo ratione complementi peccati: ſecundo ratione nocumenti: tertio ratione motiui. Carnalia uerò peccata licet minoris dicantur culpæ, nihilominus ſunt maioris infamiæ. Quarto peccata diſtinguntur ex parte impulſus, ita quòd oē peccatum eſt, vel ex infirmitate, vel impotentia, vel ex ignorantia, vel ex malitia, vel concupiſcentia: ſecundum ergo, q̄d diuerſas habent cauſas actiuas, vel motiuas: ita diſtinguenda ſunt peccata. Quinto poſſunt diſtingui ex parte effectus, & defectus, & quia iſta duo ſunt, iccircò diuidi poterit in cōmiſſum, & delictum: ita quòd ſit aliud peccatum commiſſionis, & aliud omiſſionis, quod delictum uocatur, ſed hic notetis, quòd tranſgreſsionis peccatum, & omiſsionis formaliter non differunt, vel ſpecificè, ſed materialiter. Q̄d aūt ſpecificè non differant patet, quia omiſsio, & tranſgreſsio ad idem ordinantur, ſcilicet ad eundem finem, & ex eodem motiuo procedunt, ſicut patet de auaro, qui ad congregandam pecuniam aliena rapit, quòd eſt peccatum commiſsionis, & ſua non [illegible]bus, & quando debet dare, quod eſt peccatum omiſsionis. [illegible] maiori tamen notitia peccati omiſsionis quatuor ſunt notanda:

modus

modus ſcilicet, tempus, reatus, vel defectus, & exceſſus: modus reſpicit actum, vel interiorem, vel exteriorem. V. g. cum quis nõ vult ire ad Eccleſiam, ecce actus interior. Actus uerò exterior in peccato omiſſionis duo reſpicit, vel actum præcedentem, vel actum cũ ipſa omiſſione, V. g. aliquis impeditur, ne ſurgat ad matutinas, quia ſe nimis occupauit in ſero vigilando: exemplum ſecundi cum aliquis applicat ſe ad aliquem actum illicitum dimittendo illud, ad quod tenetur. V. g. velle ludere, & dimittere ad Eccleſiam ire. Ambo iſti vnum dicunt licet reſpectibus diuerſis. Præterea omiſſionis tempus conſiderandum eſt: illo etenim tempore dicitur quis peccare peccato omiſſionis quando, vel quo tẽpore aliquis non vult facere, quod tenetur, vel quando facit quid illicitum, vel fecit incompaſſibile illi, ad quod tenetur. Tale aũt peccatum, quia contrariatur præcepto affirmatiuo, quod non obligat ad ſemper, ſed ſemper: ideò ſolum ꝓ tempore illo aliquis ceſſando ab actu illo peccare dicitur: tertio conſiderandus uenit defectus, vel reatus: imputari enim ſolet ad peccatum homini non agendo, quod deberet. At hic notandum, quod ſi aliquis non agat, quod agere oportet: neceſſe eſt aliquam aſſignare cauſam: ſi uerò cauſa fuerit totaliter extrinſeca talis omiſſio peccati rationem minimè habet. V. g. ſi quis à lapide cadente oppreſſus impediatur ne ad Eccleſiam uadat: at ſi cauſa foret intrinſeca; tunc ibi peccatum, quia cauſa intrinſeca eſt, & voluntaria: quarto conſiderandus uenit exceſſus, nã maius dicitur eſſe peccatum commiſſionis, vel tranſgreſſionis peccato omiſſionis, quia peccatum commiſſionis, ſiue tranſgreſſionis ſe habet, vt arbor, quæ malum fructũ facit: omiſſio aũt, vt arbor, quæ nullum fructum

facit,

facit, vel quæ non facit fructum aliquē bonum: ergo,&c. Deinde peccatum commiſsionis, vel tranſgresſionis non dicitur pura priuatio, ſed eſt actus priuatus debito ordine: ſicut furtum, vel adulterium, at omiſsionis peccatum pura, ſiue ſola priuatio. His ſexto addenda uenit loco differentia ex parte receſſus à Deo, vel contemptus: vt cū diuiditur peccatū in mortale, & ueniale. Qualiter autem mortale à ueniali differat, diuerſas inter ſe habent doctores ſententias: nam quidam aſſignant differentiam penes ſubiectum. Vnde mortale dicunt habere eſſe in ratione, & ueniale in ſenſualitate: alij aſſignāt differentiam penes effectum, quia mortale peccatū priuat gratia, at ueniale non: alij ſumunt differentiam penes reatum, quia mortali peccato pęna debetur ęterna, at ueniali temporalis. Quidam alij conſueuerunt peccatum diuidere in mortale, & ueniale, tanquam in aliquod perfectum, & imperfectum. Nā mortale, quia à fine deordinat, iccirco perfectam peccati habet rationem, at ueniale, quia non ſic, licet aliquo modo à fine retardet, propterea illud perfectum, & hoc imperfectum cenſeri debet.

DE DIFFERENTIA PECCATI MORTALIS A VENIALI.
Lectio CLXXXXII.

INtimius rimari uolentes ea, quæ in pręcedenti capite à nobis dicta fuere comparabimus mortale peccatū veniali penes differētiam: in quinq; enim à ueniali differre notarunt homines docti, ſcilicet in auerſione, tranſmutatione, remisſione, & punitione.

ne. Primo differt in corruptione, quia mortale peccatū eſt quidam morbus ipſius animæ, à quo Dauid petebat liberari, & ſanari, dicens: Miſerere mei domine, quoniam infirmus ſum. At ueniale non ſic, quia ſtat cum charitate. Differt ſecundo mortale à ueniali, ſiue ueniale à mortali in auerſione, quæ auerſio dupliciter cōtingit: vno modo cōtra Deū: alio modo ſub Deo: primo modo eſt mortale peccatū, dùm cōmutabile bonum ipſi eo præfertur. Si verò auerſio indebita fiat ad commutabile bonum ſub Deo, tunc ueniale peccatū dicitur. Ad cuius euidentiam ſex uobis notanda ſunt. Primū eſt, quòd auerti à bono incommutabili pōt duobus modis intelligi, ſcilicet, vel in habitu, vel in actu: primo auertitur ille à bono incommutabili ſecundum habitum, qui ſibi alium finem contrarium ponit, qđ in mortali peccato euenit. Vnde qui mortaliter peccat aſſimilatur ei, qui à via recedit. Secundo quis dicitur in actu tantùm auerti à bono incommutabili, quādo aliquem facit actum, quo actualiter in Deum minimè tendit, licet ergo in eum non tendat, vt in vltimū finem, nec ſibi quaſi finē talem conſtituat, hoc tamen in ueniali peccato contingit. Vnde peccans uenialiter aſſimilatur ei, qui nimis moratur in via. Inſuper notādum, tria eſſe præcipuè, propter quæ mortaliter peccare dicitur homo. Primo, quando deliberatè contra diuinam legem agit: ſecundo, quando à ſe habitualiter honorem Dei excludit: tertio, quando in bono temporali vltimum finem, ſiue fruitionem ponit: quibus tribus modis auertitur peccator à Deo. Qui verò uenialiter peccat, tria ſuprapoſitis oppoſita facit: primo nō facit cōtra legem, ſed præter legem: ſecundo actualem Dei cōſiderationem ſuæ operationis excludit: tertio non

ponit

ponit in bono temporali fruitionẽ. Tertium notandum eſt, quòd in peccato mortali aliquãdo eſt prius naturaliter ad commutabile bonum cõuerſio, quàm auerſio ab incommutabili bono: aliquando ẽt accidit oppoſitum. Cuius ratio de facili aſſignari poteſt, quia cum peccatum in uoluntate conſiſtat, vt dicit beatus Aug. ideò in peccatis, in quibus principaliter intenditur fruitio boni commutabilis, ſicut euenit in luxuria, auaritia, & alia huiuſmodi, prius dicitur eſſe naturaliter conuerſio, quàm auerſio. In illis verò peccatis, in quibus directè intenditur auerſio à Deo, ſicut eſt infidelitas, deſperatio, & huiuſmodi alia: tunc prius dicitur eſſe auerſio à Deo incommutabili bono: deinde conuerſio ad cõmutabile bonũ. Quartũ eſt, quòd conuerſio peccati mortalis, & uenialis adinuicẽ ſunt improportionabiles, quia per conuerſionem peccati mortalis rei temporali, vt fini adheretur, & per conuerſionem peccati uenialis, adhęretur rei temporali, vt ei, q̃d eſt ad finem. Quę duo quia non ſunt eiuſdem generis, propterea improportionabilia. Quintum eſt, q̃d oĩa peccata mortalia ex parte auerſionis conuenire dicuntur, licet diſtinguantur ex parte conuerſionis. Sextum eſt, quòd peccatum mortale ex parte auerſionis ab incõmutabili bono, ideſt à Deo, eſt culpa, vel offenſa infinita: ideo ſibi reſpondet pęna damni infinita, quæ nihil aliud eſt, quàm amiſſio infiniti boni. Ex parte verò inordinatæ conuerſionis ad commutabile bonum: tunc mortale peccatum culpa dicitur, vel offenſa finita, ideo ſibi pęna ſenſus reſpondet, quæ finita eſt, ex quibus oĩbus patet, quòd in auerſione ab incommutabili bono, & in conuerſione ad bonum cõmutabile dicitur mortale peccatum conſiſtere. Conuerte igitur nos domine ad te, &

conuer-

cōuertemur, ex parte enim noſtra ſumus auerſi. His tertio additur differentia peccati mortalis à ueniali, quæ conſiſtit in tranſmutatione; nā de ſe mortale fieri nequit ueniale, nec ueniale de ſe mortale: benè ueniale dicitur diſponere ad mortale; at dicetis, cur mortale de ſe ueniale fieri nequit? Reſponderi pōt ad hoc quinq; modis, & primo, quia mortali pęna debetur ęterna, at ueniali non. Secundo, quia mortale, perfecti rationem habet, ueniale nō, ſed imperfecti. Tertio, quia in anima maculam cauſat mortale peccatū, at ueniale nequaquam. Quarto, q̄a mortale, viſione diuina priuat, at ueniale tantùm retardat. Quinto, quia mortale ueniali grauius peccatum eſt; hic tamen notetis, ueniale tribus poſſe ad mortale diſponere modis, ex parte libidinis primo, conſuetudinis ſecūdo, ſimilitudinis tertio. Primum ex libidine patet, nā augumentata diſpoſitione per actus uenialium peccatorū, intantùm creſcere pōt libido peccandi, q̄d ille, qui peccat in peccato ueniali finem conſtituat. Secundo ex parte conſuetudinis, ueniale ad mortale diſponit, nam multotiens venialiter peccādo ad peccandum mortaliter diſponitur, qui enim voluntatem ſuam aſſueſcit in minoribus debito ordini nō ſubijcere, diſponitùr ad hoc, q̄d ēt voluntatē ſuā non ſubijciat ordini vltimi finis. Tertio ex parte ſimilitudinis ſic: vt enim frigidum ex natura calidum fieri pōt, non ſecus ueniale peccatum fieri pōt mortale ex voluntate ponentis finem in creatura. Timenda ergo ſunt uenialia, non quia minima, ſed quia plura, & qui minima ſpernit paulatim decidet. Quarto ueniale à mortali differt in remiſſione; nā in uenialibus vnum pōt remitti ſine alio, at in mortalibus non ſic, & ratio aſſignatur, quia licet mortalia non habeant connexionem ex parte

cõuerſionis, ſunt tamen cõnexa ex parte auerſionis, at in uenialibus hoc non contingit, quia non auertunt à Deo. Quid ſi fiat cõparatio mortalis ad ueniale? nũ mortale poterit dimitti ſine ueniali? Reſpondetur, quòd ſic, quia mortale ad ueniale ſe habet, vt habitus, ideo ſublato habitu, põt remanere diſpoſitio: ergo remoto mortali, põt ueniale remanere. Quinto, & vltimo, mortale peccatum à veniali differt in punitione, quia mortali pęna debetur ęterna, at veniali, non. Deinde per mortale fit auerſio à Deo, at per ueniale, non. Sed dicetis: ponamus, quòd in damnato inueniatur aliquod veniale peccatum: certum eſt, quòd cum peccatum ueniale non remittatur, & hoc, quia in inferno nulla eſt redemptio, q̃d tale ſimpliciter licet ſit ueniale, pęna punietur ęterna. Ad hoc dicitur, q̃d veniali peccato non debetur pęna ęterna ratione ſuæ grauitatis; at ratione conditionis ſubiecti, ſcilicet hominis; q ſine gratia inuenitur, p q̃ ſolã ſit peccatorũ remiſſio. Vel dicatis ueniale peccatum in damnato, puniri quidẽ ęternaliter non pp ſe, q a gratia non priuat, ſed pp mortale peccatũ adiunctum, q̃d gratia priuat. Et hęc ſatis.

DE MORTALI PECCATO, ET VENIALI NOTANDA QVAEDAM.

Lectio CLXXXXIII.

IN gratiam eorum, quæ ſuperius declarata fuere, ne quid vitio mihi dari poſſit, perpendã in pręſenti duo. Documenta quinq; primo de mortali, atq; ueniali peccato. Deinde tria mala tangam, quæ mortale peccatum facit. Quantum ad ſectum primũ eſt

notandum,

notandũ, ꝑ documento primo: veniale peccatũ tribus dici modis, ſcilicet à ſequela, vel pœnitentia, à cauſa, & materia; primo modo veniale dicitur à pœnitentia, vel ſequela, qua iam eſt conſequuta venia, ſicut dicit Ambr. quod mortale peccatum per confeſſionem factũ, ueniale dicitur, quo modo ueniale non diuiditur cõtra mortale. Secundo ueniale dicitur à cauſa, eo quia in ſe aliquam habeat veniæ cauſam, non qđ non puniatur, ſed quia minus puniatur, vt peccatum ex infirmitate patratum. Tertio ueniale peccatũ dicitur ex ſua materia, & hoc diuiditur contra mortale, quia mortale quãtum eſt de ſe, pœnam meretur æternam, & ſic veniam excludit, at peccatum ueniale non. Alterum documentum eſt, qđ mortale peccatum ex genere põt eſſe ueniale ꝑ ꝑ actus imperfectionem, q̃a non perfectè pertingit ad rationem peccati mortalis cum non ſit deliberatus, ſed ſubditus. Tertium documentum eſt, qđ aliud eſt deordinari actu in Deum, quod conuenit peccato ueniali, & aliud eſt excludere ordinem ad Deũ, qđ conuenit peccato mortali. Quartum documuntum eſt, quod de ſe ueniale peccatũ, nunquã fieri mortale põt, ita qđ primo ueniale peccatum ſecundum ſe, poſtea ſit mortale: ſicut nec albedo fieri põt nigredo. Actus tamen, qui ex ſe eſt de genere uenialis, mortalis quatuor fieri põt modis: primo ex conſcientia, ſecundo ex complacentia: ex ruina, & ſequela. Ex conſcientia, quia quicquid ſit contra conſcientiam ædificat ad Gehennam. Vnde licet leuare feſtucam de ſe leue ſit, & indifferens: tamen quando ſit contra conſcientiam mortale eſt, q̃a à creatore ſit auerſio. Secũdo ueniale ſit mortale ex complacentia. Vnde Aug. nullũ peccatum eſt adeo ueniale, quod non fiat mortale dum placet, non

dum; tunc talis paſſio diminuit bonitatem, & laudem, & meritum actus. Hęc beatus Thomas. Sed hic notetis, quòd paſſio appetitus ſenſitiui, aut totaliter aufert rationis vſum, aut non. Si primo modo hoc contingit, dupliciter, vel enim à principio fuit voluntaria, vel non: ſi uoluntaria; tunc actus, qui fit in tali paſſione, ſiue per talem paſſionem, imputatur ad peccatum, eo quia talis actus in ſua cauſa eſt uoluntarius, vt patet de illo, qui per ebrietatem homicidium facit. Alio modo paſſio totaliter rationis vſum auferens, ſi nõ fuit uoluntaria, vel non ſit uoluntaria, puta cũ quis ex ęgritudine, vel aliqua huiuſmodi cauſa incidit in talem paſſionem, quæ totaliter aufert rationis vſum, talis ab omni peccato mortali, & veniali excuſat. Secundo modo, ſi paſſio nõ tollit totaliter vſum rationis. V.g. cum quis ex paſſione procedit ad actum peccati, vel ad conſenſum deliberatum nõ ſubitò, ſed deliberatè, quia ratio paſſionem excludere poteſt, vel ſaltem impedire, tunc non curando excludere, vel impedire, mortale peccatum eſt; quo modo multa fieri homicidia, & committi adulteria per paſſionẽ videmus. Aggrauatur quarto peccatum ex continuatione, vel extenſione, V.g. cum quis volens malum operari, continuat uoluntatẽ ſuam quouſq; opere perficiat. Vt ergo uoluntas diuturnior in bono, eo melior: ita deterior, vt in malo diuturnior. Aggrauatur quinto peccatũ ex multiplicatione, V.g. cũ mala uoluntas ad malum operandum multiplicatur, mala etenim uoluntas ſine actu eſt, & cum actu peior: ita bona illa uoluntas ſine actu, at cum actu bono melior. Sexto peccatum aggrauatur ex intenſione. Nam quanto uoluntas intenſius, ardentius, libidinoſius, delectabiliuſq; tendit in malum, eo peior nuncupatur:

quare,

quare, &c. Demum aggrauatur peccatum ex recidiuatione: cuius ratio videtur eſſe talis, quia quidam dixerunt: peccata dimiſſa in confeſſione redire in eo, qui recidiuat. Pro intellellectu cuius velim vos diligenter animaduertere, quòd peccata in recidiuante in priorem, vel aliam culpam remiſſa non dicuntur redire quantum ad pęnam ęternam, nec in tali peccato quantum ad pęnã temporalem remiſſam; licet maneat obligatio ad pęnam nõ ſolutam. Non enim conſurget duplex tribulatio, Naum primo. Nec iudicat dominus bis in idipſum. Quamuis peccata per pęnitentiam remiſſa redire dicantur quantum ad pęnam per modum circunſtantiæ aggrauantis, peccata de nouo cõmiſſa ex perſona recidiuantis: ingratitudo enim eſt circunſtantia aggrauans peccatum, & eſt per ſe ingratitudo vitium. Vnde quanto plura vitia concurrunt ad actum peccati, tanto peccata ſunt grauiora, & acrius punienda. Peccans aũt poſt remiſſionis gratiam peccatorum receptam, ingratus eſt gratiæ remiſſionis. Nam, vt Seneca ait de beneficijs, ingratus eſt, qui beneficium ſe recepiſſe negat, ingratus, qui diſſimulat, ingratus, qui non reddit, ingratiſſimus oĩum, qui oblitus eſt. Recidiuans autem non ſolum non reddit bonum pro beneficio remisſionis, ſed etiam malum iterum offendendo, & per conſequens peccans per recidiuam, grauius peccat propter magnitudinem remisſionis acceptæ, quàm ſi hoc beneficium nõ accepiſſet, & ideo per hoc maiori pęna redditur dignus, & ſic dicuntur priora peccata remiſſa, redire nõ quod propter illa, ſi fuerint plenè remiſſa, de nouo puniantur, ſed quia propter beneficium remisſionis, cui ingratus eſt recidiuans, peccatum grauari dicitur, & per hoc pęna eius creſcit. His ita in

primo puncto poſitis, nunc ad ſecundũ vt deſcendamus equum eſt, vbi peccatum vnum, altero maius eſſe duodecim detegitur modis, primo cauſalitate, vt peccatum Luciferi: ſecundo generalitate, vt peccatum Adæ: tertio deformitate, vt peccatum Iude: quarto remiſſionis difficultate, vt peccatum in Spiritum ſanctum, vt Blaſphemia, vel deſperatio, quæ tollit remedium, & medicinam peccati, ſcilicet pęnitentiam, & Dei miſericordiam, & ideo non remittitur in hoc ſeculo, neque in futuro: quinto periculoſitate, vt peccatum ignorantiæ: ſexto inſeparabilitate, vt peccatum cupiditatis, & auaritiæ: ſeptimo pronitate, vt peccatum carnis: octauo ablatione oĩs boni, vt peccatum infidelitatis, vel Idolatriæ: nono expugnandi difficultate, vt peccatum ſuperbiæ: decimo deordinatione, vel elongatione, vt peccatum odij, quod magis mentem deordinat, & à Dei charitate elongat: vndecimo cęcitate, vt peccatum iræ: duodecimo vilitate, vt peccatum luxuriæ: Et hęc de propoſitis ſatis in pręſenti meo ſermone dicta ſint vobis.

QVOT MODIS VNVM PECCATVM AB ALIO DISTINGVATVR.

Lectio CLXXXXI.

CIrca peccata in genere conſideranda uenit horũ uarietas, quæ quia ſex modis cognoſci habet, ideo ſex puncta principalia habebit hodierna lectio. Solent ergo peccata adinuicem diſtingui, vel diuidi ſex modis: primo ex parte gradus: ſecundo ex parte reſpectus: tertio ex parte affectus: quarto ex

parte

parte impulſus: quinto ex parte effectus, vel defectus: ſexto ex parte receſſus à Deo, vel contemptus. Ex parte gradus, dùm dicitur, quod aliud eſt peccatum cordis, aliud oris, aliud operis, vel peccatum cogitationis, locutionis, & operationis. Eccè gradus peccatorum. Vnde primus gradus peccati dicitur inchoatio, prout eſt in corde: ſecundus gradus eſt manifeſtatio, prout peccatum eſt in ore: tertius gradus peccati dicitur conſummatio, vel completio, prout eſt in opere. Hoc exemplo de facili habet probari de iracundo: nã iracundus ex recepta iniuria primò perturbatur in corde; deinde contumeliatur ore: tertiò iniuriatur opere. Inſuper, peccata diſtinguntur ex parte reſpectus; nam peccatum dicitur actus inordinatus. Triplex aũt in homine ordo eſſe debet: primus rationis ad diuinam legem: ſecundus paſſionis ad rationẽ: tertius ordo hominis ad hominem, eo quia homo naturaliter dicitur animal politicum, & ſociale. Ille ergò, qui primò rationem ſuam diuinæ legi non regulat, ſed cõtra eã facit in his, quæ ſunt fidei: talis in Deum peccare dicitur: ſicut hæreticus, ſacrilegus, & Blaſphemus: ſecũdo, qui paſſionem ſuam propria ratione non regulat, ſed contra eam facit, in ſe ipſum peccare dicitur, vt luxurioſus, guloſus, & prodigus Tertio ille, qui humanã ſocietatem, cui naturaliter alligatur, & copulatur, liberè offendit, in proximum peccare dicitur, vt patet in fure, & homicida. Hic tamen notandum, qđ aliud eſt peccare contra dominum, aliud in domino, & aliud corã domino. Primo, ille dicitur peccare corã domino, qui ſcit, Deum ſui peccati habere notitiam, & tamen peccare non erubeſcit. Secundo ille in domino peccat, qui diuinam legem in toto, vel in parte non ſeruat. Tertio

ille

ille peccat contra Deum, qui fidem negat, vel qui Deum Blaſphemat: numeri xxi. Peccauimus contra dominum. Tertio ſolet diſtingui peccatum ex parte appetitus, vel affectus, & ſic diuiditur in carnale, & ſpirituale. Carnale illud dicitur, quod in ipſo tactu corporali perficitur. Spirituale verò, quod ſpiritualem reſpicit delectationem, vt ira, inuidia & ſimilia, quæ dicuntur perfici in delectatione ſpirituali. Sciendum tamen eſt, quòd ſpiritualia peccata inquantum ſpiritualia grauioris culpæ peccatis carnalibus eſſe dicuntur, & hoc triplici ratione: primo ratione complementi peccati: ſecundo ratione nocumenti: tertio ratione motiui. Carnalia uerò peccata licet minoris dicantur culpæ, nihilominus ſunt maioris infamiæ. Quarto peccata diſtinguntur ex parte impulſus, ita quòd oẽ peccatum eſt, vel ex infirmitate, vel impotentia, vel ex ignorantia, vel ex malitia, vel concupiſcentia: ſecundum ergo, qđ diuerſas habent cauſas actiuas, vel motiuas: ita diſtinguenda ſunt peccata. Quinto poſſunt diſtingui ex parte effectus, & defectus, & quia iſta duo ſunt, iccircò diuidi poterit in cõmiſſum, & delictum: ita quòd ſit aliud peccatum commiſſionis, & aliud omiſſionis, quod delictum uocatur, ſed hic notetis, quòd tranſgreſsionis peccatum, & omiſsionis formaliter non differunt, vel ſpecificè, ſed materialiter. Qđ aũt ſpecificè non differant patet, quia omisſio, & tranſgreſſio ad idem ordinantur, ſcilicet ad eundem finem, & ex eodem motiuo procedunt, ſicut patet de auaro, qui ad congregandam pecuniam aliena rapit, quòd eſt peccatum commisſionis, & ſua non dat quibus, & quando debet dare, quod eſt peccatum omisſionis. Pro maiori tamen notitia peccati omisſionis quatuor ſunt notanda:

modus

modus ſcilicet, tempus, reatus, vel defectus, & exceſſus: modus reſpicit actum, vel interiorem, vel exteriorem. V. g. cum quis nō vult ire ad Eccleſiam, eccè actus interior. Actus uerò exterior in peccato omisſionis duo reſpicit, vel actum precedentem, vel actum cū ipſa omisſione, V. g. aliquis impeditur, ne ſurgat ad matutinas, quia ſe nimis occupauit in ſero vigilando: exemplum ſecundi cum aliquis applicat ſe ad aliquem actum illicitum dimittendo illud, ad quod tenetur. V. g. velle ludere, & dimittere ad Eccleſiam ire. Ambo iſti vnum dicunt licet reſpectibus diuerſis. Pręterea omisſionis tempus conſiderandum eſt: illo etenim tempore dicitur quis peccare peccato omisſionis quando, vel quo tēpore aliquis non vult facere, quod tenetur, vel quando facit quid illicitum, vel fecit incompasſibile illi, ad quod tenetur. Tale aūt peccatum, quia contrariatur pręcepto affirmatiuo, quod non obligat ad ſemper, ſed ſemper: ideò ſolum ꝓ tempore illo aliquis ceſſando ab actu illo peccare dicitur: tertio conſiderandus uenit defectus, vel reatus: imputari enim ſolet ad peccatum homini non agendo, quod deberet. At hic notandum, quod ſi aliquis non agat, quod agere oportet: neceſſe eſt aliquam aſſignare cauſam: ſi uerò cauſa fuerit totaliter extrinſeca talis omisſio peccati rationem minimè habet. V. g. ſi quis à lapide cadente oppreſſus impediatur ne ad Eccleſiam uadat: at ſi cauſa foret intrinſeca; tunc ibi peccatum, quia cauſa intrinſeca eſt, & voluntaria: quarto conſiderandus uenit exceſſus, nā maius dicitur eſſe peccatum commisſionis, vel tranſgresſionis peccato omisſionis, quia peccatum commisſionis, ſiue tranſgresſionis ſe habet, vt arbor, quæ malum fructū facit: omiſſio aūt, vt arbor, quæ nullum fructum

facit,

facit, vel quæ non facit fructum aliquē bonum: ergo, &c. Deinde peccatum commiſſionis, vel tranſgreſſionis non dicitur pura priuatio, ſed eſt actus priuatus debito ordine: ſicut furtum, vel adulterium, at omiſſionis peccatum pura, ſiue ſola priuatio. His ſexto addenda uenit loco differentia ex parte receſſus à Deo, vel contemptus: vt cū diuiditur peccatū in mortale, & ueniale. Qualiter autem mortale à ueniali differat, diuerſas inter ſe habent doctores ſententias: nam quidam aſſignant differentiam penes ſubiectum. Vnde mortale dicunt habere eſſe in ratione, & ueniale in ſenſualitate: alij aſſignāt differentiam penes effectum, quia mortale peccatū priuat gratia, at ueniale non: alij ſumunt differentiam penes reatum, quia mortali peccato pęna debetur ęterna, at ueniali temporalis. Quidam alij conſueuerunt peccatum diuidere in mortale, & ueniale, tanquam in aliquod perfectum, & imperfectum. Nā mortale, quia à fine deordinat, iccirco perfectam peccati habet rationem, at ueniale, quia non ſic, licet aliquo modo à fine retardet, propterea illud perfectum, & hoc imperfectum cenſeri debet.

DE DIFFERENTIA PECCATI MORTALIS A VENIALI.
Lectio CLXXXXII.

INtimius rimari uolentes ea, quæ in pręcedenti capite à nobis dicta fuere comparabimus mortale peccatū veniali penes differētiam: in quinq; enim à ueniali differre notarunt homines docti, ſcilicet in auerſione, tranſmutatione, remiſſione, & punitione.

ne. Primo differt in corruptione, quia mortale peccatũ eſt quidam morbus ipſius animæ, à quo Dauid petebat liberari, & ſanari, dicens: Miſerere mei domine, quoniam infirmus ſum. At ueniale non ſic, quia ſtat cum charitate. Differt ſecundo mortale à ueniali, ſiue ueniale à mortali in auerſione, quæ auerſio dupliciter cõtingit: vno modo cõtra Deũ: alio modo ſub Deo: primo modo eſt mortale peccatũ, dùm cõmutabile bonum ipſi eo præfertur. Si verò auerſio indebita fiat ad commutabile bonum ſub Deo, tunc ueniale peccatũ dicitur. Ad cuius euidentiam ſex uobis notanda ſunt. Primũ eſt, quòd auerti à bono incommutabili põt duobus modis intelligi, ſcilicet, vel in habitu, vel in actu: primo auertitur ille à bono incommutabili ſecundum habitum, qui ſibi alium finem contrarium ponit, qđ in mortali peccato euenit. Vnde qui mortaliter peccat aſſimilatur ei, qui à via recedit. Secundo quis dicitur in actu tantùm auerti à bono incommutabili, quãdo aliquem facit actum, quo actualiter in Deum minimè tendit, licet ergo in eum non tendat, vt in vltimũ finem, nec ſibi quaſi finẽ talem conſtituat, hoc tamen in ueniali peccato contingit. Vnde peccans uenialiter aſſimilatur ei, qui nimis moratur in via. Inſuper notãdum, tria eſſe præcipuè, propter quæ mortaliter peccare dicitur homo. Primo, quando deliberatè contra diuinam legem agit: ſecundo, quando à ſe habitualiter honorem Dei excludit: tertio, quando in bono temporali vltimum finem, ſiue fruitionem ponit: quibus tribus modis auertitur peccator à Deo. Qui verò uenialiter peccat, tria ſuprapoſitis oppoſita facit: primo nõ facit cõtra legem, ſed præter legem: ſecundo actualem Dei cõſiderationem ſuæ operationis excludit: tertio non

ponit

ponit in bono temporali fruitionẽ. Tertium notandum eſt, quòd in peccato mortali aliquãdo eſt prius naturaliter ad commutabile bonum cõuerſio, quàm auerſio ab incommutabili bono: aliquando ẽt accidit oppoſitum. Cuius ratio de facili aſſignari poteſt, quia cum peccatum in uoluntate conſiſtat, vt dicit beatus Aug. ideò in peccatis, in quibus principaliter intenditur fruitio boni commutabilis, ſicut euenit in luxuria, auaritia, & alia huiuſmodi, prius dicitur eſſe naturaliter conuerſio, quàm auerſio. In illis verò peccatis, in quibus directè intenditur auerſio à Deo, ſicut eſt infidelitas, deſperatio, & huiuſmodi alia: tunc prius dicitur eſſe auerſio à Deo incommutabili bono: deinde conuerſio ad cõmutabile bonũ. Quartũ eſt, quòd conuerſio peccati mortalis, & uenialis adinuicẽ ſunt improportionabiles, quia per conuerſionem peccati mortalis rei temporali, vt fini adhęretur, & per conuerſionem peccati uenialis, adhęretur rei temporali, vt ei, qđ eſt ad finem. Quę duo quia non ſunt eiuſdem generis, propterea improportionabilia. Quintum eſt, qđ oĩa peccata mortalia ex parte auerſionis conuenire dicuntur, licet diſtinguantur ex parte conuerſionis. Sextum eſt, quòd peccatum mortale ex parte auerſionis ab incõmutabili bono, ideſt à Deo, eſt culpa, vel offenſa infinita: ideo ſibi reſpondet pęna damni infinita, quæ nihil aliud eſt, quàm amiſſio infiniti boni. Ex parte verò inordinatæ conuerſionis ad commutabile bonum: tunc mortale peccatum culpa dicitur, vel offenſa finita, ideo ſibi pęna ſenſus reſpondet, quæ finita eſt, ex quibus oĩbus patet, quòd in auerſione ab incommutabili bono, & in conuerſione ad bonum cõmutabile dicitur mortale peccatum conſiſtere. Conuerte igitur nos domine ad te, &

conuer-

cõuertemur, ex parte enim noſtra ſumus auerſi. His tertio additur differentia peccati mortalis à ueniali, quæ conſiſtit in tranſmutatione; nã de ſe mortale fieri nequit ueniale, nec ueniale de ſe mortale: bene ueniale dicitur diſponere ad mortale; at dicetis, cur mortale de ſe ueniale fieri nequit? Reſponderi põt ad hoc quinq; modis, & primo, quia mortali pęna debetur ęterna, at ueniali non. Secundo, quia mortale, perfecti rationem habet, ueniale nõ, ſed imperfecti. Tertio, quia in anima maculam cauſat mortale peccatũ, at ueniale nequaquam. Quarto, q̃a mortale, viſione diuina priuat, at ueniale tantùm retardat. Quinto, quia mortale ueniali grauius peccatum eſt; hic tamen notetis, ueniale tribus poſſe ad mortale diſponere modis, ex parte libidinis primo, conſuetudinis ſecũdo, ſimilitudinis tertio. Primum ex libidine patet, nã augumentata diſpoſitione per actus uenialium peccatorũ, intantùm creſcere põt libido peccandi, q̃d ille, qui peccat in peccato ueniali finem conſtituat. Secundo ex parte conſuetudinis, ueniale ad mortale diſponit, nam multotiens venialiter peccãdo ad peccandum mortaliter diſponitur, qui enim voluntatem ſuam aſſueſcit in minoribus debito ordini nõ ſubijcere, diſponitur ad hoc, q̃d ẽt voluntatẽ ſuã non ſubijciat ordini vltimi finis. Tertio ex parte ſimilitudinis ſic: vt enim frigidum ex natura calidum fieri põt, non ſecus ueniale peccatum fieri põt mortale ex voluntate ponentis finem in creatura. Timenda ergo ſunt uenialia, non quia minima, ſed quia plura, & qui minima ſpernit paulatim decidet. Quarto ueniale à mortali differt in remiſſione; nã in uenialibus vnum põt remitti ſine alio, at in mortalibus non ſic, & ratio aſſignatur, quia licet mortalia non habeant connexionem ex parte

cõuerſionis, ſunt tamen cõnexa ex parte auerſionis, at in uenialibus hoc non contingit, quia non auertunt à Deo. Quid ſi fiat cõparatio mortalis ad ueniale? nũ mortale poterit dimitti ſine ueniali? Reſpondetur, quòd ſic, quia mortale ad ueniale ſe habet, vt habitus, ideo ſublato habitu, põt remanere diſpoſitio: ergo remoto mortali, põt ueniale remanere. Quinto, & vltimo, mortale peccatum à veniali differt in punitione, quia mortali pęna debetur ęterna, at veniali, non. Deinde per mortale fit auerſio à Deo, at per ueniale, non. Sed dicetis: ponamus, quòd in damnato inueniatur aliquod veniale peccatum: certum eſt, quòd cum peccatum ueniale non remittatur, & hoc, quia in inferno nulla eſt redemptio, qđ tale ſimpliciter licet ſit ueniale, pęna punietur ęterna. Ad hoc dicitur, qđ veniali peccato non debetur pęna ęterna ratione ſuæ grauitatis; at ratione conditionis ſubiecti, ſcilicet hominis, q̃ ſine gratia inuenitur, p q̃ ſolã fit peccatorũ remiſſio. Vel dicatis ueniale peccatum in damnato, puniri quidẽ ęternaliter non pp ſe, q̃ a gratia non priuat, ſed pp mortale peccatũ adiunctum, qđ gratia priuat. Et hęc ſatis.

DE MORTALI PECCATO, ET VENIALI NOTANDA QVAEDAM.
Lectio CLXXXXIII.

IN gratiam eorum, quæ ſuperius declarata fuere, ne quid vitio mihi dari poſſit, perpendã in preſenti duo. Documenta quinq; primo de mortali, atq; ueniali peccato. Deinde tria mala tangam, quæ mortale peccatum facit. Quantum ad ſectum primũ eſt

notandum,

notandū, ꝑ documento primo: veniale peccatū tribus dici modis, ſcilicet à ſequela, vel pęnitentia, à cauſa, & materia; primo modo veniale dicitur à pęnitentia, vel ſequela, qua iam eſt conſequuta venia, ſicut dicit Ambr. quod mortale peccatum per confeſſionem factū, ueniale dicitur, quo modo ueniale non diuiditur cōtra mortale. Secundo ueniale dicitur à cauſa, eo quia in ſe aliquam habeat veniæ cauſam, non qđ non puniatur, ſed quia minus puniatur, vt peccatum ex infirmitate patratum. Tertio ueniale peccatū dicitur ex ſua materia, & hoc diuiditur contra mortale, quia mortale quātum eſt de ſe, pęnam meretur ęternam, & ſic veniam excludit, at peccatum ueniale non. Alterum documentum eſt, qđ mortale peccatum ex genere pōt eſſe ueniale ꝑ ꝑ actus imperfectionem, q̨ a non perfectè pertingit ad rationem peccati mortalis cum non ſit deliberatus, ſed ſubditus. Tertium documentum eſt, qđ aliud eſt deordinari actu in Deum, quod conuenit peccato ueniali, & aliud eſt excludere ordinem ad Deū, qđ conuenit peccato mortali. Quartum documuntum eſt, quod de ſe ueniale peccatū, nunquā fieri mortale pōt, ita qđ primo ueniale peccatum ſecundum ſe, poſtea ſit mortale: ſicut nec albedo fieri pōt nigredo. Actus tamen, qui ex ſe eſt de genere uenialis, mortalis quatuor fieri pōt modis: primo ex cōnſcientia, ſecundo ex complacentia: ex ruina, & ſequela. Ex conſcientia, quia quicquid ſit contra conſcientiam ędificat ad Gehennam. Vnde licet leuare feſtucam de ſe leue ſit, & indifferens: tamen quando ſit contra conſcientiam mortale eſt, q̨ a à creatore ſit auerſio. Secūdo ueniale ſit mortale ex complacentia. Vnde Aug. nullū peccatum eſt adeo ueniale, quod non fiat mortale dum placet, non

quocunq; modo, ſed ſicut finis. Tertio ex ruina, quoniam frequēter per lapſum in ueniale peccatum homo ad mortale diſponitur. Nam ſępe de minimis peccatis ad magna venitur, uti de modica fauilla magnus ignis. Quarto ex ſequella, quia quando ſurgit ueniale peccatum, ſi non prohibetur uſq; ad mortale progredi poſſet, non quia ipſum ueniale fieri habeat mortale, ſed quia ex ipſo occaſionaliter fieret mortale, non effectiuè, ſed diſpoſitiuè. Quintum documentū eſt, qđ ueniale peccatum ſex mala operatur. Nam obligat, obſcurat, debilitat, retardat, prouocat, & tepidum facit. Primo quantū ad pęnā, licet non ęternā: ſecundo obſcurat, inquātum imago depicta per tale peccatum non plenè diſcernitur: tepidum facit, quia charitatis feruorem minuit. Debilitat, ne animę potentię in bonis operibus ſint ita promptę. A gloria retardat, quia per prius in purgatorio habet expurgari. Tandem diſponit, & prouocat ad mortale, vt in hoc primo puncto ſatis patet. Subſequitur alterum, vbi tria mala à mortali producta declarantur. Nam primo bonitatem excludit, ſecundo mentem affligit, & vulnerat. Tertio mortem inducit, & cauſat. Pro intellectu primi eſt ſciendum triplex dari bonum, ſcilicet bonū ſubiectum, vt ratio, ſiue voluntas: bonum obiectum, ſiue malo oppoſitum, vt ſpirituale bonum, ideſt gratia; tandem datur bonum inſertum, & ecce naturalis inclinatio. Nunc dico, ꝙ peccatum mortale primum non tollit bonum, nec tertium, licet debilitet inclinationem ad bonum. At totaliter bonitatem excludit ſpiritualem, ideſt gratiam, quę gratia ab alijs bonū virtutis vocatur: iccirco quot modis peccatum contra virtutem agat, quęſo audite. Tribus etenim modis hoc fieri cognoſcitur, ſcilicet ſubtrahendo,

hendo, impediendo, debilitando. Quantum ad primum gratiam excludit: quantũ ad ſecundum ponitur obſtaculum diuinæ influentiæ, quæ per ſe erat cauſa gratiæ. Quãtum ad tertium habilitas, vel mentis inclinatio ad gratiam, & ad bonum minuitur, quia quanto magis peccator peccat, tanto minus põt in bonum. Inſuper ſecundo principaliter mortale peccatum mentẽ affligit, & vulnerat; nam ante peccatum omnes potentiæ animæ erant recto ordine regulatæ, & ornatæ, quia Deus fecit hominem rectum: cuius rectitudo fuit triplex. Prima ergo rectitudo, à qua omnes aliæ cauſabantur, quòd Deo ratio ſubiecto erat. Secunda rectitudo erat, qua vires inferiores animæ, ſcilicet voluntas, iraſcibilis, & concupiſcibilis rationi erant ſubiectæ. Tertia rectitudo erat, qua corpus animæ ſubdebatur, at per peccatum oẽs animæ potentiæ proprio ordine remanent deſtitutæ. Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ virtutum ſubiecta eſſe poſſunt: prima eſt intellectus, ſeu ratio, in qua eſt prudentia. Secunda voluntas, in qua iuſtitia. Iraſcibilis tertia, in qua fortitudo. Concupiſcibilis quarta, in qua temperantia. Modo per peccatum, ratio primo, reſpectu veri eſt vulnerata ignorantia. voluntas ſecundo, reſpectu boni, vulnerata malitia. Iraſcibilis, reſpectu ardui, & difficilis eſt vulnerata infirmitate, vel impotentia. Concupiſcibilis, reſpectu delectabilis, concupiſcentia eſt vulnerata. Vbi ad prędictorũ intelligentiam eſt ſciendum, hominem primum ante peccatum quatuor bona habuiſſe excellenter. Cognitionis ſplendorẽ primo, quia clarius nobis, illi Deus erat cognitus: Angeli ſecundo: cunctæ creaturæ tertio, quibus ipſe nomina impoſuit ſecundum naturam ſuam. Inſuper virtutis valorem, quatenus in

nus in innocentia creatus, & gratia rectitudinis; ordinem tertio. Boni operis celſitudinem quarto. Nam maiorem facilitatem, ad bonum operandum habebat, & ad malum euitandum, quã modo. At per peccatum vulnera quatuor, ſiue mala ſunt ſecuta. Primum vulnus eſt ignorantia in intellectu. Secundum dicitur malitia in affectu. Tertium vulnus concupiſcentia, & pugna in coniuctu, ſcilicet in intellectu, & appetitu ſenſitiuo. Quartum vulnus eſt infirmitas, vel impotentia in actu, vel in profectu. Nam ad peccandum proni, & fortes ſumus. His tertio additur, quòd mortale peccatum mortem inducit, & cauſat. Nam ait Paulus ad Rom. v. Propter vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: cauſat ergo mortem peccatum. Et hęc ſatis.

AN VNVM PECCATVM MORTALE, ALTERIVS PECCATI SIT CAVSA, ET QVO MODO. Lectio CLXXXXIIII.

QVia vulgus ore rotundo dicere conſueuit, quòd vnum mortale peccatũ alterius peccati mortali eſt cauſa: propterea, quo modo id fieri queat in pręſenti dicam. Inſuper, quot modis vnum peccatum, ex altero oriatur aperiam. Duas itaq; habebit partes hodierna lectio: quarum prima quatuor cõtinet: altera ſimiliter quatuor. Quantum ad primam. Ex modis quatuor, quibus vnum peccatum ex altero cauſari dicitur, primum hunc eſſe Theologi fatentur reſpicientem cauſam prohibentem; nã vnum peccatum alterius cauſa dicitur, vt remouens prohibens.

Cuius

Cuius ratio aſſignatur, quia per mortale peccatum homo gratiam amittit, charitatem, & verecundiam, & omnia alia retrahentia à peccato: quibus amiſſis, homo in oĩa de facili peccata ruit. Inſuper, mortale peccatum videtur eſſe dicendum cauſa ſequentis peccati, vt diſponens. Nam cum ex actibus habitus, & diſpoſitiones cauſentur ad actus ſimiles inclinantes: ita ſequi videtur, quòd ex vno actu peccati facilius homo peccatum committat. Tertio vnum peccatum alterius cauſa nuncupandum, vt materiam præbens, vnum enim peccatum alteri materiam miniſtrat, vt gula, quæ luxuriæ materia nuncupatur. Quarto vnum peccatum cauſa ſequentis peccati eſt, vt finem reſpiciens, vnum enim peccatum aduocat alterum ad finem ſuum. V. g. dùm quis committit ſymoniam pp ambitionis finem, vel fornicationem, ſiue furtum. At hic notandum, qđ peccatum, vel eſt cauſa oĩs peccati, vel alterius ſibi ſimilis, ſecundum ſpeciem, vel alterius peccati ſibi contrarij ſecundũ ſpeciem. Primo peccatum ratione ſuæ auerſionis à Deo, oĩs peccati cauſa eſt: ex eo enim, quòd homo auertitur à Deo per peccatum ſequitur, quòd in oĩa peccata labatur. Secundo peccatũ vnum per ſe, alterius peccati cauſa, ſibi ſimilis ſecundum ſpeciem dicitur, vt V. g. luxuria cauſa luxuriæ. Tertio modo vnum peccatum per accidens dicitur eſſe alterius cauſa peccati ſibi contrarij ſecundum ſpeciem, V. g. ſi quis actum prodigalitatis exerceat, vt auaritiæ finem conſequatur. Et hęc de primo puncto. In altero declaratur peccatũ vnum, ex altero quatuor modis oriri: primo per modum auerſionis, ſecundum qđ vnum mortale peccatum priuat gratia, qua homo priuata labitur in peccatum. Secundo per modum conuerſionis, ſecundum quod ex

actu peccati, habitus derelinquitur, & ex habitu iterum actus ꝓcedit. Tertio per modum adminiſtrationis, vt gula, quæ luxuriæ materiam miniſtrat, & vice verſa. Quarto per modum ordinationis: quatenus vnum peccatum in finē alterius ordinatur, V. g. vt quis ad habendam pecuniam cum furatur. In ſequenti vlterius tendentes, multo plura notatu digna in medium producemus. Hęc intantùm vobis ſufficiant.

QVOT MODIS PECCATVM CAVSA SIT PAENAE, ETC.

Lectio CLXXXXV.

ADhuc duo non leui conſideratione digna mihi declarãda occurrunt: quorum primum eſt: quo modo peccatum cauſa pęnæ, & peccati pęna dicendum. Inſuper documenta nouē vtilia ualde de peccato accedunt. Quãtum ad primum, ſi nulla culpa pręceſſiſſet in homine, nec in natura, nec in perſona, nulla ꝓculdubio fuiſſet pęna, at quia pręceſſit culpa, vel in natura, vel in perſona: propterea ſecuta eſt pęna, & ita peccatum, vel naturæ, vel perſonæ, dicitur cauſa pęnæ. Inſuper ratione inordinationis peccatum pęna vocatur; nam inquit Aug. in lib. confeſſionum: Iuſſiſti domine, & ſic eſt, vt ipſe ſibi pęna ſit oĩs inordinatus animus, vel affectus: ergo, &c. Ratio aũt huius inordinationis eſt, vt qui contra ordinem aliquē peccat ab ordine puniatur. Triplex aũt ordo eſt: primus in homine rationis ad diuinã uoluntatē: ſecundus paſſionis ad rationem: tertius hominis inferioris ad ſuperiorem. At

quia

quia peccatum ordinem talem prɇuertit, ideo triplicem pɇnam incurrit. Supremam ſcilicet diuinæ iræ odium: nam Altiſſimus odio habet peccatores. Secundo pɇnā incurrit intrinſecam à ſe ipſo: vt puta conſcientiæ ſtimulum, ſiue remorſum. Vnde Aug. ii. Soliloq; conſcientia aūt rei in pɇna ſemper eſt. Nunquam ſecurus eſt reus, mens enim mali conſcientiæ ſtimulis proprijs agitatur. Tertio peccator ex peccato pɇnam incurrit intrinſecam ſcilicet, vel à proximo, vel à mundo, nam peccatum pacis ſolamen aufert, quia nō eſt pax impijs. Prɇterea peccatum afflictionis pɇna dicitur, vt patet de ira, inuidia, & alijs ſimilibus. Vlterius eſt pɇna, ratione deformitatis ob carentiam rectitudinis rationis, qua homo per peccatum priuatur: ideo reſpectu huius deformitatis ſibi pɇna dicitur: vti illi, qui deformi habitu indueretur, hoc ſibi pɇna foret. Deinceps peccatum dicitur pɇna ratione permiſſionis. Nam aliqui à Deo puniuntur, dùm eos in aliqua incurrere peccata permittit: ad bonum ipſorum, vel aliorum. Ad bonum ipſorum, vt poſt peccatum per pɇnitentiam reſurgentes, humiliores, cautiores, & feruentiores fiant. Secundo Deus aliquos ruere in peccatum ad aliorum bonum permittit, vt videntes de peccato in peccatū aliquos ruere ipſi peccare formident. Deinde peccatum ratione commiſſionis pɇna dicitur; nam pp meritum prɇcedentis peccati Deus peccatorē deſerit, quæ derelictio iuſta eſt, & pɇnæ talis rationē habet. Vlterius ratione priuationis peccatum cauſa pɇnæ eſt; nam cum dicat auerſionem à Deo, propterea pɇna his accedit, qđ quis p peccatū gratia priuatur: ideo cauſa leſionis peccatum pɇna vocatur. Alijs quoque modis peccatū pɇna dicendum, & primo, ꝗ a facienti multipliciter nocet;

nocet; nam ex mortali peccato mens primo denigratur: ſecundo ſpirituali vita priuatur: tertio à bonitate diuina ſeparatur: quarto ęterna pęna cruciatur; Et hęc de puncto primo. Subſequitur alterum de peccato, nouem vtilia documenta continens. Primum eſt, quòd peccatum eſt pęna ſequentis. Secundum eſt, ꝙ oīs pęna, tàm corporalis, quàm ſpiritualis à Deo eſt: alia tamen, & alia ratione, nam corporales pęnæ ſenſibiles à Deo, vt ab agente eſſe dicuntur: ſpirituales uerò ſunt à Deo, ſicut à nō agente, at vt à ſubtrahente. Tertium eſt, ꝙ oīs pęna eſt peccatis medicina, vel aliorum, vt de facili ex dictis eſt manifectum. Quartum eſt, quòd duplex datur pęna ex peccato proueniens, ſcilicet pęna acta, & pęna inflicta. pęna acta dicitur nocumentum quoddam effectiuè ex peccato proueniens, vt eſt gratiæ priuatio, qua pęna peccatum nunquam caret. Inflicta verò illa pęna eſt, quæ infertur, vel à Iudice meretur, qua pęna peccatum caret ad tēpus. V. g. dùm quis patrē occidit, ſtatim à iure pęnā exheredationis incurrit, deinde pęnā expectat mortis. Quintum eſt, ꝙ Deus vnum peccatum punit, permittendo peccatorum in aliud incurrere, vel in pęnam peccatoris reſpectu precedentium, vel in melius, ſi per pęnitentiam emendetur. Sextum eſt, quòd primum peccatum gratiam tollit, non ſecundum quia nòn inuenit. Septimum eſt, quòd in actu peccati eſt aliquid de intentione peccantis, & aliquid preter eius intentionē. Reſpectu primi, ecce delectatio, quā vult peccator: reſpectu ſecundi, eccè naturæ corruptio, vel deformitas actionis, & ideo in hoc, quòd libenter facit, punitur. Octauum eſt, quòd pęna, quæ alicui reſpectu bonorum ſpiritualium, ac temporalium ex ꝓprio peccato cauſatur. Nonum,

&

& vltimum eſt, quòd pena, vel in penam peccatoribus à Deo proſperitas datur, q̄d totum eſt in malum eorum. Similiter flagella, quibus iuſti in preſenti vita flagellantur eis propriè loquendo non ſunt penæ, quia ex eo, quòd flagellantur, & iuſti puniuntur, totum in eorum bonum cedit, quoniam per hoc ad virtutem proficiunt: Et hec de propoſitis pauca ſint dicta ſatis.

DE PECCATO IN SPIRITVM SANCTVM. Diſtinctio XLIII. Lectio CLXXXXVI.

EX quo de peccatis in genere multa diximus in ante habitis ſermonibus noſtris: conſequenter nunc in preſenti de quodam in ſpecie diſſerendū peccato, ſcilicet in Spiritum ſanctum. Sed antequàm id fiat, diſtinctio prius diuidenda erit in ſecta octo. In concluſionem primo. In rationes duas ſecundo. In nouam concluſionem tertio. In queſitum quarto. In triplicem peccati in Spiritum ſanctum deſcriptionem quinto. In dubium ſexto. In concluſionē ſeptimo. Pro probatione in notandum octauo. Quātum ad primum. Sit hec concluſio. Peccatum in Spiritum ſanctum oīum peccatorum grauiſſimum eſt, eo quia neq; hic, neq; in futuro ſeculo remittitur. Ad quam probandam duabus rationibus vtitur ſecundo loco Magiſter: quarū prima deſumitur ex dictis Chriſti in Euangelio dicentis: Qui peccat in Spiritum ſanctū non remittetur ei, neq; hic, neq; in futuro. Altera colligitur ex dictis Io. iiii. dicentis. Qui peccat in patrem, vel in filium remiſſionem penæ recipiet,

cipiet,

actum: ideo ratione errante, ipſa conformiter eliciente, non rectè elicit, niſi error eſſet inuincibilis, & ita ex ignorantia peccat, & tale peccatum appropriatè dicitur in filium, cui appropriatur ſapientia. Hęc Gabr. peccatū aūt in Spiritū ſanctum (vt idem ſcribit) eſt, quando uoluntas peccat ex libertatę propria, non delectando appetitu ſenſitiuo, nec ex errore rationis, & tunc dicitur peccare ex malitia, quia non ex paſſione: quare illud peccatum dicitur in Spiritum ſanctum, cui attribuitur bonitas. Sed hic notandum, ꝙ tale peccatum non debet dici in Spiritum ſanctum, quia offenſiuum ſit Spiritus ſancti, & nō Patris aut filij. Nam harum perſonarum trium, ſicut vna eſt eſſentia: ita vna uoluntas, vna bonitas, vnus honor, & dignitas. Vnde quicquid eſt contra vnam perſonam in diuinis, eſt ēt contra oēs, & ideo quiſquis offendit, ſiue inhonorat Spiritum ſanctum, non ſecus dicitur inhonorare Patrē, & filium. Dicitur ergo peccatum in Spiritum ſanctum non quia actus illius peccati terminetur obiectiuè ad Spiritū ſanctum, & nō ad filium, vel patrem, ſed benè in Spiritum ſanctum, quia ex malitia, & cōtemptu fit. At ex dictis una cū Magiſtro ſexto loco quęretis. Num oīs deſperatio, & obſtinatio debeat dici peccatum in Spiritum ſanctum. Circa hanc difficultatem, quidam partem ſequuti ſunt affirmatiuam dicentes, ꝙ ſic. Verum quia videbant multos obſtinatos, & deſperatos conuerti: propterea dicebantur communiter tale peccatum ſimpliciter irremiſcibile nō eſſe, ſed ideo, quia difficulter remittitur. Quidam alij ſunt opinati, non oēm obſtinationem, vel deſperationem peccatum eſſe in Spiritum ſanctum, at illā tantùm, quam cōcomitatur finalis impęnitentia: ſub quo ſenſu irremiſſibile

tale

tale peccatũ iſti ſimpliciter eſſe dicebant. Et hęc de ſex punctis. In ſeptimo habetur talis concluſio, quòd tale peccatum in Spiritum ſanctum commiſſum: non qđ fiat ſine aliarum perſonarum diuinarum offenſione dici debet, ſed quia cõtra attributum tertię perſonę in diuinis, ſcilicet contra bonitatem Spiritus ſancti committitur. Quod per notandum octauo declaratur loco: ſacra enim ſcriptura Patri potentiam aſcribit: filio ſapientiam, & Spiritui ſancto bonitatem, ſiue clementiam: ideo peccatum ex infirmitate patratum, fieri dicitur contra patrem, & commiſſum ex ignorantia contra filium: tandem ex certa, ac deliberata malitia contra Spiritum ſanctum, vt perbellè in corpore eſt hoc determinatum. Et hęc ſatis pro pręſenti diſtinctione.

DE QVIDDITATE PECCATI IN SPIRITVM SANCTVM.

Lectio CLXXXXVII.

IN *proxima pręterita lectione noſtra ex voto Magiſtri ſent. varias peccati in Spiritum ſanctũ deſcriptiones adduximus; merito nunc, quia ocium nobis ſuppetit iudicium, atq; ſententiam de quidditate huius peccati in Spiritum ſanctum primo feremus. Inſuper varietatem eiuſdem docebimus. Tertio irremiſſibilitatem. Quantum attinet ad primum. Peccatum in Spiritum ſanctũ eſt inordinatus actus uoluntatis tendentis in malũ ex certa malitia per cõtemptum alicuius impedientis peccatum. Huius diffinitionis cauſa formalis: inordinatus dicitur actus: peccati enim eſſentiam*

dicit.

dicit. Voluntas verò cauſam materialem reſpicit, in qua peccatum ſubiectiuè ponitur. Tendentis in malum, ideſt in commutabile bonum cũ auerſione à bono incommutabili, dicit cauſam finalem. Nã voluntatis obiectũ finis eſt ex certa malitia, ideſt ex habitu vitioſo denotat cauſam efficientem per ſe, quoniam habitus eliciens actum cauſa per ſe dicitur, vt patet 1. Ethic. Inſuper, dùm apponitur per contemptum alicuius impedientis peccatum, efficiens cauſa per accidens vocatur, quia oẽ remouens impedimentum, cauſa efficiens per accidens appellandũ. Et hęc de quidditate, ſiue natura peccati in Spiritũ ſanctum. Cuius varietas ſecundo conſideranda eſt loco. Nã ſecundum Aug. in lib. de fide ad Petrum, & in Enchiridion, & de baptiſmo paruulorum, ſex variatur modis, iuxta ſpecies ſex peccati in Spiritum ſanctum. Quarum prima deſperatio: ſecunda pręſumptio: tertia finalis impęnitentia: quarta obſtinatio: quinta impugnatio agnitæ veritatis: ſexta eſt inuidentia gratiæ fraternalis. Prima nanq; ſpecies eſt deſperatio: cum enim peccator in peccatorum baratrum cecidit, conſiderans ſuæ culpæ grauitatẽ, vnde concipere deberet ſpem veniæ propter diuinam bonitatem ſibi perſuadet nunquam cõſequi poſſe remiſſionem, & gratiam à Deo; & ita cõtemnens Dei miſericordiam deſperatur, ſicut de Chaym legitur. Altera ſpecies eſt pręſumptio: cũ peccator iacens in peccatis, ac ſceleribus, nec reſurgere curans, quia ſine pęnitentia, & ſine meritis veniam, & gloriam pręſumit, qua ſecunda peccati ſpecie in Spiritum ſenctum peccare dicitur. Tertia eſt finalis impęnitentia, prout negat actum, & propoſitum confitendi. Cum itaq; peccator infęlix firmat ſe in propoſito non dolendi, nõ confitendi, neq;

ſatisfa-

ſatisfatiendi: tunc in Spiritum ſanctum peccare dicitur. Quarta ſpecies eſt obſtinatio, qua multi in malis habituati, volentes viuere ſecundum carnem, firmo, ac pertinaci propoſito, vt ipſis inhereant ad ſuā perditionem, relinquere huiuſmodi peccata minimè auentes, nec volentes in Spiritū ſanctum hac quarta ſpecie peccant. Quinta ſpecies dicitur impugnatio agnitæ veritatis; ſecundum quam, illi qui ſuā volunt concupiſcentiam ſequi, vt liberius peccare valeant, animæ immortalitatem: purgatorium, & huiuſmodi pertinentia ad ſalutem negant, & ideo peccant. Sexta ſpecies peccati in Spiritum ſanctum eſt inuidentia fraternalis gratiæ, qua peccator maledictus fratri inuidet ſuo pp Dei gratiam illi, & mundo communicatam: nollet enim, quòd Dei gratia communicaretur, quia oēs uellet culpæ ſibi ſocios fore, peccat icciрco, hac vltima ſpecie. Demū conſiderare debemus peccati in Spiritum ſanctum irremiſſibilitatem. Nam irremiſſibile dicitur tribus modis: ſcilicet negatiuè, priuatiuè, & contrariatiuè, vt verbis Alberti vtar. Si primo modo ſumatur irremiſſibile negatiuè, ita vt nullo modo remitti poſſit, ſic dęmonum peccatum, & damnatorum irremiſſibile eſt: non ſolum horum, verū ēt illorum, qui ſunt in peccato finalis impotentiæ perſeuerantes vſq; ad mortem in peccato mortali, & de huiuſmodi intelligitur textus Euangelij. Qui dixerit verbum contra Spiritū ſanctum, non remittetur ei, neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro. Secundo irremiſſibile priuatiuè illud dicitur, qđ de ſe nullam habet congruentiam, qua remitti debeat, licet ex congruo Dei, poſſit oē peccatum remitti, & hoc modo loquendo, oē mortale peccatum, de ſe irremiſſibile eſt. Tertio modo cōtrariè, ſecundū qđ aliqua culpa

habet

habet contrariam diſpoſitionem ad hoc, vt remittatur: ſecundum enim naturam ſuam eſt irremiſſibile, inquantum ea excludit, per quæ remiſſio fit peccatorum; dùm ergo peccatum in Spiritum ſanctum dicitur irremiſſibile, hoc habet intelligi quantum ad hoc, q̄ ea excludit, per quæ fit remiſſio peccatorum, vel ſic. Eſt irremiſſibile de ſe, vel de difficili, non tamen de impoſſibili, niſi cum perſeuerãtia mali ꝓpoſiti. Rurſus dicit pōt: tale peccatum irremiſſibile ex parte ſtatus, quo modo oē peccatum vſq; ad terminum vitæ durans eſt irremiſſibile: ex parte verò diuinæ potentiæ abſolutæ oē peccatum remiſſibile dicitur: pōt enim Deus peccatum non vindicare, nec ad pœnam imputare, cum oppoſitum non includat contradictionem. De potentia verò ordinaria euenit aliter, quia Deus ſecundum legem ſtatutam non remittit peccatum, niſi homo conuertatur per pœnitentiam veram. Nullus ergo in hoc mortali corpore cōſtitutus deficiat, nec à ſpe cadat, quia ex parte Dei oīpotentis oē peccatum remiſſibile, & remediabile eſt; ſimiliter ex parte potentiæ liberæ voluntatis. Nā quicunq; peccator ad bonū moueri pōt per liberum arbitrium diuina gratia adiutrice. Accedant itaq; peccatores ad Dei miſericordiam, vt à ſuis infirmitatibus ſanētur.

NVM CONCEDENDVM SIT PECCATVM IN SPIRITVM SANCTVM.

Lectio CLXXXXVIII.

AD vberiorem doctrinam eorum, quæ dicta ſunt à Magiſtro ſent. queſita duo proponemus in preſenti: quorum primum. Vtrum detur peccatum in Spiritum ſanctum.

Inſuper, Vtrùm irremiſſibile ſit. Circa primum videtur eſſe dicendum, quòd non. Nā vna eſt maieſtas Patris Filij, & Spiritus ſancti, at nullum peccatum dicitur cõmitti in Patrem, aut filium: igitur nec in Spiritum ſanctum. Inſuper nulli ſecundum ſe malitia placet: ergo tale peccatū in Spiritum ſanctū datur minimè. Tertiò ſi daretur huiuſmodi peccatum eſſet ad mortem, at tale nequit eſſe: ergo, &c. Minor clara eſt, quia oē peccatum mortale dicitur eſſe ad mortem: nec ob id in Spiritum ſanctum nominatur peccatum: ergo. In oppoſitum ſe habet illud Matthei xii. & ſimile habetur Marci tertio: inſuper Magiſter in textu: quare rationes formatæ diluendæ erunt, cum ſatis abundè de hoc peccato alias dixerimus. Dici ergo põt ad primam, quòd minor propoſitio ſit falſa, nā datur peccatum in Patrem in Filium, & in Spiritum ſanctum: vt iam ex dictis eſt manifeſtum; & maximè contra Spiritum ſanctum, malè ſentiendo de perſona Spiritus ſancti, vti malè ſenſerunt illi, qui dixerunt, eſſe miniſtrum Patris, & Filij: aut peccando cõtra eius attributum, qđ eſt bonitas, & ſic patet, quo modo his duobus modis cõtingat peccatum in Spiritum ſanctum: in Patrem, & in Filium, ſcilicet malè ſentiendo de perſona Patris, & Filij: aut peccando contra eorum attributa. Ad ſecundam rationem dicitur, quòd quamuis nulli ſecūdum ſe malitia placeat ſub ratione malitiæ: tamen quia, qui peccat ſponte eligendo proſequi delectabile, non obſtante, ꝙ lateat minime ipſum, illud eſſe malum, & contra legem Dei: iccirco in Spiritum ſanctum peccare dicitur, quia ex certa malitia. Antecedens itaq; concedi habet ſecundæ rationis adductæ ſub ratione malitiæ, at negandum ratione electionis, & propriè

malitiæ. Ad tertium argumentum reſpondetur ad minorem: omne ſcilicet mortale peccatum eſſe ad mortem: id duobus poſſe concipi modis, quia mors duplex eſt: prima, & vltima. Mors prima eſt gratiæ priuatio, per quam ſpiritualiter viuimus, ad quã oẽ mortale peccatum ducit, ſed quia ex hac poſſibilis eſt reditus ad vitã, Deo principaliter preſtante remedium, & homine cooperante per lib. arbitrium: propterea omne mortale peccatum non dicitur ducere ad mortem ſimpliciter, ſed ad primam; ad vltimam verò mortem, quę mors ſimpliciter nuncupatur, ſolum peccatũ in Spiritum ſanctum ducit, quia, quantum eſt de ſe, reditum ad vitam excludit. Argumentũ ergo currit primò modo, at ſecundo modo nõ occurrit ad portas. Et hęc de primo quęſito. Cui alterum nectitur, dùm inquiritur: An tale peccatum irremiſſibile ſit? mihi primo aſpectu videtur eſſe dicendum, quòd non, quia ſic remiſſionis potentiam tolleret, at non hanc tollit: ergo. Deinde, vt nulla virtus in hoc mundo datur, quæ hominem in bono confirmet: igitur nec vitium, qđ in malo, & ita peccatum in Spiritum ſanctum nõ poterit dici irremiſſibile. In oppoſitum ſe habet ſacra pagina; idcirco pro reſponſione hęc preſupponenda erunt: primo, quòd peccatũ in Spiritum ſanctum ſumitur hic pro finali impęnitentia. Inſuper, quod irremiſſibile ſit, quia de difficili remittitur: preterea, qđ irremiſſibile ſit ex parte obſtinationis peccatoris, at ex parte Dei remiſſibile. Nunc ad rationem primam dico, ꝙ tale peccatum ſimpliciter non eſt irremiſſibile, quòd Deus non poſſit remittere, quo modo nõ tollit potẽtiam remiſſionis ex parte Dei. Nec dici põt irremiſſibilę ex parte hominis, quia non ſit ſuſceptibilis talis remiſſionis, ſi Deus

eam facere vellet: cuicunq; enim impœnitenti Deus dare pōt, qđ pœniteat; nec ēt debet dici irremisſibile, quia totaliter in malo confirmet, at quia excludit, quantum eſt de ſe, aptitudinem ad remisſionem ex parte cauſæ peccati, & ex parte modi, & ex parte obiecti, vt alias dixi. Ad ſecundum argumentum, licet aſſumptum iure merito negari poſſet, tamen via reſſolutiua vt procedam, concedam peccatum in Spiritum ſanctum irremisſibile non eſſe, niſi eo modo, quo determinatum. Et hęc de propoſitis.

QVOT MODIS PECCATVM IRREMISSIBILE FIAT.

Lectio CLXXXXIX.

PRO maiori intellectu, notitiaue peccati in Spiritum ſanctum hodierna ſum die dicturus, quot modis irremisſibile fiat; & q a tribus fieri dicitur modis: primo ratione malitiæ: ſecundo ratione inobedientiæ: tertio ratione extremæ impœnitentiæ: propterea pręſens lectio puncta tria habebit. Quantum ad primum. Peccatum effici dicitur irremisſibile primo, ratione malitiæ, nam qui ex ignorantia, vel infirmitate peccat, minorem culpam committit, & ideo minorem pęnam meretur. At peccatū, quod ex malitia committitur, quantum eſt de ſe, meretur, vt non remittatur. V. g. qui blaſphemat in filium hominis, eius diuinitate nundum reuelata, excuſationem habere poterat ob carnis infirmitatem, quam in Chriſto conſpiciebat, & ita minorem pęnam merebatur, at eius reuelata diuinitate, grauius peccabat, ad cuius euidentiam eſt notandum, qđ ex certa peccare malitia, quatuor modis

contigit:

contingit: ſcilicet mortaliter, ſcienter, delectabiliter, & contemptibiliter. Primo ergo peccare ex certa malitia eſt mortaliter peccare. Vnde peccat ille ex certa malitia, qui peccat per voluntatem, malitia deformatam, vel informatam, & hoc ad differentiam peccantis uenialiter. Inſuper peccare ex certa malitia nil aliud eſt, quàm ſcienter peccare, & id eligere, cui malũ ſit annexũ. Tertio in hunc modum peccare, eſt delectabiliter malè agere. Vnde ille ſic peccat ex malitia, cui placet malitia, vt patet de concubinarijs, & alijs peccatoribus hoc modo peccantibus, tanquàm non ſint iſti rationem reddituri de omni verbo otioſo, & multo magis de peccatis grauibus contra diuinam legem commiſſis. Quarto ex malitia certa peccare, nil aliud eſt, quàm contemptibiliter operari, vt patet de illis, qui contemnunt, & ea abijciunt, per quæ à peccato retrahi poſſent. Solet ſecundo peccatum irremiſſibile fieri ratione inobedientiæ peruerſæ, quod euenit, quando homo à ſe gratiam abijcit, vel pęnam, vt medicinam contra culpam, non recipit; tertio quando alimoniam ſumere faſtidit, ideſt Euchariſtiæ ſacramentũ. Tertio fieri dicitur irremiſſibile peccatum ratione impęnitentiæ: illa enim finalis impęnitentia, quæ peccatum concommittatur, peccatum irremisſibile eſſe facit in hoc ſeculo, & in futuro: vt deſperatio, p̃ſumptio, &c. A quo, & à q̃bus q̃ uolunt recedere peccatis: intueri debent Dei primo amorẽ erga nos: ſic enim Deus dilexit mundũ, &c. Inſuper timorẽ pęnæ ęternæ, q̃ incurrent nõ ſe à malo retrahentes. Tertio peccati deformitatẽ, q̃ tanta eſt, vt peccatores à Deo uera beatitudine ſeparet. Eia ergo hilari vultu, quęſo, accedant ad Deum delinquentes, & facies illorũ illuminabuntur. Amen.

DE POTENTIA PECCANDI A QVO NAM SIT. Diſtinctio XLIIII. Lectio CC.

MVlta diximus hueuſq; de peccato, quātū ad ipſius actū, propterea conſequenter in hac huius libri nouiſſima diſtinctione de peccandi potentia loquendum, & hęc de continuatione pręſentis cum ſuperioribus diſtinctionibus. Nunc de more noſtro diuidenda erit in particulas ſeptem hęc diſtinctio, ſcilicet in concluſionem primo. In quęſtionem ſecundo. In diuerſas opiniones tertio. In alteram cōcluſionem quarto. In propoſitionem quinto. In dubium ſexto. In continuationem dictorum, & dicendorum ſeptimo. Circa primam particulam hęc concluſio ponitur. Quamuis ad mentem antiquorum à Deo ſit oīs poteſtas, inquātum potentia operandi eſt: non tamen ab eo inquantum peccandi potentia eſt. Ad qđ videndum venit ſecundo puncto quęrendum. Vtrū peccandi potentia ſit à Deo. Circa difficultatē hanc eſt ſciendum quoſdam opinatos eſſe, potentiam peccandi minimè eſſe à Deo, ſed tantùm bonam, & rectam voluntatem ineſſe nobis à Deo: malam verò voluntatē à nobiſmet ipſis, & à diabolo eſſe. At dicetis: quid eſt potentia peccandi? ad hoc pōt reſponderi, qđ illa vocatur peccandi potentia, qua voluntas pōt aliquid velle, vel nolle, aut ēi non velle contra legem, cui obedire tenetur. Quæ potentia ſecundum rem nihil aliud, quàm lib: arbitrium, ſeu voluntatis libertas, qua pōt in vtrunq; contradictoriorum, & illa libertas non dicitur diſtingui à uoluntate, ſed eſt ipſamet uoluntas: nihil enim dicit uo-

luntas

luntas libertatis, quàm voluntatem in ſubſtrato, & connotat, eam circa obiectum ſibi ab intellectu oſtenſum elicere poſſe, & non elicere velle, aut nolle, nulla mutatione facta circa obiectum. Hoc aũt poſſe, dicit uoluntatis naturam ſic à Deo conditam: peccandi enim potentia à Deo rationali creaturæ eſt collata, vt hac in parte aſſerit Magiſter ſent. in tertio puncto; nec id mirum, nam omnis peccãdi potentia eſt libertas, at hęc à Deo: igitur, & poteſtas peccandi à Deo. Et quamuis peccãdi uoluntas culpabilis ſit, & mala; potentia tamen peccandi commendabilis eſt, & bona. Nam laudabile eſt poſſe tranſgredi, & facere mala, & non facere. Concludi ergo habet in pręſenti, q̃d tàm boni, quàm mali potentia ſit à Deo, vt authoritatibus multis ſanctorum declaratur in textu: ſcilicet Apoſtoli: D. Aug. Iacobi, & ſimilium. Vnde Iob de domino ait: Qui facit regnare hypocritã ꝑ peccata populi: & de Populo Iſrael dicit Deus: Dedi eis Regem in ira mea: nocendi enim voluntas poteſt eſſe ab homine, poteſtas aũt non eſt, niſi à Deo ęquo, etſi te lateat ęquitas, & eius iuſtitia. Expoſitis iam tribus ſegmẽtis de ſeptem propoſitis, quartum accedit, vbi ꝑ dictorum confirmatione ponitur talis concluſio. Veriſimilius eſt, oẽ m̃ potentiam eſſe à Deo, non ſolum bonum operandi, verum ẽt peccandi, vt ex pręnotatis confirmatur authoritatibus. Hinc propoſitio quinto ſub his verbis ponitur loco. Quamuis poteſtati benè adminiſtratæ ſit ſemper ſecundum regulam ſacræ ſcripturæ obediendum: abuſui tamen eius ſecundum rectã rationem eſt quandoq; reſiſtendum. Ad cuius intelligentiam dubitatur ſexto. Vtrum quilibet poteſtati reſiſtens ſemper peccare dicatur, cum oĩs poteſtas ſit à Deo. Ad q̃d de facili

poteſt dici: ſemper poteſtati obediendum eſſe, niſi aliquid contrà Deum pręcipiatur, ita tamen, quòd ſi diuerſæ poteſtates pręciperent diuerſa, ſuperiori obediendum ſit. Nullus tamen Deo inferior debet pręcipere aliquid, quod ſit contra Deum, qđ ſi fecerit, tunc ſubditus illi obedire non tenetur; Et hęc de ſex partibus. In ſeptima continuando dicta dicendis dicit doctor in ſequenti lib. tertio videlicet de his, quæ ad verbi incarnati myſterium ſpectant, eſſe determinandum, & ſic ad portum deuenit lib. iſte ſecundus in eo, qui eſt finis oĩum, qui viuit, & regnat in ſęcula ſęculorum. Amen.

NVM PECCANDI POTENTIA SIT A DEO. Lectio CCI.

C*Irca diſtinctionẽ iſtam opportunum erit duo perpulchra queſita examinare: quorũ primum, an peccandi potentia ſit à Deo. Alterum verò, Num pręlatio, & quęcunque dominandi poteſtas à Deo ſit. Quantum ad primum, negatiuam quidam tuentes partem ita ratiocinantur. Illa actui coniuncta potentia perfectior dicitur eſſe, quàm ſeparata; at Deus non dicitur cauſa potentiæ peccandi, vt eſt coniuncta actui: igitur neq; vt ſeparata, & ita nullo modo peccãdi potentia eſt à Deo: quare malè Magiſter. Pręterea, ſi peccandi potentia ineſſet nobis à Deo, aut naturalis, aut lib. arbitrij, aut gratiæ foret, at primum dici nõ põt, quia naturalibus potentijs nec meremur, nec demeremur: non ſecundum, quia dicit Anſelmus de lib. arbitrio: poſſe peccare, non eſſe libertatem, neq; partem libertatis: nõ tertium, quia gratia inclinat*

clinat ad oppoſitum peccati: nulla ergo in nobis peccandi potentia eſt à Deo. Ex alio latere, quia D. Aug. ait, quòd voluntas eſt, qua peccatur, & rectè viuitur, & uoluntas ineſt nobis à Deo: iccirco videtur eſſe fatendum, quòd peccandi potentia in nobis ſit à Deo. Pro dilucidatione itaq; huius quęſiti vt multa, q̃ ab alijs in caſum circa materiam pręſentem dici contueuerunt, omittamus, diſtinctionem peccandi pręmittemus. Potentia ergo peccandi, vel immediatum ordinem ad actum peccandi dicit, aut dicit fundamentum huius ordinis, cuius habens illud, potens peccare dicitur. Si primo modo, tunc rurſus diſtinguendum, aut enim ordo eſt ad actum deformitati ſubſtratum, aut ad illam deformitatem, quæ in actu eſt. Si primo modo, ille ordo dicitur à Deo. Si ſecundo modo, talis ordo ad peccare nihil eſt: ſicut & terminus ſcilicet peccare nihil eſt: & ideo non eſt à Deo. Poteſt inſuper dici, quòd potentia peccandi pro fundamento vtriuſq; ordinis poſitiui, & priuatiui, vel effectiuè, vel defectiuè ſit à Deo. Quibus pręmiſſis addenda modo eſt rationum ſolutio. Dicitur ergo ad primam, quòd maior propoſitio vera eſt in bonis, nõ aũt in malis: quare potentia actui vnita certè perfectior, quàm ſeparata, at in malis imperfectior eſt, quia malum, imperfectio quędã eſt. Inſuper neganda venit ipſa minor, quia ſuperius non fuit dictum, ꝙ Deus non ſit cauſa potentiæ peccandi, vt actui coniuncta, ſed benè, quòd non ſit cauſa immediata ipſius actus, & ideo malus ipſe actus, nõ debet, nec ei põt imputari ad culpam. Ad ſecundam rationem dimittentes partes duas extremas dicimus ad mediam, qđ peccandi potentia ſit lib. arbitrij, & dùm dicit Anſelmus, quòd poſſe peccare non eſt libertas, nec pars

libertatis:

libertatis: habet hoc intelligi, quòd non ſit eſſentiale libertati poſſe peccare: ob id non negat, quin potentia lib. arbitrij in creaturis nō ſit potens peccare, aut q̄d poſſe peccare non ſtet cum libertate. Et hęc de primo quęſito. Quantū ad ſecundum videtur poſſe ſuſtineri, prçlationem, & quamcunq; aliam dominandi potentiam à Deo minimè eſſe; nam quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt: vt habetur ad Rom. xiii. At in prçlatione, & dominandi authoritate, ſiue potētia, vt plurimum mala videtur inordinatio: non ergo talis à Deo. Minor vt ſuſpecta experientia declaratur; nam puer ſeni dominatur, & ſtultus ſapienti: ergo. Deinde Oſeæ viii. dicitur: Ipſi regnauerunt, & non ex me: dominandi itaque oīs poteſtas non à Deo. In contrarium ſe habet Apoſt. ad Rom. viii. dicens: Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: q̄d non eſſet, niſi prçlatio, & dominatio eſſent à Deo ordinata. Pro intellectu huius quęſtionis eſt ſciendum, quòd prçlatio inuenitur in hominibus ex ordinatione diuina, quantum ad debitum, non aūt quantum ad eius acquiſitionem, vel vſum malum, niſi eo modo, quo ſuperius à nobis fuit determinatum, quia ergo quantum ad debitum inuenitur prçlatio, propterea ex debito prçlati ſecundum rectam rationē viuere teneatur. His in hunc modum conſtitutis, nunc ad argumenta duo formata diluenda accedo: quibus ſolutis erit finis prçſentis noſtri ſermonis. Ad primum ergo dicitur ad minorem, q̄d mala deordinatio, quæ videtur in hoc mundo, non eſt à Deo, niſi permiſſiuè, & hoc ad maius bonum eliciendum. Ordinata enim ſunt, quæ à Deo ſunt per ſe primo. Ad ſecundum reſpondetur, quòd ipſi regnauerunt ſecundum Oſeam, ſed non ex me: ideſt in eis malum,

ſiue

ſue malitiam immittente, non tamen ſine me permittente, nec impediente. Et hęc ſatis.

635

NVM CHRISTIANI PRINCIPIBVS SECVLARIBVS OBEDIRE TENEANTVR. Lectio CCII.

SE ſe nobis offerunt adhuc tria quęſita originem ducentia ex Magiſtri ſent. verbis. Quorum vnum erit. An Chriſtiani principibus teneantur obedire ſecularibus. Inſuper, an religioſi ſuis prelatis in oı̃bus. Deinde, an monachus plus prelato ſuo, an Epiſcopo, ſeu Papæ. Quantum ad primum, pro parte negatiua ſic primo arguitur: Euangelica lex perfectæ eſt libertatis: quare nos liberat ab obedientia cuiuſcunque principis ſecularis: alioquin non eſſet perfectæ libertatis: Chriſtiani itaq; principibus ſecularibus obedire minimè tenētur. Deinceps quilibet licitè põt recurrere ad iudicium illius, cui obedire tenetur, ſed Chriſtianis non licet recurrere ad iudicium principum ſecularium, maximè, ſi infideles ſint: non ergo videntur teneri Chriſtiani principibus obedire ſecularibus: vnde Apoſt. primæ ad Cor. vi. reprehendit quoſdam, qui recurrebant ad iudices ſeculares infideles. Ex alio latere idem Apoſt. ad Rom. xiii. dicit, Quod oı̃s anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: igitur ſeculari poteſtati tenentur obedire Chriſtiani. Pro determinatione huius queſtionis diſtinctio ſecularium principum pręmittenda venit. Sunt enim quidam fideles, & infideles quidam. Si de fidelibus loquamur: Chriſtiani legitimè ſubſunt

ſunt

ſunt poteſtati fideli ſeculari. In his maximè, ad quæ ſe extendit poteſtas, non ſolum propter iram, ideſt pęnæ timorem, ſed propter conſcientiam, quia non obediendo Dei ordinationi Chriſtianus reſiſtit, vt dicitur ad Rom. xiii. Quantum verò ad ſecundum, an ſcilicet princeps ſecularis infidelis ritè poſſit prĝeſſe fidelibus Chriſtianis, & ex conſequenti Chriſtiani teneantur ei obedire, videndum eſt: ſuppoſito quid ſit infidelis, & quot dicatur modis: dupliciter enim dicitur infidelis, vt ſcribit Brulefer. vno modo, quia fide caret, vt ille, qui eſt baptizatus, & tamen eſt hęreticus. Alio modo, quia caret ſacramento fidei, ideſt non eſt baptizatus. Nunc diſtinguendum, vel enim ſubditus eſt conuerſus ad fidem, & non dominus, vel dominus, & non ſeruus. Si primo modo, diſtinctio fidelium ab infidelibus ipſo facto precedente nō tollit prelationem, vel dominium infidelium ſuper fideles: ius enim diuinum, qđ eſt ex gratia non tollit ius humanum, qđ eſt ex naturali ratione. Hic tamen animaduertendum, ꝙ quamuis ipſo facto non tollatur talis dominatio; poteſt nihilominus per Eccleſiæ ordinationē tolli, quæ habet authoritatem Dei. Infideles enim merito ſuæ infidelitatis, merentur ammittere poteſtatem ſuper fideles, qui transferuntur in filios Dei, & hoc quidem Eccleſia quandoq; facit: quandoq; aũt non facit propter ſcandalum vitandum: in illis ergo infidelibus, qui temporaliter Eccleſiæ ſubijciuntur, ius ſtatuit, vt ſeruus Iudeorũ factus Chriſtianus, à ſeruitute liberetur, ſi fuerit vernaculus, ideſt in ſeruitute natus: ſimiliter ſi emptus fuerit ad ſeruitium. His paucis pręmiſſis nunc ad rationes factas accedo, & ad primã dico: legem Euangelicam dici perfectæ libertatis, quia nos à pec-

cati

uati ſeruitute, quæ peſſima eſt ſeruitus; rurſus, quia nos ab oĩ lege veteri liberauit, nõ tamen à lege ciuili, per quam ſubditus domino tenetur obedire ſuo. Concedi ergo põt primo modo ratio, at ſecundo modo neganda. Ad ſecundam dicitur, quòd maior ſit falſa propoſitio: obedire enim principi in his, quæ ad huiuſmodi dominium pertinent, neceſſitatis eſt: trahere verò alium ad iudicium coram iudice infideli uoluntatis eſt, & ideo primum eſt debitum, ſecundũ verò non, ſed merè voluntarium. Vnde vbi vergit in periculum, tunc eſt illicitũ, in quo caſu loquitur Apoſtolus, vt per inſtantiam adducebatur; & hęc de prima quęſtione. Accedit altera de religioſis. An ſcilicet religioſi prelatis teneantur obedire ſuis in oĩbus. Mihi ſanè, quòd ſic, videtur eſſe dicendum, nam vt prelatus Deo obedire tenetur, ita prelato ſubditus obedire tenetur, q̃a in habentibus ordinem, ſic ſe dicitur habere primum ad ſecundum, ſicut ſecundum ad tertium. Preterea, Religioſus vt tenetur caſtitatem, & paupertatem ſeruare in oĩbus, ita & obedientiam: ergo. In oppoſitum ſe habet Bernardus dicens in lib. de precepto, & diſpenſatione, quòd ſubditus vltra promiſſum non eſt cogendus, at nullus religioſus pollicetur obedire in omnibus: igitur, &c. Pro reſponſione huius quęſiti eſt primo ſciendum, quid ſit religioſus. Nam vt ſcribit Gabr. is dicitur religioſus, qui regulam factitiam profitetur, & qui viuere in obedientia, paupertate, & caſtitate tenetur. Deinde notandum eſt, quòd obedientiæ debitum religioſorum ex voto religionis conſurgit: per ſolum enim votum obligat ſe vltra cõmunem obligationem neceſſariam oĩbus ad ſalutem. Votum autem ad obediendum non eſt in oĩbus, ſed ſolum ad obediendum ſecundum

regulam,

regulam, & ſtatuta legitima religionis, & ideo nullus religioſus prelato tenetur in õibus obedire ſuo, ſed ſolum quo ad illa, quæ ſunt in regula expreſſa, & ad religionis ſtatuta, vel ſaltem ad ea reducibilia, quæ in duplici ſunt genere: quedam enim ſunt reducibilia per modũ preſuppoſitionis, vti precepta iuris naturalis, & diuini: illa ergo, quæ vouentur à religioſis preſupponunt precepta, & ideo religioſi non ſolum à ſuis poſſunt puniri prelatis de conſiliorum tranſgreſſionem, quæ vouerunt: verum ẽt de preceptorum tranſgresſione. V. g. ſi ſint fures, ſi adulteri, periuri, vel blaſphemi, & ſic de alijs, niſi ſint talia crimina, quorũ punitio ſit ſuperioribus reſeruata. Alia ſunt reducibilia per modum cuiuſdam conſequentiæ, vt ſunt ea, quæ pertinent ad obſequia mutua; inſuper quedã alia ſimilia, ſine quibus ſtatus bonus religionis nõ videtur poſſe ſeruari. Hec ſunt igitur in quibus religioſus obedire tenetur. In alijs aũt, quæ aut non continentur expreſſe in voto profeſſionis, vel ſaltem reductiuè obedire ſuo non tenetur religioſus prelato. Vnde Bernardus loco ſuperius citato, ſcilicet in libro de precepto, dicebat. Nihil me prelatus prohibeat horum, quæ promiſi. Nihil plus exigat, quàm promiſi. Si tamen obediat mandatis dumtaxat licitis, benè facit, & eſt obedientia non neceſſaria, ſed perfecta; ſi verò in omnibus obediat, etiam in illicitis, fatuè facit, & obedientia temeraria eſt. His ita premiſſis, nunc ad primum argumentum dicendum, quòd prelati ſunt quidem medij inter Deum, & populum, non quo ad omnia, ſed ſolum quo ad illa, quæ ad ius prelationis ſuæ ſunt attinentia. In quibus omnibus vice Dei eſt eis firmiter obediendum, iuxta illud Lucæ dictum x. Qui vos audit,

me

me audit. Non autem in omnibus ſimpliciter. Ad ſecundum argumentum dupliciter poteſt reſponderi, & primo ſic, quòd caſtitas, & paupertas determinatam habent materiam, circa quam ſunt, nec limitari dicuntur ex religionis profeſſione, obedientia autem materiam habet latiſſimam, quia omne, quòd licitum eſt, poni poſſet ſub obedientiæ voto. & quia multa licita ſunt, quæ nihil facerent, aut valerent ad perfectionem vitæ religionis: ideo votum obedientiæ limitatur in ſingulis religionibus ad aliqua certa, quæ magis congruunt fini, propter quem inſtituta eſt religio. Qui finis proximus in varijs religionibus variatur. Reſpondetur ſecundo, quòd vti in omnibus licitis attinentibus ad caſtitatem, & paupertatem obedire religioſus tenetur: ita etiam in omnibus licitis, nec Deo, nec regulæ contradicentibus ſuo obedire pręlato tenetur. Et hęc de duobus quęſitis. Nunc tandem, vt ad tertiam quęſtionem deſcendamus, eſt opportunum. Quęri igitur ſolet. Vtri monachus teneantur plus obedire, an ſuo pręlato, an Epiſcopo, ſeu Papæ? Circa quęſtionem hanc multa mihi dicenda forent, at breuitati veritatiq; vt ſtudeam, hoc ordine procedam. Primo, quid ſit monachus, dicam: inſuper pro intellectu difficultatis ab Auguſtino minime recedam. Quantum ad primum. Monachus idem eſt, quòd ſolitarius, & dicitur à monos, ideſt ſolus. Sed quo modo ſolus dicetis vos: cum maximis vrgeatur curis? Nam illę vult fieri Abbas: Alter cellerarius primus: ille ſecundus: iſte confeſſor, & ille Decanus: Inſuper Prior, & ille ad extra Procurator. Non ergo monachus videtur dici, nec eſſe ſolus. Deinde, quo modo ſolus cum cęteris verſatur? Pro dilucidatione huius difficultatis

velim

velim vos particulam illam, ly ſolus, conſideretis cõcluſiuam, quæ duplicem poteſt nobis parere ſenſum. Vnus eſt, vt idem ſignificat, quòd ſolitariè: alter eſt, vt dicit diſtinctionem. Si primo modo monachus equidem ſolitarius dici non poteſt ob rationes adductas, & adducendas alias. Si ſecundo modo adhuc hòc duobus contingit modis, vel affectu, vel effectu: affectu non videtur poſſe dici ſolitarius, at habitu, & effectu ſic, quatenus ab hominum conuerſatione viuit ſeparatus, orando deuotè, corpus ſuum, & concupiſcentias caſtigando: ſine rumore in clauſtro, cum Dei dilectione: in capitulo ſine lite, ſed cum confeſſione. In choro cum ſimplicitate ſacrà: circa altare cum reuerentiæ honeſtate. Quorum omnium cuſtos obedientia dicitur eſſe, & hęc in gratiam veritatis dicta ſint, quantum ad hoc nomen, ſignificatumuè Monachorum. Nunc quo ad ſecundum, quid dicat Auguſtinus, audite. Ipſe enim ſentit, quòd ſemper ſublimiori poteſtati ſit magis obediendum: plùs ergo Epiſcopo, quàm Abbati; & Papæ, quàm cuicunq; inferiori. Sed hic notandum, quòd poteſtas inferior, & ſuperior poſſunt ſe habere dupliciter: vno modo ſic, quòd vtraq; oriatur à poteſtate ſuprema, quæ vnam ſubdit alteri, prout vult, & tunc vna non eſt ſimpliciter altera ſuperior in omnibus, ſed ſolum in illis, in quibus alteri preficitur ſecundum ordinationem ſupremæ poteſtatis, ſicut eſt de Epiſcopis, & Archiepiſcopis, & de Dioceſanis, & Abbatibus; quia iſtorum omnium poteſtates procedunt à poteſtate Papæ, & vna ſubijcitur alteri tantùm in certis caſibus, prout iura canonica volunt, quorum Papa eſt conditor. In his ergo caſibus magis eſt obediendum ſuperiori, quàm inferiori, puta Archiepiſcopo, quàm

Epiſcopo,

Epiſcopo, & Epiſcopo, quàm Abbati, ſi monaſterium non ſit exemptū. Alio modo poteſtas ſuperior, & inferior poſſunt ſe habere, ita vt inferior totaliter oriatur à ſuperiori, & ſic magis obediendū erit ſuperiori, q̃ inferiori. V. g. ſi Abbas pręcipiat monacho, vt ea, quæ in ſua profeſſione promiſit, ſeruet, illudq; idem Papa iubeat, tunc magis Papæ obediendum, quia ab authoritate Papæ dependet cuiuſlibet authoritas. Si uerò Abbas, & Papa oppoſita pręcipiant, in hoc caſu quid agendum? Reſpondeo, qđ Papæ magis obediendum, q̃ Abbati. V. g. Abbas pręcipit monacho ſeruare legitima ſui ordinis, puta remanere in clauſtro: Papa verò pręcipit, vt exeat clauſtrum, qui vult eum in aliquā mittere legationem. Magis ergo Pont. quàm Abbati parendum. Quid ſi Pontif. pręciperet monacho, vt ea faceret, quæ ſunt contra ſuam profeſſionem, non motus aliqua neceſſitate, vel Eccleſiæ vtilitate, ſed ſola ſua voluntate, & Abbas oppoſitum pręciperet? Dico breui, quòd in hoc caſu magis Abbati obediendum, quàm Papæ, non quia Abbatis authoritas non dependeat ab illa Papæ, nec quia ſuper monachos Abbas maiorem dicatur habere authoritatem ſummo Pontifice, ſed quia Abbatis pręceptum eſt ſecundum limites ſuæ poteſtatis tanquam conforme profeſſioni, per quam accipit poteſtatem in monachum. Pręceptum autem Papæ, quia excederet limites ſuæ poteſtatis, tanquam diſcordans à iure diuino: propterea magis Abbati hac in parte, quàm Papæ obediendum foret; Et hęc de libro ſecundo ſatis dicta ſint ad honorem Sanctiſs. Trinitatis: Patris: Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

LIBRI SECVNDI ERRATA,

benigne Lector ita corrigito.

Pag. Linea, Errori.

4. 2. *talia, tacta.*
7. 7. *aerem, aereum.*
7. 11. *Olimpum, Olimpium.*
18. 1. *ſubſequat̄, ſuſequūtur.*
21. 9. *ſit, ſint.*
26. 17. *illa, ille.*
28. 1. *cōſiderādæ, cōſiderāda*
30. 8. *fuiſſet, fuiſſe.*
40. 9. *demeruerāt, demeruerūt*
43. 3. *hęcdeitatem, hęcheitatem*
49. 6. *habeant, habeat.*
52. 15. *Angelorum, Angelum*
55. 21. *in Angelos, Angelo.*
66. 5. *deſinerent, deſineret.*
70. 13. *faſum, falſum.*
83. 2. *lucidum, luridum.*
108. 1. *admirabili, admirabilis.*
109. 12. *ſup hoc quod, ſup quod.*
114. 2. *Magiſtero, Magiſtro.*
118. 9 *accedit, accendit.*
121 23. *habeat, habet.*
121. 24. *rationi, rationis.*
128. 22. *quod eo, quod eſt.*
132. 10. *Diem, Die.*
128. 21. *hiue, ſiue.*
128. 25. *ſuos, ſuo.*
133. 1. *tunc, nunc.*
142. 14. *quieſuit, quieſcit.*
145. 3. *qualilalis, qualitatis*
151. 1. *pauſis, paucis.*
153. 21. *ſpheriue, ſphericæ.*
154. 2. *quadradæ, quadratæ.*
154. 5. *ſic, ſit.*
156. 12. *Cum, Cur.*
157. 2. *primi, primo.*

Pag. Linea, Errori.

157. 12. *notat, natat.*
† 158. *lin. pen. veteris, deeſt Adæ.*
159. 17. *pſuppoſito, prẹſuppoſito.*
160. 7. *omnimodum, oīmodam.*
pag. ead. videtur, videntur.
pag. ead. 23. motus, motum.
163. *lin. pen. vehemētis, vehemēti.*
163. 6. *vt putè, vt putà.*
164. 18. *ſimiliciter, ſimpliciter.*
† 167. 17. *alterius imago, alter alterius imago.*
† 167. 21. *eſt ſimilitudo, quę ē ſimilitudo.*
† 171. 11. *perfectior ē ei⁹ natura, dūda, qa perfectior ē ei⁹ natura.*
171. 5. *tunc perfectius, quia tunc perfectius.*
177. 9. *creatur, creetur.*
179. 22. *intelligi, intelligit.*
182. 2. *num, nunc.*
186. 2. *materam, materiam.*
189. 19. *vniforma, vniformia.*
† 194. *in fine, intelligetis perpendemus, lege ſic intelligetis.*
195. 5. *raticinor, ratiocinor.*
196. 2. *difficultalis, difficultatis.*
pag. ead. lin. 5. poteſt, potens.
198. 9. *paſſibilis, paſſibile.*
200. 19. *deſtinctos, deſtitutos.*
207. 21. *fuiſſet, fuiſſe.*
214. 4. *prẹuaricatas, p̄uaricatus.*
223. 20. *ad ex malū, niſi ad exemplū.*
224. 17. *apparet, apparēt.*
ibidem, quidem, quidam.
226. 19. *occurrunt, currunt.*
† 227. 1. *vt dictis, vt ex dictis.*

ERRATA LIBRI SECVNDI.

Pag. Linea, Errori.

222. 9. *factus, fauſtus.*
ibidem, lin. 11. factus, fauſtus.
ibidem, lin. 12. par, per.
ibidem, lin. 14. factus, fauſtus.
233. 2. *mouerit, nouerit.*
234. 10. *nouit, nocuit.*
236. 2. *potuit, potui.*
239. 4. *& quo, ex quo.*
ibidem, lin. 6. quia, qua.
ibidem, lin 11. diligentẽ, diligẽter.
240. 2. *preter, propter.*
241. 9. *acceſſißet, accidiſſet.*
249. 24. *tunc, nunc.*
251. 11. *Deum, Demõſtrationem.*
253. 2. *idem, iſdem.*
†256. 3. *quadam, & quędam.*
257. 24. *Hic ergo, Hic ego.*
259. 9. *dici, diu.*
266. 22. *imperati, imperatis.*
267. 5. *inferiori, inferior.*
273. 9. *in actu, in actum.*
276. 6. *liberium, liberum.*
276. 16. *qua, quam.*
279. 8. *explicando, explicanda.*
280. 4. *facere, fauere.*
284. 26. *difficultat, difficultate.*
295. 12. *at hoc, ad hoc.*
300. 18. *ſub electionẽ, electione.*
302. 11. *Vnum, Verum.*
303. 21. *Voluntati, Voluntatis.*
306. 13. *cauſalitati, cauſalitatis.*
309. 21. *claritas, charitas.*
310. 1. *clarum, charum.*
313. 7. *Magiſter, Magiſtri.*
315. 8. *iuuimus, Viuimus.*
321. 24. *Gerſon, Gerſonem.*

Pag. Linea, Errori.

323. 26. *ſecundum, ſecunda.*
328. 8. *Num, Nam.*
338. 18. *ſiue, ſine.*
340. 18. *Vite, Vita.*
343. 12. *tunc, nunc.*
ead. lin. quamtum tunc, quam nunc.
347. 20. *ſtimulus, ſtimulat.*
349. 20. *ordem, orbem.*
360. 2. *talis, tali.*
364. 24. *eplicandæ, explicandæ.*
†370. 9. *diſſicultatem, in difficultatem.*
373. 18. *ſit, ſint.*
†374. 12. *baptizati, Nã baptizati*
377. 10. *difficultatis, diſſicultati.*
379. 4. *quod, quid.*
387. 4. *orante, orantes.*
ead. lin. 9. malitiam, malitia.
393. 4. *pęna, penam.*
399. 7. *ac, at.*
†400. 13. *Dei, Dei eſt.*
401. 1. *quo, quod.*
402. 15. *& hic, at hic.*
403. *lin. Vlt. relinquet, relinquat.*
403. 2. *de, Die.*
ibidem, proi, proponemus.
405. *lin. Vlt. ad argumẽtum, ad argumenta.*
408. 5. *intender, intendere.*
ibidem, lin. 16. quod non, quod ſic.
409. *lin. penult. quod, quando.*
†411. *lin. vlt & pro, & hęc pro.*
415 11. *Varius, Verius.*
423. 15. *ſubſtinere, ſuſtinere.*
ibidem, lin. 19. laureola, aureola.
ibidem, lin. 20. laureolã, aureolam
424. 4. *tripliciteri, tripliciter.*

ERRATA LIB. SECVNDI.

Pag.	Linea,	Errori.
430.	8.	*multæ in, multæ ſint.*
ibidem, lin.	16.	*ſit omnis, ſic oīs.*
432.	16.	*accedit, accidit.*
433.	10.	*Duo, Dico.*
436.	24.	*flexibitate, flexibilitate.*
437.	5.	*Piſtorem, Pictorem.*
ibidem, lin.	21.	*nullum, vllum.*
438.	11.	*contrario, contraria.*
452.	14.	*ſapientia ſapientibus.*
461.	24.	*aductam, aduſtam.*
444.	1.	*concluſiuam, excluſiuã.*
† 465.	*vlt.*	*ſpecificè, ſpecificè plures.*
467.	6.	*autumeant, autumant.*
469.	5.	*fini, finis.*
469.	24.	*retione, ratione.*
470.	1.	*cõpleuinus, cõpleuimus.*
489.	17.	*preter, propter.*
492.	16.	*modu, modi.*
ibidem,		*ſed, ſeu.*
496.	22.	*lectione, ſectione,*
469.	24.	*vſum, viſum.*
500.	8.	*multam, multum.*
502.	4.	*in altero, in altera.*
515.	5.	*conſequuta, conſequutum.*
ibidem,		*venia, veniam.*
515.	10.	*ſubiecto, ſubiecta.*
519.	6.	*coniunctu, coniunctu.*
518.	2.	*mortali, mortalis.*
522.	9.	*peccatis, peccantis.*
eadem. lin.	10.	*manifectũ, manifeſtũ*
eadem. lin.	18.	*peccatorũ, peccatorẽ*
524.	15.	*commiſſam, commiſſum.*
526.	22.	*dicebantur, dicebant.*
532.	1.	*inpanitenti, impenitẽti.*
537.	5.	*in caſum, in caſſum.*
ibidem. lin.	6.	*contueuerunt, conſueuerunt.*
538.	20.	*teneatur, tenentur.*
539.	14.	*idem, iſdem.*
542.	8.	*tranſgresſionem, tranſgretione.*
543.	26.	*cum cęteris, ſi cũ cęteris,*

F I N I S.